SI pareillement d'un Arbre vieux, & un peu haut monté il se présente de plus belles branches par le bas que dans le haut, & que je voie ce haut en assez méchant état, & presque abandonné de la Nature, je l'abandonne aussi, & me mets à suivre le changement qui vient d'arriver, pour recommencer par ce moyen une figure toute nouvelle, & par consequent refaire un Arbre nouveau : tel changement arrive sur tout assez souvent en fait de Pêchers qui commencent à vieillir, il faut en cela profiter de l'avertissement que la Nature nous donne. VII. Ob

Mais si le haut me paroît assez bon & assez vigoureux, en sorte qu'il puisse durer encore long-tems en l'état où il est, je me contente d'arracher entierement ces nouvelles branches basses pour conserver les vieilles, à moins que dans le voisinage du pied je ne trouve place à y ranger ces nouvelles branches.

JE ne fais jamais cas de certaines branches menuës, petites & foibles, qui viennent d'autres branches menuës & foibles, & si de celles-ci il en sort quelquefois de grosses, je les regarde comme branches de faux bois, & les traite sur ce pied là. VI O

DAns l'ordre que la nature observe le plus communément pour la production des branches & des racines, ce qui est produit de nouveau est moins gros que l'endroit qui vient de le produire : que si cet ordre se trouve perverti, en sorte que les branches ou les racines qui sortent se trouvent plus grosses que celles d'où elles sont sorties, les nouvelles sont communément de faux bois, & par consequent doivent être traitées comme telles : bien entendu à l'égard des branches, que celles de faux bois puissent nuire à la figure, & au Fruit, comme nous l'avons ci-devant expliqué : car si au lieu de nuire elles se presentent heureusement pour la figure, ou que même elles puissent consumer pour un tems une partie de la seve qui est ici trop abondante, pour lors on les conservera suivant nos precedentes regles : bien entendu encore à l'égard des racines, que comme les plus grosses sont regulierement les meilleures, car la distinction de ... de quelque maniere qu'elles

ΙΑΤΡΙΚΗ

SEU

NOVUM MEDICINÆ RATIONALIS SYSTEMA

In quatuor tomis digestum, quorum duo priores doctrinam de natura et causis morborum; duo posteriores vero doctrinam medicamentorum simpliciorum et compositorum, seu materiam medicam et pharmacopœiam, atque therapiam generalem tradunt.

AUCTORE

F. SWEDIAUR, M. D.

Ratione et experientia.
Quicunque experitur, auget scientiam; qui vero credit, auget errorem.
ABOULCACEM.

VOLUMEN SECUNDUM.

PARISIIS,

Apud GABON, Bibliopolam *Place de l'École de Médecine.*
AUG. MÉQUIGNON natu maj. filium, *rue de l'Ecole de Medecine.*

MDCCCXII.

TYPIS J. M. EBERHARTI, IMPERIALIS FRANCIÆ COLLEGII TYPOGRAPHI.

NOVI
NOSOLOGIÆ METHODICÆ
SYSTEMATIS,

VOLUMINIS II. PARS II.

N. B. Hic titulus collocandus est ante pag. 379.

NOVUM NOSOLOGIÆ METHODICÆ SYSTEMA,

AUCTORE

F. SWEDIAUR, M. D.

In his paginis animus nobis est agere, non de experientia, quæ ratione non utitur; sed de iis præsidiis, quæ methodo et ratione inveniuntur. — Quandoquidem igitur morbi curationem invenire est propositum, haud dubie necessum est, prius morborum numerum scire.

GALEN. *de Method. medend. L. I.*

VOLUMEN SECUNDUM.

PARISIIS,

Apud { GABON, Bibliopolam *Place de l'Ecole de Médecine.*
AUG. MEQUIGNON natu maj. filium, *rue de l'Ecole de Médecine.*

MDCCCXII.

TYPIS J. M. EBERHARTI, IMPERIALIS FRANCIÆ COLLEGII TYPOGRAPHI.

Nullum exemplar hujus libri genuinum agnosco, nisi manu mea signatum.

CLASSIS IV. CACHEXIÆ

ET

CACOCHYMIÆ.

Gr. ΚΑΧΕΞΊΑΙ et Κακοχυμίαι, a κακὸς, malus, ἕξις, habitus, ac χυμὸς, humor.

Char. Habitus, vel humores corporis depravati.

ORDINES ad hanc classem pertinentes sunt:

SECT. I. SIMPLICIORES.

ORDO I. DYSCHYMIÆ.
II. DYSTONIÆ.

SECT. II. COMPOSITÆ.

III. MARASMI.
IV. EXOEDESES.
V. DYSCHROIÆ.
VI. HELCOSES.
VII. DERMATODES.
VIII. SCOLECODES.
IX. LITHIASES.
X. DYSOSTOSES.

OBSERVATIONES GENERALES.

Ad naturam morborum, ad hanc classem pertinentium, exactius intelligendam sequentia præmittere juvabit.

Corpus humanum ex fluidis et solidis constat. Fluida seu liquida præcipua sunt :

A. *Universalia :*

1. Sanguis.
2. Lympha.
3. Mucus.
4. Adeps *s.* sebum.

B. *Particularia :*

5. Saliva.
6. Succus gastricus.
7. Succus pancreaticus, et succus entericus.
8. Bilis.
9. Chylus.
10. Lac.
11. Semen et succus prostatæ.
12. Synovia.
13. Succus lacrymalis.

14. Humores oculi.
15. Cerumen.
16. Materia transpirationis, seu sudor.
17. Urina.
18. Fæces.
19 Fluida elastica, seu gaza in ventriculo et intestinis contenta.

II. Solida, ex quibus corpus humanum componitur, sunt mollia vel dura.

A. Solida mollia, seu partes molles sunt:

1. Fibra simplex.
2. Textus cellularis *s.* cellulosus.
3. Membranæ variæ.
4. Tendines.
5. Ligamenta.
6. Vasa varia et canales.
7. Glandulæ.
8. Musculi.
9. Cerebrum et nervi.
10. Cutis.
11. Epidermis.

B. Solida dura sunt:

12. Pili.
13. Ungues.
14. Cartilagines.
15. Ossa.
16. Concretiones calculosæ variæ.

Omnia hæc mox recensita (lympha excepta), jam ab antiquissimis temporibus a medicis græcis et latinis cognita, a chemicis recentioribus profundius indagata, nonnisi paucis abhinc annis, quoad naturam eorum particularem et principia constitutiva, nobis exactius perspecta sunt. Ex hac investigatione elucet, substantias, corpus humanum constituentes, compositas esse :

1° Ex aqua; 2° Mucilagine; 3° Gelatina; 4° Albumine; 5° Fibrino; 6° Oleo fixo; 7° Ferro; 8° Ex acidis, viz : Acido phosphorico, muriatico, carbonico, urico, malico et benzoico; 9° Ex alcalibus, viz : Soda et ammoniaca; 10° Ex terris, viz : Calce, et magnesia; 11° Ex salibus mediis : *a.* Muriate sodæ; *b.* Phosphate sodæ; *c.* Urate sodæ; *d.* Phosphate calcis; *e.* Carbonate calcis; *f.* Subphosphate ferri. Quibus adhuc addenda est; 12° Urea, et 13° Resina, quæ in bile, cerumine et fœcibus, reperta fuit.

Hæ ipsæ substantiæ autem omnes mox memoratæ, analysi chemica in elementa sequentia resolvuntur : 1° In gaz nitrogenium seu azotum; 2° Gaz hydrogenium; 3° Gaz oxygenium; 4° Carbonem; 5° Calcem; 6° Sodam, et 8° Ferrum.

De his animadversiones sequentes, medico

practico notatu dignas, ex chemicis hic subjungo.

A. Aqua maximam fluidorum, et magnam solidorum corporis humani portionem constituit. Ipsa ex 15 partibus hydrogenii, et 83 partibus oxygenii constat.

B. Mucilago, aqua soluta, in hoc statu, instar gummi e vegetabilibus obtenti, qualitatem viscosam, adhæsivam possidet, nec alcohole nec æthere solubilis, calore non coagulatur, neque evaporatione, gelatinæ formam assumit.

C. Gelatina, seu pars gelatinosa pro maxima parte aqua constans, transparens, calore liquescens, frigore in massam tremulam coiens; evaporatione mediante calore continuata tandem in massam duram, fragilem, sub nomine *glutinis* vulgo venalem, redigitur, in aqua calida æque ac frigida denuo solubilem. Ejus partes constitutivæ sunt : Carbon, azotum *s.* nitrogenium, hydrogenium et oxygenium.

Ossa, ligamenta, tendines, membranæ, cutis, musculi, pili, sanguis et lac hac substantia abundant.

D. Albumen, seu pars albuminosa calore therm. Fahr. 165° (Reaum. 59°) in massam solidam coagulatur, dein nec frigore nec calore solubilem. Coagulatur etiam alcohole et acidis

variis, sed acido nitrico in gelatinam convertitur. Cæterum ex iisdem fere principiis, proportione solum diversa, ac gelatina, constat, et partem constitutivam fluidorum et solidorum corporis humani, ut gelatina, format.

E. Fibrinum, seu pars fibrina magnam sanguinis et musculorum portionem constituit. Hæc substantia alba, mollis, et elastica, nec aqua nec alcohole solubilis, fere ut gluten vegetabilium, calore in corneam substantiam mutatur, et usta odorem plumarum combustarum edit. Distillatione dat carbonatem ammoniacæ, carbonatem et phosphatem calcis, phosphatem sodæ, aquam, oleum fœtidum, acidum carbonicum, gaz hydrogenium. In acidis facile solvitur, acido nitrico, ut albumen, in gelatinam convertitur, præterea multam similitudinem cum albumine præseferens. Ex iisdem principiis constat, ac gelatina et albumen; sed plus carbonis ac nitrogenii, et minus oxygenii continet.

F. Oleum fixum animale componitur ex oxygenio, hydrogenio, et carbone ac acido sebacico. — *Oleum animale* Dippelii dictum, artis productum, obtinetur distillatione ex partibus gelatinosis, et albuminosis, præprimis ex cornubus, et ungulis animalium.

G. Ferrum pauco acido phosphorico solu-

tum, sub forma subphosphatis ferri, partem sanguinis rubri constituit. Quidam illud etiam in bile existere dicunt.

H. Alcalia : *Soda* in omnibus fluidis animalibus reperitur, fere semper cum albumine juncta; item cum acido phosphorico et muriatico phosphatem et muriatem sodæ constituit. —*Ammoniaca* durante putrefactione fere omnium partium animalium magna quantitate evolvitur. Proust eam in urina detexit. *Potassa* in lacte vaccarum, et cum acidis juncta magna copia occurrit in urina quadrupedum.

I. Terrae : *Calx* cum acido phosphorico et carbonico juncta pro maxima parte substantiam ossium constituit; præterea in musculis ac in urina humana reperitur. —*Magnesia* a Vauquelin et Fourcroy cum acido phosphorico et ammoniaca juncta in urina humana, ac in quibusdam calculis urinariis reperta fuit; præterea cum acido phosphorico juncta in ossibus animalium fere omnium, homine excepto, occurrit.

K. Acida : *Acidum phosphoricum* cum soda junctum in urina per se, ac cum calce unitum reperitur; nec non in musculis aliisve fere omnibus partibus solidis corporis. In sanguine cum oxydo ferri junctum subphosphatem ferri exhibet. — *Acidum muriaticum* semper cum

soda junctum invenitur in omnibus fere substantiis animalibus. *Acidum uricum* a SCHEELE in urina primo inventum : WOLLASTON idem acidum cum soda junctum calculos podagricorum componere primus docuit, et calculos urinarios, præcipue eos, qui coloris fusci lignei sunt, constituit. *Acidum oxalicum* juxta VAUQUELIN et FOURCROY, in quibusdam calculis urinariis reperitur. *Acidum Benzoicum* a SCHEELE in urina humana inventum ; a PROUST in sanguine ; et a FOURCROY et VAUQUELIN in urina vaccarum repertum fuit. *Acidum Carbonicum* ex pulmone exhalat : A PROUST in urina repertum ; cum calce unitum ossa pro parte format.

Quod SOLIDA spectat :

A. FIBRAE simplices et membranæ, tendines, ligamenta, cutis, aliæve partes solidæ corporis, pro maxima parte gelatina, portione fibrini, et salibus neutris, præcipue phosphatibus constant.

B. MUSCULI maxima parte fibrino constant, dein albumine, gelatina, extractivo, phosphate sodæ, phosphate ammoniacæ, et phosphate ac carbonate calcis.

N. B. Carnes animalium in aqua coctæ præbent jus, quod continet gelatinam, extrac-

tivum et portionem salium ; pars fibrina et albumen coagulata indissoluta remanent. In carnibus assatis omnes hæ substantiæ simul adsunt, præterea odor extractivi actione ignis exaltatur.

C. Cerebrum et nervi ex peculiari substantia nondum bene cognita constant, simulque pauxillum phosphatis sodæ et phosphatis calcis, ac phosphatis ammoniacæ continent.

D. Pili et ungues multum gelatinæ continent, qua, coctione in aqua extracta, in substantiam friabilem mutantur, quæ analysi chemica dat oleum animale, ferrum, phosphatem calcis et parum carbonatis calcis.

E. Ossa, præter oleum fixum seu pinguedinem, et magnam quantitatem gelatinæ, pro maxima parte constant phosphate calcis, ut Scheele primus 1771 invenit, simulque portione carbonatis calcis. Ossa principiis mox dictis orbata, juxta Hatchett substantiam albam, elasticam, mollem, proprietates albuminis possidentem, relinquunt, quæ cartilago appellatur.

F. Circa concretiones calculosas varias, in corpore humano occurrentes, vide infra : Cachexiae calculosae.

CL. IV. O. I. DYSCHYMIÆ.

Gr. *Δυσχυμίαι*, a *δὺς*, male *s.* vitiose, et *χυμὸς*, humor : Humorum vitia.

Status fluidorum corporis humani abnormis, seu humores quantitatis excessu vel defectu, aut qualitate vitiata peccantes.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt :

SECT. I. POLYCHYMIÆ.

Genus	I.	POLYHÆMIA.
	II.	POLYBLENNIA.
	III.	POLYCHYLIA.
	IV.	POLYGALIA.
	V.	POLYPIONIA.
	VI.	POLYSPERMIA.
	VII.	POLYCHOLIA.
	VIII.	POLYSIALIA.
	IX.	POLYDACRYA.
	X.	POLYHIDRIA.
	XI.	POLYURESIA.
	XII.	POLYCOPRIA.

SECT. II. OLYGOCHYMIÆ.

Genus XIII. OLIGOHÆMIA.
XIV. OLIGOBLENNIA.
XV. OLIGOCHYLIA.
XVI. OLIGOGALIA.
XVII. OLIGOPIONIA.
XVIII. OLIGOSPERMIA.
XIX. OLIGOCHOLIA.
XX. OLIGOSIALIA.
XXI. OLIGODACRYA.
XXII. OLIGOHIDRIA.
XXIII. OLIGOURESIA.
XXIV. OLIGOCOPRIA.

SECT. III. DYSCRASIÆ.

Genus XXV. DYSHÆMIA.
XXVI. DYSBLENNIA.
XXVII. DYSCHYLIA.
XXVIII. DYSGALIA.
XXIX. DYSPIONIA.
XXX. DYSSPERMIA.
XXXI. DYSCHOLIA.
XXXII. DYSSIALIA.
XXXIII. DYSDACRYA.
XXXIV. DYSHIDRIA.
XXXV. DYSURESIA.
XXXVI. DYSCOPRIA.

OBSERVATIONES CIRCA HUMORES CORPORIS HUMANI PARTICULARES.

Status humorum normalis, græcis Euchymia (Εὐχυμία) dicta, in debita eorum quantitate et qualitate consistit. Hæ conditiones autem a statu normali solidorum dependent, et vice versa. Hinc patet morbos dari, qui maxime a vitiis humorum dependent; alios vero, quorum causa primaria in statu solidorum depravato quærenda est; alios denique, qui ex vitiis fluidorum simul ac solidorum junctis originem suam trahunt. Quæ de humoribus corporis humani in genere notanda erant, mox antea indicavi. Hic de natura humorum variorum corporis, ad morbos ab iis pendentes magis elucidandos, specialiter agemus.

I. Sanguis in corpore circulans, humor est apparenter homogeneus, qui microscopio examinatus ex globulis rubris minimis, summe flexibilibus et elasticis constare videtur; in animali sano, aërem atmosphæricum respirante, in arteriis colorem scarlatinum, in venis profunde rubrum possidet; sed hic

idem sanguis venosus fuscus, contactui aëris atmosphærici expositus, pariter colorem scarlatinum assumit.

Sanguis e vena missus humor est crassiusculus, ruboris homogenei, opacus, ad tactum pinguis, viscidus, halitum peculiarem ingratum emittens. Sibi relictus sponte secedit in partem aqueam limpidam, vulgo Serum appellatam, et in crassamentum sanguinis seu cruorem rubrum, opacum, solidum, tremulum, sero sub forma insulæ innatantem. Massa sanguinis in homine sano et adulto circiter est 33 librarum; cruor generaliter $\frac{1}{4}$tam circiter partem, et serum $\frac{3}{4}$ partes totius massæ sanguinis constituit, sed hoc variat.

Serum est fluidum diaphanum, subflavescens, aut viridescens, viscidulum, saporis salsi, syrupum violarum cæruleum in viridem mutans; hinc alcali liberum continet. Calori 150° th. F. (52° R.) expositum pro parte coagulatur, albuminis naturam monstrans; cæterum pro maxima parte aqua et gelatina constat, in quibus portio hydrosulfureti ammoniacæ, carbonatis sodæ, muriatis sodæ, ac phosphatis sodæ et calcis soluta tenetur.

CRUOR, insulam formans, ex fibrino, parte rubra colorante, et portione seri constat. Pars

colorans et serum continent ferrum, album-men, aquam, et sodam.

Tota massa sanguinis, in adulto, ut supra dixi, circiter 33 libras ponderans in genere uncias duas ferri continet. Vauquelin et Fourcroy ferrum pro parte tantum acido phosphorico junctum invenerunt, unde nomen subphosphatis ferri. Ferrum acido phosphorico saturatum, et sic proprie phosphatem ferri constituens, in aqua insolubile est; sed soda in massa sanguinis semper præsens, partem acidi phosphorici adimens, subphosphatem ferri gignit, in aqua ac sero sanguinis perfecte solubilem, qui sal sic solutus colorem rubrum assumit, quem sanguini impertit.

Sanguis igitur in venis et arteriis circulans, quantum experimenta docent, constat: 1° Aqua; 2° Fibrino; 3° Albumine; 4° Gelatina; 5° Hydrosulfureto ammoniacæ; 6° Soda; 7° Subphosphate ferri; 8° Muriate sodæ; 9° Phosphate sodæ; 10° Phosphate calcis; quibus Proust nuper etiam acidum benzoicum adjecit.

Sanguis, distillationi subjectus, dat primo liquorem aqueum; deinde gaz acidum carbonicum, et carbonatem ammoniacæ, oleum fluidum, gaz hydrogenium carbonatum, et oleum butyraceum. Liquor aqueus primo pro-

diens continet ammoniacam et acidum Prussicum.

Cæterum quantitas massæ generalis humorum, æque ac proportio principiorum diversorum, sanguinem constituentium, in diversis hominibus variat pro ratione ætatis, sexus, temperamenti, vitæ generis etc.

Hæc differentia in morbis pluribus evidentius apparet: Sic sanguis, præcipue in phlegmasiis sthenicis, sub actione valida cordis et systematis arteriosi missus, cito in insulam concrescit, et crustam coriaceam, plus minusve crassam, densam, tenacem, albam, flavescentem aut viridescentem in ejus superficie format, potissimum ex fibrino et portione albuminis compositam. In genere fibrini quantitas in sanguine exsuperans, eundem densum, spissum, immeabilem, et ad inflammationes aut infarctus dispositum reddit; dum albumen et gelatina, excessu aut defectu peccantes, vel repletiones abnormes, vel marcores inducunt. Seri e contra quantitas abundans corpus ad leucophlegmatiam aut hydropes varios etc. disponit.

II. Lympha, seu humor limpidus in vasis absorbentibus, vulgo *lymphaticis* dictis, contentus, hactenus a chemicis nondum probe exploratus, pro maxima sui parte, ex aqua, mucilagine,

lagine, et albumine, ac forsan etiam gelatina constat. Hoc liquidum a medicis fere omnibus hucusque cum sero sanguinis, ut gelatina cum albumine, confusa fuerunt.

III. Mucus est mucilago animalis in aqua soluta, et in hoc statu, instar gummi vegetabilium, viscosam et adhæsivam qualitatem possidet; nec æthere nec alcohole solubilis est, calore non coagulatur, nec evaporatione formam gelatinæ assumit; actione fortiore vasorum majori copia in membrana mucosa secretus et aëri expositus, oxygenio ex eo absorpto, crassior fit et magis viscidus, ac colorem flavescentem aut ex flavo-viridescentem, puriformem sæpe assumit.—Constat 1° Pro maxima sui parte aqua; 2° Mucilagine viscida, gummi vegetabilium æmulante; 3° Muriate sodæ; 4° Phosphate calcis; 5° Phosphate sodæ.—Mucus animalis differt a muco vegetabili, quod hic sibi relictus in fermentationem acidam, prior vero in fermentationem putridam abeat.

IV. Saliva a glandulis salivalibus in ore secreta constat: 1° Circiter $\frac{3}{4}$ partibus aquæ; 2° Muco; 3° Albumine; 4° Muriate sodæ; 5° Phosphate sodæ; 6° Phosphate calcis; 7° Phosphate ammoniacæ. Saliva in ventriculum delata magnam portionem succi gastrici constituit, et ad digestionem servit, viscidita-

tem adhæsivam possidet, in aqua difficulter solubilem; saliva præterea plus aquæ quam mucus continet.

V. Succus gastricus nondum a chemicis examinatus fuit, ob difficultatem eum ex homine purum obtinendi. — Idem valet de succo intestinorum.

VI. Succus pancreaticus, salivæ quodammodo similis esse videtur, sed minus viscidus est, et salibus magis abundans; hactenus examinatus non fuit.

VII. Bilis ex sanguine venoso, a visceribus abdominalibus redeunte, in hepate secernitur; inde partim in vesiculam felleam defluit, partim per ductum choledochum immediate in duodenum effunditur. Bilis in vesicula fellea morans spissior fit, dein ex ea expulsus pariter per ductum choledochum in duodenum transit. Bilis est succus fluidus, viscidus, oleaginosus, cum aqua miscibilis, coloris flavi, saporis e dulci amari, calore facile putrescens. Idem evenit, si majori quantitate aquæ, quam in vesicula possidet, diluta sibi relinquitur; sed leni calore, evaporatione aquæ in consistentiam extracti liquidi redacta, per annos incorrupta servari potest. Corrupta varias colorum mutationes patitur, flavedine nativa in vitellinum seu colorem vitello ovi similem, vel

in porraceum, æruginosum, fuscum, aut atrum denique colorem mutata. Bilis syrupo violarum cæruleo addita, eundem viridem reddit, vel a soda quam continet liberam, vel quod flavus bilis color, cum cæruleo syrupi mixtus, in colorem viridem mutetur.

Analysin bilis optimam dedit THENARD. Juxta hunc 800 partes bilis continent: 1° Aquæ part. 700; 2° Resinæ part. 43; 3° Materiæ saccharinæ part. 41; 4° Albuminis part. 4; 5° Sodæ part. 4; 6° Muriatis sodæ part. 3″ 2; 7° Sulfatis sodæ part. 0″ 8; 8° Phosphatis sodæ part. 2; 9° Phosphatis calcis part. 1″ 2; 10° Oxydi ferri part. 0″ 5 = 799″ 7.

Pars bilis resinosa intense amara et viridis est, calore moderato fusibilis, et inflammabilis, in aqua non solubilis, in alcohole pro parte solvitur. Bilis decomponitur ab acidis, unde resina præcipitatur et acidum cum soda jungitur; addita majore quantitate acidi quam ad saturationem opus est, massa tota acida fit; unde in morbis quandoque bilis acidissima. Bilis et liquor pancreaticus, succo ex alimentis assumptis in ventriculo præparato, in duodeno admixti, illum proprie in chylum convertere videntur. Pars bilis albuminosa et resinosa cum materia excrementitia chyli mixta, intestina irritando motum peristalti-

cum excitat, et sic alvi excretionem regularem causat.

Resina bilis odorem peculiarem animalis habet, calore atmosphæræ solida est, sed moderato ignis gradu funditur et accensa flagrat, in aqua non solubilis, sed in alcohole pro parte solvitur.

VIII. Chylus est succus ex alimentis et potulentis assumptis, mediante saliva, et succo gastrico in ventriculo præparatus, dein in duodenum propulsus, mediante bile ac liquore pancreatico, et actione organorum digestioni inservientium ulterius elaboratus, tandem per vasa lactea in intestinis tenuibus absorptus, per ductum thoracicum massæ sanguinis affunditur, nutritioni et reparationi corporis inserviens.

IX. Lac in omnibus animalibus iisdem fere principiis constat: 1° Aqua; 2° Oleo; 3° Coagulo seu parte caseosa; 4° Extractivo; 5° Saccharo lactis; 6° Acido acetico; 7° Muriate sodæ; 8° Muriate potassæ; 9° Sulfate potassæ; 10° Phosphate calcis; 11° Phosphate magnesiæ, et 12° Phosphate ferri.

Lac fœminæ multo dulcius est, et majorem quantitatem cremoris, ac plus aquæ et sacchari lactis, sed coaguli minorem longe quantitatem continet, quam lac vaccæ; ejus cremor præterea

agitando nunquam in butyrum coit. Lac asinæ minus cremoris, sed plus sacchari continet, quam lac fœminæ et vaccæ.

X. SPERMA VIRILE cum succo prostatæ mixtum, analysi chemica (VAUQUELIN) constat: 1° Aquæ part. 90; 2° Mucilaginis part. 6; 3° Phosphatis calcis part. 3; 4° Sodæ part. 1. —Semen præterea principium volatile, odoris nauseosi peculiaris continet, analysin chemicam fugiens.

XI. SYNOVIA constat ex aqua, fibrino, et albumine. HATCHETT nuper etiam phosphatem calcis et sodæ in ea detexit.

XII. ADEPS seu sebum ex oleo animali fixo, in tunicam cellulosam musculorum et viscerum variorum deposito, et in cellulis omenti ac in panniculo adiposo sub cute coacervato et inspissato, pinguedinem corporis sæpe immensam producit. Ex iisdem principiis ac oleum animale fixum supra memoratum constat.

XIII. CERUMEN, juxta VAUQUELIN ex albumine, oleo fixo inspissato, materia colorante, soda et phosphate calcis compositum est.

XIV. SUCCUS LACRYMALIS constat: 1 Ex aqua; 2. Muco; 3. Muriate sodæ; 4. Soda; 5. Phosphate calcis; 6. Phosphate sodæ. — *Humores.*

oculi ex albumine, gelatina et muriate sodæ cum pauxillo phosphatis calcis constant.

XV. LIQUOR HYDROPICORUM constat maxima parte ex aqua; dein ex albumine, muco, gelatina, et muriate sodæ cum pauxillo calcis.

XVI. PUS magnam quantitatem albuminis continet. Materia puris et ichoris, in diversis ulceribus varians, nondum examinata fuit.

XVII. SUDOR seu materia transpirabilis, in statu normali, juxta experimenta G. FORDYCE continet: 1° Oleum odoriferum; 2° Aquam cum mucilagine; 3° Muriatem sodæ; 4° Muriatem ammoniacæ; 5° Phosphatem sodæ. Quibus SEGUIN et LAVOISIER addunt; 6° Carbonem aut acidum carbonicum; 7° Acidum, quod creditur esse phosphoricum; 8° Caloricum. Quandoque etiam phosphas calcis et urea per cutem secernuntur. Ex eorumdem experimentis quantitas materiæ, transpiratione e corpore difflatæ, in homine sano intra 24 horas ad uncias quinquaginta duas vel tres ascendit. Sudor præterea continet materiam oleosam sebaceam, a glandulis cutis secretam, quæ eidem odorem peculiarem dat.

XVIII. URINA hominis in statu sano constat: 1° Aqua; 2° Acido phosphorico; 3° Phosphate calcis; 4° Phosphate magnesiæ; 5° Acido carbonico; 6° Carbonate calcis; 7° Acido urico;

8° Acido benzoico ; 9° Urea ; 10° Gelatina ; 11° Albumine ; 12° Muriate sodæ ; 13° Phosphate sodæ ; 14° Phosphate ammoniacæ ; 15° Muriate ammoniacæ ; 16° Sulfure. Quibus Proust nuper adhuc adjecit acidum rosacicum et resinam.

Urina animalium graminivororum continet uream ut urina hominis, sed nullum acidum phosphoricum, nec acidum uricum, nec ullos phosphates.

Urina equi ex urea, carbonate calcis, carbonate sodæ, benzoate sodæ, muriate potassæ, aqua et muco constat.

Urina vaccæ ex urea, carbonate potassæ, sulfate potassæ, muriate potassæ, acido benzoico, aqua et muco constat.

Urina in ictero bilem continet ; et in hoc æque ac in hydrope, ex hepate affecto orto, magnam copiam sedimenti rubri deponit. In urorrhagia, seu diabete saccharina magnam quantitatem sacchari continet. In podagricis quandoque minus acidi phosphorici quam in sanis ; in osteomalakia (rhachitide), urina magnam copiam phosphatis calcis, vel (juxta alios) oxalatis calcis continet.

In quibusdam casibus, fœminæ urinam lacteam excernunt, magnam quantitatem coaguli caseosi lactis continentem.

Urina cæterum, in variis morbis magnas mutationes patitur, hactenus a chemicis nondum exploratas.

Urina in statu sano per renes secreta est coloris flavescentis straminei; refrigerata sæpe nubeculam seu enæorema (ἐναιώρημα) format in medio natans, vel sedimentum deponit ex phosphate calcis constans. Color naturalis urinæ ab urea dependet. In renibus relaxatis aut valide stimulatis cum urina, præter ingredientia ejus ordinaria supra memorata, quandoque etiam secernitur albumen, chylus, sanguis, saccharum, oleum pingue.

XIX Faeces humanae constant: 1° Carbonate sodæ; 2° Muriate sodæ; 3° Sulfate sodæ; 4° Phosphate ammoniacæ et magnesiæ; 5° Urea; 6° Bile; 7° Resina bilis; 8° Albumine; 9° Muco; 10° Portione materiæ vegetabilis et animalis assumptæ.

XX. Gaza elastica in ventriculo et intestinis contenta sunt: 1. Gaz acidum carbonicum inodorum; 2. Gaz hydrogenium carbonatum fœtidum; 3. Gaz hydrogenium sulfuratum fœtidum; 4. Aër atmosphæricus cum ingestis deglutitus.

His præmissis, jam ad morbos fluidorum transgredimur.

CL. IV. O. I. DYSCHYMIÆ.

SECT. I. POLYCHYMIÆ.

Gr. Πολυχυμίαι, à πολὺ, multum et χυμὸς, humor.

Char. Humores quicunque corporis humani, abundantia nimia seu quantitatis excessu peccantes.

G. CLXXVIII. POLYCHYMIA seu *Plethora*.

Gr. Πολυαιμία, a πολὺ, multum, et αἶμα, sanguis : Sanguinis abundantia nimia.

Sanguinis rubri in arteriis et venis, aut lymphæ in vasis absorbentibus circulantium quantitas abnormis, vasa nimium replens et functiones corporis lædens.

Syn. Plethora *Auct.* (a Gr. Πληθώρα, plenitudo.)

A. Plethora.

G. Plénitude ou surabondance de sang et d'humeurs.

Ge. Vollblütigkeit.

Sp. 1. Plethora *ad molem.*

Sanguinis moles reipsa ita exuberans, ut viribus vasorum continentium major, in robustis lassitudinem spontaneam, torporem ad motus, sensuum gravitatem ac propensitatem ad somnum constantem inducat; in debilibus congestione, eruptione, aut rhexi vasorum gravet. Temperamentis mollioris habitus incidens, ex sanguine undique perfuso, ruborem et turgorem totius corporis superficiei causat: In strictioribus contra corporibus, vasis majoribus magis distentis, venæ præ arteriis laxiores ultra modum tumescunt, unde pulsus plenus, suppressus, et venæ amplæ in superficie corporis turgent: In sensibilibus et irritabilibus ex stimuli molestia, motus inordinati, hyperkinesia.

Syn. Plethora ad vasa *Veterum.*

——— ad habitum.
——— vera *s.* absoluta. } *Auct.*
——— ad venas.

Variat pro causa remota:

α. A vitio hæreditario.
β. Ab educatione molli, effœminata.
γ. A vitæ genere lautiore, otioso, securo, quo robusta viscera plus chyli et boni sanguinis

generant, quam nutritio et secretiones necessariæ postulant.

δ. Ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis aut intermissis.

ε. Ab exercitiis corporis consuetis neglectis.

Sp. 2. Plethora *ad spatium*.

Ex imminuta systematis circulatorii capacitate orta, quantitate sanguinis haud pariter imminuta; nimirum, ubi sanguis nec mole nec volumine aucto peccat, sed spatium, quo contineri debet, contrahitur.

Syn. Plethora respectiva. *Auct.*

Variat pro causa remota:

α. A vasis nimium constrictis: ex terrore, aut frigore magno et subito; ex accessu febrili; a spasmis; a rigiditate, exsiccatione, stenosi, aut concretione vasorum.

β. A mutilatione.

Sp. 3. Plethora *ad volumen*.

Plethora ex sanguinis rarefactione transitoria orta.

Syn. Plethora apparens, s. spuria. *Auct.*

Variat pro causa remota:

α. A caloris excessu: ex aëre, foco, balneo, cibis, potibus, medicamentis, venenis.

β. Ab exercitatione.

γ. A frictione.

δ. Ab animi pathematibus, præcipue ira, gaudio.

ε. A magna et subita pressionis atmosphæræ imminutione.

ζ. A Pyrexiis sthenicis variis.

η. A motu intestino humorum ex alienis admixtis.

ϑ. Ab hypererethisia.

ι. A pinguedinis liquatæ copia in massam circulantem recepta.

Ex his patet, cur quidam morbi, seu symptomata morbosa ex plethora orta, sæpe sola diminutione massæ sanguinis cito auferantur; dum alii nonnisi mutata solidorum actione tolli possunt; et alii demum, ubi medici attentio ad feliciter curandum, ad solida æque ac fluida dirigi debet.

G. CLXXIX. POLYBLENNIA.

Gr. Πολυβλέννια, a πολὺ, multum, et βλέννα, mucus.

Muci in massa sanguinis, vel in visceribus variis quantitas nimia, functiones lædens.

Cutis pallida; frigus constans præcipue extremitatum; languor ad motum mentis et corporis; anæsthæsia; anerethisia; asthenia generalis; phlegmapyra; secretiones muci copiosiores, præcipue in ore, faucibus, pulmonibus, ventriculo, intestinis etc. Unde screatus muci et tussis frequens; dyspepsia; sensus repletionis ad præcordia; pneumonitis pituitosa; diarrhœa mucosa; blennorrhœæ variæ; chlorosis; leucophlegmatia; infarctus viscerum variorum, aut vasorum et glandularum meseraicarum; hydropes varii; cataphora; apoplexia (*).

Syn. Phlegma. (Gr. Φλέγμα.)
Pituita. *Lat.*
Cacochymia pituitosa. *Auct.*

Variat pro causa remota:

α. A vitio hæreditario, temperamento phlegmatico.

β. Ab atonia solidorum.

γ. Ab asthenia systematis arteriosi generali, aut topica ventriculi, intestinorum, hepa-

---

(*) Auctores practici fere omnes mucum cum lympha, sero, gelatina et albumine, ac morbos ex abundantia horum humorum, sub nomine *Colluviei serosæ*, male confundunt.

tis, pulmonum.

δ. A vita otiosa, sedentaria.

ε. A defectu exercitii debiti, consueti.

ζ. A somno consueto longiori.

η. A diæta mucosa, glutinosa, acida.

ϑ. A climate humido et frigido.

ι. Ab atmosphæra humida, nebulosa.

κ. Ab animi affectibus tristibus.

λ. A defectu aut inertia humorum, digestioni inservientium : salivæ, succi gastrici, bilis, etc.

μ. A retentis excretionibus mucosis consuetis.

G. CLXXX. POLYCHYLIA.

Gr. Πολυχυλία, a πολὺ, multum, et χυλὸς, chylus.

Chyli quantitas nimia, functiones lædens; unde plethora; obesitas; blennorrhagiæ aut blennorrhoeæ variæ; podagra; achores, aliave cutis vitia.

G. CLXXXI. POLYGALIA.

Gr. Πολυγαλία, a πολὺ, multum, et γάλα, lac.

Lactis in mammis puerperæ aut nutricis, rarius alio tempore, secretio nimia.

Vide *Mastoncus* et *Galactacrasia*.

G. CLXXXII. POLYPIONIA.

Gr. Πολυπιονία, a πολὺ, multum, et πῖον, pingue.

Adipis seu sebi in membrana cellulari, in tunica adiposa, aliisve partibus, ac præcipue in omento collectio nimia, functiones corporis lædens.

Vide infra *Polypiotes.*

G. CLXXXIII. POLYSPERMIA.

Gr. Πολυσπερμία, a πολὺ, multum, et σπέρμα, semen.

Seminis virilis abundantia nimia, functiones lædens.

Vide infra O. Dysgennesiae. g. *Hyperorgosis.*

G. CLXXXIV. POLYCHOLIA.

Gr. Πολυχολία, a πολὺ, multum, et χολὴ, bilis.

Bilis quantitas nimia, functiones lædens; plerumque simul acrimonia peccans.

Vide infra *Dyscholia,* seu *Dyscrasia biliosa.*

G. CLXXXV. POLYSIALIA.

Gr. Πολυσιαλία, a πολὺ, multum, et σίαλον, saliva.

Salivæ abundantia nimia.

Vide Vol. I. p. 223. *Sialorrhœa.*

G. CLXXXVI. POLYDACRYA.

Gr. Πολυδακρύα, a πολὺ, multum, et δάκρυον, humor lacrymalis.

Humoris lacrymalis abundantia nimia, functiones oculi lædens.

Vide Vol. I. p. 222. *Dacryrrhœa.*

G. CLXXXVII. POLYHIDHRIA.

Gr. Πολυιδρία, a πολὺ, multum, et ἱδρὼς, sudor.

Sudoris aut transpirationis excretio nimia, sthenica vel asthenica, functiones lædens.

Vide Vol. I. p. 218. *Hyperhidrosis.*

G. CLXXXVIII. POLYURESIA.

Gr. Πολυουρησία, a πολὺ, multum, et οὖρον, (οὔρημα *Hipp.*), urina.

Urinæ secretio et excretio nimia, functiones lædens.

Vide Vol. I. p. 200. *Urorrhagia* et p. 217. *Urorrhœa.*

G. CLXXXIX.

G. CLXXXIX. POLYCOPRIA.

Gr. Πολυκοπρία, a πολὺ, multum, et κόπρος, fæces alvinæ.

Fæcum copia nimia, præcipue ab ingluvie aut victus intemperantia orta.

Vide etiam *Diarrhœa* et *Syntexis*.

SECT. II. OLYGOCHIMIÆ.

Gr. Ὀλιγοχυμίαι, ab ὀλίγος, paucus, et χυμὸς, humor : Humoris defectus.

Humores quicunque corporis humani quantitatis defectu peccantes.

G. CXC. OLIGOHÆMIA.

Gr. Ὀλιγοαιμία, ab ὀλίγος, paucus, et αἷμα, sanguis.

Paucitas seu inopia sanguinis.

Sanguinis in vasis sanguineis, aut lymphæ in vasis absorbentibus inopia seu defectus, functiones lædens. Ex hoc defectu oritur quandoque *Keneangeia* (gr. Κενεαγγεία, a κένεον, vacuus, et Ἀγγεῖον, vas), id est vacuitas seu depletio vasorum ; sed hoc vitium vix nisi a subita et enormi evacuatione sanguinis vel

lymphæ, per hæmorrhagias aut hæmorrhoeas profusas aut per vulnera gravia inflicta, oritur. Oligohæmia diutius durans aut ex asthenia generali vel topica, vel ex inedia longa et prægrandi, sed lente orta, accommodata gradatim vasorum contractione, Keneangeiam, proprie sic dictam, inducere nequit (*); sed tunc frequenter cum dyscrasia sanguinis complicatur.

VARIAT pro causa remota:

α. A vulnere arteriæ, vel venæ majoris, aut vasis cujusdam absorbentis.

β. Ab asthenia vasorum, ab hæmorrhoeis aut a blennorrhoeis profusis.

γ. Ab erosione vasorum.

δ. Ab inedia longiore.

(*) Vasa sanguinea æque ac vasa absorbentia, facultatem possident diametrum suam contrahendi et quantitati humorum contentorum accommodandi. Ex hoc nisu vasorum sanguineorum in hæmorrhagiis vel hæmorrhoeis violentis, sese pro volumine fluidorum in iis contento contrahendi, et in hoc statu violento contractionis remanendi, oritur summus astheniæ muscularis gradus, quem non raro post evacuationes profusas subitas, arte aut natura productas, in ægris observamus. Cor et vasa sanguinea in hoc casu, a contractione abnormi permanente, vim nerveam, ad motum musculorum voluntariorum necessariam, exhaurire videntur.

ε. A vitio organorum aut humorum digestioni inservientium.

ζ. Ab emphraxi aut stenosi vasorum lacteorum aut glandularum meseraicarum.

G. CXCI. OLIGOBLENNIA.

Defectus muci in membrana mucosa in superficie corporis, vel in cavitatibus hac membrana vestitis.

Vide *Raucedo*, *Aphonia*, *Dysuria*, *Dysenteria*, etc.

G. CXCII. OLIGOCHYLIA.

Defectus chyli.

Vide *Marcores*.

G. CXCIII. OLIGOGALIA.

Defectus lactis.

Vide *Ischogalactia*.

G. CXCIV. OLIGOPIONIA.

Defectus pinguedinis.

Vide *Marcores*.

G. CXCV. OLIGOSPERMIA.

Defectus spermatis seu seminis virilis.

Vide *Astysia* et *Atrophia testiculorum*.

G. CXCVI. OLIGOCHOLIA.

Bilis quantitatis debitæ defectus.

Vide *Icterus*, *Cholelithiasis*, *Dyscoilia.*

G. CXCVII. OLIGOSIALIA.

Defectus salivæ.

Vide *Sialorrhœa.*

G. CXCVIII. OLIGODACRYA.

Defectus succi lacrymalis

G. CXCIX. OLIGOHIDRIA.

Transpirationis aut sudoris defectus, cute aspera, sicca, tensa stipatus.

Vide *Ischidrosis.*

G. CC. OLIGOURESIA.

Defectus urinæ.

Vide *Ischuria.*

G. CCI. OLIGOCOPRIA.

Defectus fæcum ex inedia, fame, aut summa in victu temperantia.

Vide etiam *Dyscoilia* et *Ischocoilia.*

HÆ SPECIES VARIANT pro causa remota:

α. Ab inedia, jejunio severo, aut defectu alimentorum.

β. Ab alimentis acribus, diæta prava.

γ. A diæta vegetabili; victus temperantia.

δ. A corporis exercitiis violentis.

ε. Ab animi pathematibus tristibus.

ζ. Ab agrypnia diuturna.

η. Ab evacuationibus sanguinis, lymphæ, muci, aliorumve humorum profusis.

ϑ. Ab ulcere majore, carkinomate.

ι. A Pyrexiis variis, præcipue Syntecopyra, Marasmopyra.

κ. Ab usu longiore hydrargyri.

λ. Ab abusu liquorum spirituosorum.

μ. Ab excessu veneris, aselgotripsiæ, anaphlasis.

SECT. III. DYSCRASIÆ.

Gr. Δυσκρασίαι, a δὺς, vitiose, et κρᾶσις, miscella humorum: Intemperies *s.* miscella humorum vitiata.

Humores quicunque corporis miscella vitiosa, aut qualitate chemica peccantes.

DYSCRASIA est :

I. PRIMARIA, vel

II. SECUNDARIA, seu SYMPTOMATICA, a solidis primario affectis oriunda.

DYSCRASIAE VARIANT :

1. *Pachychymia* (a gr. Παχὺς, spissus, et χυμὸς, humor) : Spissitudo humorum morbosa.

2. *Leptochymia* (a gr. Λεπτὸς, tenuis, et χυμὸς, humor) : Tenuitas humorum morbosa.

3. *Drimochymia* (a gr. Δριμὺς, acris, et χυμὸς, humor) : Acrimonia humorum abnormis.

4. *Sepsichymia* (a gr. Σῆψις, putrefactio, et χυμὸς, humor) : Putrefactio, aut dispositio humorum ad putredinem.

G. CCII. DYSHÆMIA.

Gr. Δυσαιμία, a δὺς, vitiose, et αἷμα, sanguis : Dyscrasia sanguinis.

Sanguis spissitudine, tenuitate, acrimonia, aut dispositione ad putredinem peccans.

Sp. 1. Dyshæmia *Spissa* (*Pachyhæmia*).

Spissitudo aut crassities sanguinis morbosa. Pulsus plenus, lentus, fortis vel suppres-

sus; unde circulatio sanguinis languida, infarctus vasorum et viscerum, præcipue abdominalium, secretiones variæ impeditæ aut irregulares; dysæsthesiæ; dyserethisiæ; febres aut phlegmasiæ variæ; athymia; melænorrhagia etc. — Morbus ex defectu seri, aut ex nimia fibrini, albuminis, vel muci in sanguine abundantia oriundus.

VARIAT pro causa remota :

α. A vitio hæreditario, seu temperamento melancholico dicto.
β. A senio, seu rigiditate vasorum.
γ. Ab anerethisia.
δ. Ab usu potus, præcipue aquæ, parciore.
ε. Ab ingestis nimis nutrientibus.
ζ. Ab abusu liquorum spirituosorum.
η. Ab usu habituali opii aliorumve narcoticorum.
ϑ. Ab animi affectibus tristibus.
ι. A labore habituali duro, aut exercitiis violentis.
κ. Ab excretionibus seri, muci, gelatinæ profusis.

Sp. 2. Dyshæmia *Mucosa.*

Vide *Polyblennia*, et *Dysblennia.*

Sp. 3. Dyshæmia *Serosa* (*Leptohæmia*).

Tenuitas seu serositas sanguinis morbosa. Cutis pallida, humida; frigus corporis, præcipue extremitatum constans; collectiones seri in membrana cellulosa, unde hydropes varii, oëdema extremitatum, leucophlegmatia; anerethisia; anæsthesia; pulsus debilis, lentus. Progressu morbi a seri effusi acrimonia, erosiones, ulcera, gangræna in cute, morbi cutis varii. — Morbus a seri aut aquæ in sanguine nimia abundantia; vel ex defectu fibrini aut albuminis; vel ab acrimonia humorum massam sanguinis constituentium varia; vel demum ex dispositione ad putredinem aut ex ipsa putrefactione sanguinis oriundus (*).

Variat pro causa remota:

α. Ab asthenia generali systematis arteriosi, vel ab asthenia ventriculi topica.

β. Ab evacuationibus sanguinis profusis.

γ. A morbis acutis gravibus prægressis.

δ. Ab excretionibus aquosis, serosis retentis.

(*) Dyshæmia serosa plerumque a medicis cum Polyblennia male confunditur, à qua tamen, ut ex supra dictis patet, essentialiter differt, etsi cum ea sæpe complicata sit, ut præcipue in leucophlegmatia observamus.

ε. Ab animi affectibus tristibus.

ζ. Ab inedia, victu pravo, præcipue sub annonæ caritate.

η. A vita otiosa, sedentaria, exercitii defectu.

ϑ. Ab abusu potuum aquosorum tepidorum.

ι. A marasmo senili.

Sp. 4. Dyshæmia *Acris* (*Drimohæmia*).

Acrimonia sanguinis.

Ex analysi chemica sanguinis patet, eum pro qnantitate salium contentorum, aut pro vitiata salium variorum inter se proportione peccare posse; unde febres, phlegmasiæ, exanthemata varia; secretiones et excretiones vitiosæ; dolores; spasmi; marcores; hydropes; cutis vitia chronica varia; ulcera; caries; tumores; inde etiam alternantes illæ affectiones internæ ventriculi, capitis, pectoris etc. sæpe summo alysmo, aut doloribus violentissimis stipatæ, quæ mox, sine ullo medicamento applicato, apparentibus papulis, pustulis, phlyctænis aliisve cutis eruptionibus evanescunt, redeuntes morbo cutis evanido.

VARIAT pro causa remota:

α. A defectu reparationis blandorum, aquosorum.

β. Ab acribus excernendis retentis.

γ. Ab acribus absorptis et in massam sanguinis delatis.

δ. A stagnatione humorum.

ε. Ab heterogeneis sanguini admixtis.

ζ. A victu insalubri, acribus ingestis.

η. A morbis ventriculi et organorum digestioni inservientium.

ϑ. Ab animi pathematibus, præcipue ingratis.

ι. Ab asthenia generali.

Sp. 5. Dyshæmia *Putrida* (*Sepsihœmia*).

Dyscrasia sanguinis putrida, seu putredo aut putrefactio sanguinis. (*).

(*) Putrefactio est mutatio corporum organisatorum gradaria, a causa interna orta, in substantias simplices non organicas, ex quibus antea composita erant. Putrefactio animalis, est alteratio corporis animalis, qua fluida et solida mollia primo cohæsionem suam naturalem perdunt, dein consistentiam et colorem mutant, et gradatim in massam mucilagini similem, in aqua solubilem, et cum aquæ quantitate quacunque miscibilem vertuntur. Hunc statum primum putrefactionis stadium vulgo appellant. In secundo stadio hæc mucilago vertitur, in gaza elastica, quæ cum aqua, sub forma vaporis foetidi summe nauseosi, in aëra avolant, terram calcaream et sales varios post se relinquentia. Putrefactio semper primo in parva parte incipit, dein sese gradatim vicinis communicat, si non mox sistatur.

Sanguis in corpore humano, etsi constanter sub conditionibus putrefactioni faventibus versans, in statu

Asthenia generalis; pulsus acceleratus, mollis et magnus, vel parvus et debilis; sensatio caloris mordacis, urentis; alysmus; stupor capitis; delirium, cataphora; sensatio-

---

sano nunquam putrescit. In morbis tamen sæpe primum stadium putrefactionis subit, primo majorem fluiditatem et colorem fuscum assumens, dein in humorem mucilaginosum, in sero et aqua solubilem, vertitur parte fibrina et albuminosa ejusdem interea simul evanescente et destructa. Secundum putrefactionis sanguinis stadium in morbis quandoque, sed raro, obtinet. — Motus sanguinis constans et moderatus, respiratio in aëre puro, excretio acrium et detritorum perpetua per renes, cutem et pulmones, affusio chyli et aquæ quotidiana, sanguinis putrefactionem efficaciter arcent.

Corporis aut sanguinis ad putrefactionem proclivitas sæpe dignoscitur ex odore mucido, fracido, summe nauseoso, ex hominibus carcere detentis vel ex ægris septorrhepyra aut peste laborantibus exhalante, qui vapor sæpe instantanee adstantes necat, vel eos iisdem morbis inficit. Quandoque etiam dispositionem ad putredinem, ex hirudinum applicatorum aversione mordendi, recte suspicamur.

Mors corporis animalis cum certitudine dignosci et determinari a nemine potest, nisi ex signis putrefactionis incipientis; hinc ratio et sensus moralis postulant, hominem nullum unquam sepeliendum esse, antequam signa putrefactionis evidentia in corpore ejus apparenter mortuo sese manifestent.

Quæ mox supra de putrefactione sanguinis dixi, æque de lympha, muco, aliisve humoribus corporis humani valent.

nes erroneæ, fallaces; spasmi; convulsiones; anastomosis, erosio, aut rhexis vasorum, unde maculæ cutis lividæ, vibices, ecchymoses, hæmorrhœæ profusæ; urina crassa, turbida, jumentosa, nigra, fœtida; sudores colliquativi, fœtidi; fæces acres, liquidæ, putridæ, diarrhoea colliquativa; odor ab ægro exhalans peculiaris, summe ingratus, fracidus; extenuatio corporis universalis; exarysis seu summa virium exhaustio, unde sensuum obscuratio, leipothymiæ, syncopes; mors.—Post mortem, sæpe intra paucas horas, superficies corporis livida, aliave dissolutionis putridæ symptomata, et in visceribus variis ecchymoses, maculæ nigræ, gangræna. Hæc diversa symptomata sæpe a causis putrefactionis, sed non raro etiam ab ipsa putrefactione dependent. Vide etiam *Septorrhepyra*, *Loimopyra*, *Ochropyra*, *Scorbutus*, *Peliosis* etc.

Variat pra causa remota.

α. A proclivitate sanguinis ad putrefactionem spontanea.

β. A victu pure animali, defectu vegetabilium.

γ. A victu carnium putridarum, aut gelatina et albumine orbarum.

δ. A defectu alimentorum et potulentorum; aut a victu nimis tenui, pure vegetabili.

ε. Ab aquæ corruptæ usu longiore.

ζ. A respiratione habituali aëris atmosphærici varie corrupti.

η. Ab effluviis putridis cum alimentis aut saliva deglutitis, vel per pulmones, aut per cutem absorptis.

ϑ. Ab immunditie, squalore.

ι. A defectu exercitii.

κ. Ab exercitiis mentis et corporis violentis.

λ. A calore prægrandi.

μ. A calore, subito frigori glaciali succedente.

ν. Ab animi affectibus tristibus.

ξ. Ab excessu veneris.

ο. Ab excretionibus puris, ichoris, urinæ, sudoris etc. retentis aut suppressis, absorptis.

π. A gangræna, ulcere, carie, carkinomate, elephantiasi.

ρ. A medicamentis, sanguinis dissolutioni faventibus, assumptis.

σ. A venenis quibusdam aut miasmatibus peculiaribus.

τ. A morsura quorundam serpentum.

υ. A vermibus primarum viarum.

φ. A constitutione epidemica peculiari ad putredinem, et morbos inde pendentes, disponente.

χ. A magna virium mentis et corporis intensione, seu exhaustione prægressa (*).

G. CCIII. DYSBLENNIA.

Gr. Δυσβλεννία, a δὺς vitiose, et βλέννα, mucus: Dyscrasia muci.

Mucus tenacitate, spissitudine, tenuitate, aut acrimonia peccans (**).

N. B. Dysblennia sæpe cum Polyblennia complicata occurrit.

Mucus, a membrana mucosa in superficie corporis et in canalibus variis, accessui aëris aut actioni acrium expositis, secretus, in statu sano est fluidum limpidum, inodorum, insipidum, viscidum, adhæsivum, certa propor-

---

(*) Ex hac causa caro animalium longo cursu defatigatorum cito putrescit. Cur carnes animalium sanorum recens mactatorum æstate, ex procella, tonitru et fulgore prægressis, subito in putrefactionem abeant, nos adhuc latet.

(**) Veteres Græci mucum passim *Phlegma* (Φλέγμα), Latini *Pituitam* appellarunt, ejusque vitia varia distinxerunt, unde eorum Phlegma crassum, dulce, crudum, insipidum, acidum, salsum, et præcipue vitreum, præ acerbitate sua in intestinis tormina dira cum sensu frigoris, in ejus per intestina transitu, inferens.

tione aquæ et mucilagine animali compositum, in variis corporis partibus majore minoreve visciditate gaudens pro ratione aquæ contentæ, ultra hanc quantitatem extra corpus connubium omne cum majore quantitate aquæ respuens. Evaporata aqua mucilago solida remanet, quæ si aquæ immergitur, eandem quantitatem absorbet quam prius habuit, sed non majorem, eandemque fluiditatem ac visciditatem assumit ac antea. Vix continet salem, saltem nullo experimento sensibilem; sed si ejus secretio subito augetur, materia secreta sæpe tenuis fit et acris, salia sanguinis continens, partes vicinas stimulat, aut easdem a stimulo applicato non defendit. Si hæc secretio major longiore tempore continuat, materia viscida fit, quasi glutinosa, et colorem album, cinereum, flavum, aut viridescentem, et quandoque etiam odorem assumit. Præterea etiam in morbis, sæpe viru contagioso vario, syphilitico, carkinomatoso, ichoroso inquinatur; unde ex vitiis ejusdem variis leucophlegmatia, anorexia, dyspepsia, diarrhoea mucosa, blennorrhagiæ et blennorrhoeæ variæ, phlegmasiæ pituitosæ, infarctus, tumores etc.

G. CCIV. DYSCHYLIA.

Gr. Δυσχυλία, a δὺς, vitiose, et χυλὸς, chylus: Dyscrasia chyli.

Chylus spissitudine, acrimonia, aut putredine peccans.

Sp. 1. Dyschylia *Viscosa* s. *Spissa*.

Anorexia; bradypepsia; sensus repletionis in ventriculo; ructus insipidi, nauseosi; vomitus frequens aquæ aut muci insipidi; tumor ventriculi et ventris; dyscoilia; infarctus vis-

---

(*) Cum vitia chyli generaliter cum vitiis succi gastrici coincidant, quæ hic de chylo dixi, ad succum gastricum recte applicari possunt; hinc succus gastricus excessu, defectu, inertia, visciditate, aut acrimonia peccans. Succus gastricus in ventriculo secretus principale instrumentum est, quo alimenta et potulenta assumpta in pastam mollem, liquidam, et homogeneam vertuntur; substantias vegetabiles æque ac animales, tendines, cartilagines, et ipsa ossa emollit et dissolvit. In quibusdam casibus acrimonia sua ipsum ventriculum erosisse observatus fuit. Hic succus raro purus ex homine obtineri potest, sed plerumque magna quantitate salivæ, et muci, vel etiam bile, aut portione alimentorum residua mixtus obtinetur, hinc analysi chemica hactenus exacte investigari non potuit. Probabiliter naturæ diversæ est in animalibus graminivoris et carnivoris.

cerum,

cerum, vasorum, aut glandularum meseraicarum mucosi. Vide etiam *Polyblennia*, *Dysblennia*.

Variat pro causa remota:

α. A debilitate generali.
β. Ab asthenia ventriculi et intestinorum.
γ. A vita otiosa, lauta, somno nimio.
δ. Ab abusu spirituosorum.
ε. Ab abusu aquosorum tepidorum.

Sp. 2. Dyschylia *Acida*.

Ructus acidi; gasteralgia pyrosis; bulimia; dyspepsia; inflatio ventriculi, oppressio; pneumotosis; spasmi et tormina ventris; diarrhœa vel dysenteria acidum spirans; fæces alvi acres, viridescentes, porraceæ; tenesmus; sæpe simul aphthæ oris et ani; emphraxis vasorum et glandularum meseraicarum, unde tumor ventris. — Progressu morbi pallor cutis; sensatio frigoris; laxitas carnium; mollities aut fragilitas ossium; tumor epiphysium; assimilatio et nutritio vitiatæ; cnesmus; dolores; spasmi; convulsiones; pulsus acceleratus, debilis; stagnationes et obstructiones, aut excretiones abnormes; sudor acidum spirans; pustulæ; herpetes; ulcera cutis; caries; osteophthoria; leptismus, seu atrophia generalis.

VARIAT pro causa remota :

α. A lacte nutricis vitiato assumpto (Infantum).

β. A diuturno usu acidorum vel acescentium.

γ. A vitiis salivæ, succi gastrici, bilis, succi pancreatici variis.

δ. Ab asthenia ventriculi vel intestinorum.

ε. A vita sedentaria , aut neglectu exercitii debiti.

ζ. Ab atonia vel ab asthenia generali connata aut acquisita.

η. A morbis acutis vel chronicis prægressis.

Sp. 3. Dyschylia *Putrida.*

Ructus nidorosi , rancidi , acres , urentes, putridi ; sordes oris, linguæ , dentium , faucium putridæ; polydipsia præcipue acidulorum ; halitus fœtidus ; anorexia ; gasteralgia ; apositia carnium; vomitus materiæ amaræ , rancidæ, pinguis , acris , sæpe instar ignis urentis ; urina flammea, spumosa , acris , ardorem in urethra excitans ; fæces alvi pingues, fœtidæ , urentes ; alysmus ; sensatio caloris molesta ; ulcera faucium cinerea , cito gangrænescentia ; diarrhoea putrida. Progressu morbi asthenia generalis, hæmorrhagiæ vel hæmorrhoeæ, pinquedinis fusio et absorptio , ejusque

excretio per sudorem, alvum, urinam; atrophia; ulcera putrida; pyrexiæ variæ asthenicæ; phlogoses facile et cito gangrænescentes; sphakelus.

G. CCV. DYSGALIA.

Gr. Δυσγαλία, a δὺς, vitiose et γάλα, lac: Dyscrasia lactis.

Miscella aut qualitas chemica lactis vitiata, unde lac nimis crassum vel pingue ex parte caseosa, aut oleosa abundante; vel lac nimis tenue, aquosum; vel denique acre: acescens, acidum, salsum, amarum, aut humoribus heterogeneis, pure, sanguine etc. vitiatum (*).

Vide V. I. *Ischogalactia* et *Athelasia*. p. 264.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab animi pathematibus: Ira, mœrore, terrore, metu, zelotypia, odio etc.

(*) *Lac* est humor in mammis fœminarum gravidarum, præcipue post partum, secretus pro nutriendo infante — raro alio tempore. Lac continere potest quæcunque in ventriculum ingesta fuerunt, simpliciter aqua soluta, et in intestinis per vasa lactea absorpta, absque quod previe in chylum versa sint. Lac albi coloris, quiete et calore moderato, sponte secedit in duas

β. A coitu aut desiderio coitus vehementiori.
γ. A diæta prava, victu tenui.
δ. A medicamentis acribus, drasticis assumptis.
ε. A vitio scrofuloso, syphilitico, phthisi, aliisve cachexiis, aut pyrexiis variis.
ζ. A vitio quocunque primarum viarum.

---

partes, pars superior est oleum animale fixum, vulgo cremor dictum, crassior, magis opaca, et magis alba — inferior constat ex parte coagulabili, vulgo caseosa dicta, saccharo et pauco oleo, in aqua solutis. Lac saporem recipit ab assumptis nutrimentis. Humor est diversus in diversis fœminis non solum, sed etiam in eadem fœmina diversis temporibus proportione ingredientium varians. Pars coagulabilis nonnisi calore aquæ bullientis, portione aquæ ejus evaporata coagulatur, sed coagulatio ejus facilis est per succos in ventriculo contentos. Lacte aëri calido exposito per aliquot tempus, pars ejus saccharina fermentat, et in acidum mutatur, ac coagulat partem coagulabilem; idem fit si lac diutius in mammis stagnat, aut etiam si fœmina subito animi pathemate cum anxietate juncto afficitur. — Lac majori quantitate post partum secernitur in mammis quam alio tempore. — Lac fœminæ per aliquot tempus jejunæ continet minorem quantitatem olei, partis coagulabilis et sacchari, ac præterea sales neutros sanguinis. In quibusdam fœminis, lac semper continet sales sanguinis; aut materiam sebaceam in glandulis papillæ secretam: Ab hac materia sebacea, lac non solum amaritiem contrahit, sed etiam crassiorem consistentiam et colorem magis flavum acquirit.

G. CCVI. DYSPIONIA.

Gr. Δυσπιονία, à δὺς, vitiose, et πῖον, pinguis : Dyscrasia pinguedinis.

Adeps seu sebum corporis humani spissitudine, tenuitate, vel acrimonia peccans.

Oleum pingue in telam cellulosam depositum, gradatim inspissatum adipem constituit. Hic adeps in sebum æquo durius abiens, sæpe in omento ac in panniculo adiposo cutaneo, indurationes, steatomata, tubercula, mole, forma, duritie, degeneratione multum diversa, format. Adeps in omento vel in tunica cellulosa collectus sæpe vi vitæ, exercitiis violentis, mœrore, curis, aliisque animi affectibus tristibus, aut acrimonia varia sanguinis, aliisve causis, solvitur, attenuatur, et absorptus per urinam, sudorem, alvum ruit, ut in pyrexiis, syntexi, marasmo, scorbuto quotidie observamus. Oleum pingue quandoque etiam corruptione sibi peculiari, rancorem induit, acrimonia sua rodentem, urentem, ipsisque etiam ossibus cariem inferentem. Adeps quoque non raro in cute tumorem inertem, non

elasticum, vel tubercula dura (*), quandoque in ulcera abeuntia causat. Vide etiam *Polypiotes.*

G. CCVII. DYSPERMIA.

Gr. Δυσσπερμία, a δύς, vitiose, et σπέρμα, semen virile: Dyscrasia seminis virilis.

Semen virile spissitudine, tenuitate, aut acrimonia peccans.

Semen magis odoriferum est, quo diutius accumulatum, et quo homo fortior est. — Tenuius et inertius quo homo debilior, aut quo evacuationes hujus liquoris frequentiores sunt. Quandoque in vesiculis seminalibus concrescit in substantiam duram, quæ ex albumine inspissato, quod magna quantitate continet, constat. Vide *Hyperorgosis*, *Astysia*, *Dysspermasia*, *Spermacrasia.*

G. CCVIII. DYSCHOLIA.

Gr. Δυσχολία, a δύς, vitiose et χολή, bilis: Dyscrasia bilis.

Bilis spissitudine, tenuitate, inertia, aut acrimonia, vel etiam putredine peccans.

(*) Ut nuper in fœmina 50 annorum vidi, in qua omentum numerosis tuberculis ovi columbini magnitudine, duris, indolentibus obsitum erat.

N. B. Dyscholia sæpe cum polycholia juncta occurrit.

Sp. 1. Dyscholia *Spissa*.

Spissitudo bilis abnormis, a defectu aquæ, aut excessu resinæ et albuminis, nec non a mora ejus diuturna in vesicula fellea pendet; unde in morbis sæpe picis fuscæ aut atræ consistentiam acquirit, vel etiam in calculos duros concrescit. Bilis in hepate hærens infarctus hujus visceris duros, et in massam sanguinis delata icterum causat : Ex ductu choledocho, bile spissiori aut calculis biliosis obstructo, oritur bilis defectus in duodeno, et ex hoc defectu aciditas in primis viis, dyspepsia, motus peristaltici languor vel defectus; unde dyscoilia, fæces cinereæ, albæ, duræ, odor fæcum sæpe putridum spirans. Ex calculis in ductu choledocho impactis sæpe dolores et spasmi violentissimi, ischocoilia, icterus et tandem, morbo sæpius redeunte, atrophia generalis. Bilis in ictero massæ sanguinis admixta per omnia vasa secretoria secernitur, urinam croceo colore tingit, cutem luteam reddit, succedente cnesmo summe molesto. Vide infra *Icterus*, et *Cholelithiasis*.

Sp. 2. Dyscholia *Tenuis.*

Bilis tenuis, vel aquosa iners est, vel simul acrimonia peccat. Aquosa iners in osteomalakia infantum et hydrope frequens: Tenuis et acris sæpe in cholepyris.

Sp. 3. Dyscholia *Acris.*

Bilis acrimonia variat, ut ex iis quæ supra de analysi bilis dixi, patet Acrimonia resinosa, a resina quantitate aut qualitate peccante, in climate calido frequentissima, apud nos etiam æstate frequens, unde cholerrhagiæ, aut dysenteriæ biliosæ, cholepyræ, hepatis infarctus, inflammatio, abscessus. Bilis *acida* sæpe fit ab acidis ei in duodeno ultra modum admixtis, unde primo saturatur soda, et præcipitatur resina, dein hæc ipsa acidissima fit et acerrima, viridis, porracea, æruginosa, fæces eodem colore tingens. Eundem effectum sæpe observamus a perspiratione subito suppressa, a dysodontiasi infantum, a diæta prava, ira vehementi etc; unde cholerrhagia violenta, vomitus æruginosus, enteralgia, dysenteria etc. Bilis *putrida* fusca, nigra, plerumque simul instar picis spissa, quandoque coloris cinerei, putridum vel etiam ambram redolens; unde summa virium prostratio, alysmus, oppressio

ad præcordia, hyperemesia aut inanis vomendi conatus, cholepyræ pessimæ, ochropyra etc.

Variat pro causa remota:

α. A vitiis diætæ : Ex abusu liquorum spirituosorum, pinguium, oleosorum, carnium, piscium.

β. Ab æstu climatis aut atmosphæræ prægrandi.

γ. Ab exercitiis violentis, aut etiam ex mora diuturniori sub sole, corpore radiis solaribus exposito, in zona torrida (*).

G. CCIX. DYSSIALIA.

Gr. Δυσσιαλία, à δὺς, vitiose et σίαλον, saliva : Dyscrasia salivæ.

Saliva spisitudine, tenuitate, ac inertia aut acrimonia peccans.

Saliva in morbis sæpe tenax, viscosa, insipida, vel dulcis in marasmis et dialeipyris rebellibus, amara in polycholia; salsa aut acida, succos vegetabilium cæruleos rufescens, vel

---

(*) Canes ex Anglia in Indiam orientalem translati, sæpe unica vice per paucum tempus dormientes, radiis solaribus expositi, ex bilis dyscrasia cito pereunt.

summe acris corrosiva (*); jejunio aut inedia sapore et odore fœtida, et in scorbuto ac septorrhepyra quandoque etiam putrida evadit.

Variat pro causa remota:

α. A catarrheumate.

β. A vitiis narium, ozæna, carie, polypo.

γ. A vitiis faucium, ulceribus putridis, syphiliticis.

δ. A carie maxillæ aut dentium.

ε. A dystontiasi.

ζ. Ab usu interno vel externo, aut vaporibus hydrargyri.

η. A vitiis ventriculi aut emphraxi splenis.

ϑ. A podagra aberrante.

ι. A diadexi seu metastasi humoris acris ad glandulas salivales.

G. CCX. DYSDACRYA.

Gr. Δυσδακρύα, a δὺς, vitiose et Δάκρυον, succus s. humor lacrymalis: Dyscrasia humoris lacrymalis.

Humor lacrymalis spissitudine, tenuitate aut acrimonia peccans.

(*) Fœminam aliquot abhinc annis tractavi, frequenter doloribus summis oris et capitis excruciatam, in qua saliva acerrima non solum membranam oris, linguam et

Humor lacrymalis in Rubeola sæpe summe acris est, corrosiva, ductum nasalem excorians, et sternutationem frequentem excitans: In coryza initio tenuis, acris, limpida; progressu morbi crassior, tenacior fit et flavescens: in phlogosi glandularum tarsi, in scrofula, aliisve morbis gravibus sæpe in tarso in humorem crassum (Λημη gr.) inspissatur.

G. CCXI. DYSHIDRIA.

Gr. Δυσιδρία, a δυς, vitiose, et Ἱδρὼς, sudor: Sudoris aut humoris per cutem transpirabilis dyscrasia.

Sudor spissitudine, tenuitate aquosa, aut acrimonia peccans.

Sp. 1. Dyshidria *Spissa*.

Sudor tenax, viscosus a laxitate aut debilitate vasorum cutaneorum ortus, magnam quantitatem albuminis, et gelatinæ continet; præcipue in morbis asthenicis, et tunc plerumque cum frigore cutis junctus est.

---

palatum quasi ferro adusta exederat, sed etiam crustam adamantinam dentium adeo corroserat, ut dentes emolliti, dein carie exesi deciderent.

Sp. 2. Dyshidria *Tenuis.*

Sudor tenuis, aquosus a dissolutione sanguinis ortus, colliquativus, summe debilitans, præcipue in quibusdam febribus, aut etiam in phthisi ulcerosa, aliisve marasmi speciebus. — Quandoque odoris putridi, cadaverosi, ut in scorbuto aut febribus asthenicis; unde homines, subtiliori odoratu gaudentes, ex sentito hoc odore peculiari sæpe mortem ægri, pluribus diebus ante, recte prædicere valent.

Sp. 3. Dyshidria *Acris.*

Sudor, a diversitate principiorum in eo dominantium, sæpe acidus est in morbis ab acido primarum viarum, in helminthiasi, in infarctibus vasorum et glandularum meseraicarum, in osteomalakia, scrofula, spasmis, quandoque etiam in febribus aut exanthematibus variis. Sudor etiam in ischuria renali, et in ulceribus vesicæ sæpe urinæ odorem assumit, et in ictero colorem flavum. Vide etiam V. I. p. 218, *Hyperhidrosis.*

G. CCXII. DYSURESIA.

Gr. Δυσουρησια, a δὺς, vitiose, et οὖρον, s. οὔρησις, *Hipp.* urina : Dyscrasia urinæ.

Urina spissitudine, tenuitate aquosa,

miscella abnormi varia, aut acrimonia, vel etiam putredine peccans (*).

Sp. 1. Dysuresia *Spissa.*

Urina crassior fit a majori qnantitate albuminis et ureæ seu extractivi, præcipue si cum salibus intimius mixta, sedimen non formant: eo crassior et magis turbida, quo organum secretorium renum magis relaxatum aut debilitatum est, in statu crudo pyrexiarum, aut in morbis diu durantibus : Hinc urina jumentosa, nonnisi in summo gradu astheniæ,

---

(*) Urina in genere etiam in statu sano multum variat, pro proportione salium aliarumve substantiarum ex massa sanguinis in renibus secretarum, in ea contentarum. Quo plus homo bibit, eo majori copia secernitur, limpida aquosa. *Lactea* ab ingluvie, ab assimilatione humorum impedita, ab actione vasorum irregulari, a debilitate, helminthiasi infantum, in marasmis, ulcere renum, ubi pus, albumen etc, ex sanguine per urinam secedunt. *Flavedo* urinæ ab urea pendet; eo magis rubra quo urea copiosior et intimius cum urina mixta est. *Crocea* a bile; *Viridis* a corruptione bilis et humorum in genere. *Cæruleus* a quantitate albuminis cum acido prussico juncta in urolithiasi, et quandoque etiam in podagra. *Nigra* a corruptione humorum putrida, vel a bile atra aut a sanguine nigro in infarctu hepatis aliorumve viscerum abdominalium absorpta et per renes evacuata ; si sedimentum non deponit, periculosa.

in dissolutione putrida sanguinis, quandoque etiam tempore metastasium observatur. *Sedimentum* urinæ crassum, furfuraceum a copia majore albuminis, aut a cruditate humorum, non sufficienter elaboratorum, pendet; sedimentum lateritium in crisi febrium, in dialeipyris, ictero, infarctu hepatis, etc.: *Urina oleosa*, pinguis est a pinguidine fusa ex violentis exercitiis, febribus variis, syntexi.

Sp. 2. Dysuresia *Tenuis*.

Urina tenuis, aquosa est, ab aqua prædominante in junioribus, post potum copiosiorem, præcipue aquosum assumptum, in initio febrium, a spasmis, ab animi affectibus, a debilitate, in metastasibus. Vide *Urorrhœa*.

Sp. 3. Dysuresia *Acris*.

Urina in statu sano acris est ab acido phosphorico libero quod semper continet, et a salibus variis in ea prædominantibus, ex massa sanguinis per renes secretis. In morbis quandoque ex majore quantitate acidi phosphorici et salium acris corrosiva fit; quandoque etiam *alcalina* cum acidis fermentans, et colorem vegetabilium cæruleum in viridem mutans; — quandoque *saccharina*, magnam sacchari

portionem continens. Vide *Urorrhagia.* Urina nimiam copiam salium continens, frigefacta in pluribus morbis crystallos deponit.

G. CCXIII. DYSCOPRIA.

Gr. Δυσκοπρία, a δὺς, vitiose, et κόπρος, fæces alvinæ : Dyscrasia fæcum.

Fæces alvinæ nimia spissitudine, tenuitate aut acrimonia varia peccantes; unde dyscoilia, ischocoilia, tormina ventris, enteralgia varia, diarrhoeæ, dysenteriæ, tenesmus.

Dyscopria sæpe cum polycholia, oligocholia, dyscholia, dyschylia, dysblennia etc. juncta occurrit, vel ab his morbis ut causa primaria dependet. Spissitudo fæcum a nimia quantitate albuminis, muci etc., vel a longa earum in canali intestinali mora, absorptis aquosis, oritur. Acrimonia varia, acida, rancida, putris, ab asthenia ventriculi et intestinorum, a victu pravo, vitiis diætæ, dyscrasia muci, chyli, succi gastrici, pancreatici, enterici, aut bilis maxime dependet.

Dyscrasia a fluidis loco aberrantibus.

Humor corporis inquilinus e suis in aliena vasa delatus, spissitudine, tenuitate aut acri-

monia peccans, cum obstructionis, effusionis aut excretionis vitio vario. Vide supra V. I. p. 270, APOPLANESES.

Huc præprimis pertinent :

1. PINGUE in membrana cellulosa stagnans, subito ex ea absorptum et in massam sanguinis delatum.
2. BILIS in massa sanguinis diffusa in ictero, cholepyra, ochropyra.
3. SUDOR, seu materies perspirabilis in cute retenta, in massam sanguinis regurgitans.
4. URINA : Secretio urinæ in ischuria renali impedita, vel ejusdem secretæ extravasatæ, aut ex ulcere vesicæ, urethræ etc. in massam sanguinis absorptio.
5. LAC in mammis secretum in massam sanguinis absorptum.
6. PUS, ichor, sanies varia, ex apostemate aut ulcere quocunque absorpta, et in massam humorum delata.
7. MATERIES morbosa quæcunque, febrilis, podagrica, syphilitica, herpetica etc. cruda vel cocta, metastatice in locum quemcunque deposita, in massam sanguinis reabsorpta.
8. AËR, seu gaz elasticum quodcunque in aliena cava aut in membrana cellulosa effusum, tumores aëreos, elasticos causat, plus minusve

late

late diffusos, quandoque per universam corporis superficiem expansos; inde pneumatosis, tympanites, emphysema, ructus, flatus, borborygmi, crepitus; vel gaz elasticum in humoribus latens, calore, motu inordinato, fermentatione, putredine aliave causa quacunque evolutum, recuperata elasticitate seorsim sese congregans, expansione sua tumores elasticos, flatuosos, prioribus similes, vel physepsophiam variam producit.

Apoplaneses ipsæ, seu aberrationes fluidorum præcipuæ, a Pathologiæ scriptoribus notatæ, sunt:

A. *Errores Impactorum.*

Aberratio humoris crassioris aut spissioris in vasa aliena, minora, ibique stagnationem aut obstructionem inducens, unde infarctus, tumores, inflammationes, etc.

B. *Errores Effusorum.*

Ubi humor e suis vasis effusus e corpore non evacuatur, sed partium interstitiis receptus colligitur ac stagnat, vitio triplici:

Anastomosi (Gr. Ἀναστόμωσις), seu dilatatione aut relaxatione immodica orificiorum vasorum.

Diapedesi (Gr. Διαπήδησις), seu dilatatione

aut distractione laterum vasorum, ita ut fibræ membranas cavitatum constituentes a mutuo contactu sine solutione continui recedentes, seu dehiscentes fluido contento transudationem permittant.

Diæresi (Gr. Διαίρεσις), seu divisione aut cohæsione fibrarum vere soluta; idque *Rhexi* (Gr. Ῥῆξις), dum parietes cavorum integri, aut orificiorum margines rupti vel perforati sunt, vi mechanica, vel ruptura a contentis distendentibus illata, vel *Diabrosi* (Gr. Διάϐρωσις), seu erosione ab acribus. — In rhexi contingit vel simplex contentorum elapsio; vel humor protrusus in cava distenta, ibi hærens, motu vasorum vehementiore, vel corruptione, aut compressione nata gangrænam inducit; aut tenuiore parte absorpta vel transudante, crassiore retenta, paulatim densata, tumores varios, molles vel duros, phlogoses, hæmorrhagias, apostemata, exanthemata etc. causat.

Lympha, vel etiam serum sanguinis, in telam cellulosam effusa, tumorem totius corporis habitus aut partium singularium; in cavis magnis parvisve accumulata, pustulas, bullas, phlyctænas, leucophlegmatiam, hydropem varium, aut œdemata crurum causat.

Bilis, sub cuticula effusa, icterum, erysipelas, cnesmum summe molestum producit.

Lac eodem modo effusum, tumores, eccrises varias, inflammationes viscerum, maniam etc. inducit.

Pus, ichor, materies morbosa varia, in cavitates vel interstitia partium effusa, empyemata, apostemata, sinus, fistulas, ulcera, gangrænam, tumores metastaticos salutares vel noxios etc. inferunt.

C. *Errores Excretorum.*

Ubi humor quicunque in aliena vasa propulsus, horumque ostiis elapsus, modo abnormi e corpore ejicitur, idque sæpe damno irreparabili, si materia utilis, ut chylus, sanguis, serum, lympha, gelatina, mucus etc. excretione per alvum, cutem, urinæ vias, etc. elabitur; unde alvi profluvia varia, hyperhidrosis, urorrhagia chylosa, albuminosa, saccharina; hæmorrhagiæ, hæmorrhoæ, blennorrhagiæ, aut blennorrhoæ variæ etc.; vel si materia in corpore inutilis aut noxia, a natura excretioni destinata ad aliud, non suum organum excretorium defertur, ut bilis, lac, sanguis menstruus vel hæmorrhoidalis, urina, perspirabile, fæx alvina etc. ad varia loca aliena deposita.

CL. IV. O. II. DYSTONIÆ.

A Gr. Δὺς, male, et τόνος, tonus, *lat.* tensio: Tonus *s.* tensio fibrarum abnormis.

Fibrarum et partium mollium ex his compositarum, primitivarum seu simplicium corporis, cohæsio abnormis, excessu aut defectu peccans.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt:

Genus I. HYPERTONIA.
II. ATONIA.

OBSERVATIONES GENERALES.

Ad morbos ex tono fibrarum abnormi oriundos rectius intelligendos quædam jam supra Vol. I. p. 288, memoravimus, quæ hic amplius discutienda sunt.

Auctores vim vitæ cum tono fibrarum seu staminum primitivorum corporis confundere assueti, nonnisi notiones vagas aut erroneas de statu morboso utriusque nobis communicare potuerunt, quas corrigere et exactius stabilire oportet.

Partes corporis humani solidæ ex fibris, et hæ fibræ ex moleculis seu elementis primitivis constant, a vi plastica seu formatrice, quam hodie vulgo *Naturam*, et Græci olim Φυσεν Ενόρμον appellarunt, arte summe mirifica, et modo optimo, sed nobis omnino incognito, compactis. Ex his fibris juxta se positis tela cellulosa, et ex hac varie coadunata aut condensata membranæ, ligamenta, aliæve corporis partes solidæ, sive molles, sive duræ, formantur. Hæ partes ita compactæ inter se et

cum aliis certa vi cohærent, quam ideo *vim cohæsivam* seu *cohæsionem* elasticam fibrarum nominarunt. Hæc vis cohæsiva et elastica solidorum a vi contractili fibrarum motricium seu musculorum, de qua supra Vol. I. p. 280, et seq. egimus, probe distinguenda est. Posterior a stimulis variis applicatis facile et evidenter in motum cienda *vis activa* est, fibris motricibus insita, hodie *irritabilitas* dicta; prior vero, nulli stimulo interno vel externo obediens, mere *passiva* est, qua solida a vi quacunque mechanica ultra statum suum ordinarium seu normalem extensa, eadem cessante in eundem, quem antea habuerunt situm redeunt, nobis *Tonus* solidorum audit. Irritabilitas brevi post vitam cessat, tonus solidorum e contra post mortem eo usque durat, donec dissolutio chemica elementorum corporis incipiat.

Hic Tonus, seu cohærentia fibrarum et solidorum corporis humani, a Græcis Τόνος, hodie etiam vulgo *Robur solidorum*, à Latinis Tensio dictus, variat; 1.° pro ratione densitatis vel laxitatis, qua elementa fibras constituentia inter se compacta aut agglutinata sunt; 2.° pro ratione crassitiei vel tenuitatis ipsarum fibrarum ita compactarum.

Cohærentiam justi gradus, seu compagem

solidorum simplicium ad munera sanitatis rite obeunda aptam, cum Græcis *Eutoniam* (Ἐυτονια) seu *Tonum normalem;* cohærentiam vero functiones corporis rite perficiendi impotem *Dystoniam* (Gr. Δυστονια) seu Tonum abnormem appellamus. Dystonia ipsa denuo, vel excessu vel defectu peccare potest. Cohærentia excessu peccans *Hypertonia* (Gr. Ὑπερτονία), seu Tonus fibrarum nimius, *Lat.* Rigiditas audit. Cohærentia imminuta et ad functiones corporis perficiendas insufficiens, *Atonia* (Gr. Ἀτονία), seu Tonus fibrarum justo minor vel deficiens, *Lat.* debilitas fibrarum dicitur.

Gradus cohæsionis autem diversarum corporis partium pro usu eorum vario diversus est, a termino fluiditati fere contiguo ad ossis duritiem usque protensus. Est etiam, ut generatim sanitatis, ita etiam toni seu roboris legitimi solidorum, latitudo quædam pro ætate, sexu, temperamento, vitæ genere etc. varians, proportione harmonica, ut *Gaubius* bene notat, potius quam absoluta mensura determinanda; ita cohæsionis gradus, qui aliis normalis est, aliis abnormis seu morbosus esse potest.

Elasticitas est vis fibræ, qua extensa aut dilatata, cessante extensione aut dilatatione, in pristinum suum statum redit. In genere,

quo cohærentia fortior, eo elasticitas major est, sed in cohæsione nimis aucta extensibilitas tollitur, hinc elasticitas pauca vel nulla; in cohæsione imminuta e contra extensibilitas partis solidæ augetur, sed facultas, post factam extensionem in pristinum statum redeundi, sæpe deficit.

Tonus itaque seu cohæsio et elasticitas fibrarum et solidorum ex his compositorum, partim a proportione elementorum, partim a proximitate, qua hæc elementa inter se compacta sunt, id est, a crassitie aut teneritudine ex una parta, et a densitate aut laxitate fibrarum ex altera parte dependet. Cohæsio partium corporis eo fortior seu firmior erit, quo fibræ crassiores et densiores; et eo debilior, quo fabrica fibrarum rarior seu laxior, vel quo fibræ tenuiores aut graciliores sunt. Magna cohæsionis pars etiam pendet a glutine intermedio, quo elementa fibras constituentia inter se coadunata sunt.

Hæc fibrarum, et solidorum inde compositorum, theoria doctrinam de temperamentis multum illustrat.

Fibra crassa æque ac fibra gracilis, compagem densam vel laxam habere potest. Ex fibris crassis et densis seu strictis corpora firma, rigida; ex fibris crassis et laxis corpora mollia,

flaccida; ex fibris tenuibus et densis seu strictis corpora gracilia et sicca; et ex fibris teneris et laxis corpora gracilia humida et flaccida oriuntur.

Hæ qualitates diversæ fibrarum et partium mollium certam rationem habent ad symetriam corporis, hinc diversitas uni salutaris, sæpe alteri morbosa est.

CL. IV. O. II. DYSTONIÆ.

G. CCXIV. HYPERTONIA.

Gr. Ὑπερτονία, ab ὑπερ, nimium et τόνος, tensio : Tonus *s.* Cohæsio fibrarum nimia.

Cohærentiæ fibrarum et telæ cellulosæ, membranarum, ligamentorum, aliorumve solidorum ex iis compositorum excessus ; seu nisus in cohæsionem distractioni justo magis resistens (*).

Syn. Rigiditas fibrarum (**)
Rigiditas solidorum
Tensio nimia solidorum.
Constitutio corporis sicca.
Habitus corporis rigidus, *s.* nimis strictus.
Immobilitas *s.* Inflexibilitas.
} *Auct.*

(*) Quo cohærentia major, id est, quo plus puncta contactuum in solidis aucta sunt, eo extensibilitas aut flexibilitas partis difficilior.

(**) Hæc rigiditas permanens minime confundenda est cum rigore transitorio febrili, aut cum rigore spastico seu spasmo tonico, vel cum akinesia musculorum.

I. Hypertonia generalis.

II. Hypertonia topica.

Sp. 1. Hypertonia *Tenax*.

Cohærentia fibrarum et partium mollium corporis justo major, mobilitatem earum plus minusve impediens, sed distractionem magnam, etsi difficiliorem, absque ruptura ferens.

Plerumque cum difficultate ad motum, siccitate corporis, circulatione sanguinis lenta, pulsu tardo, forti vel duro, anerethisia, anæsthesia, et dyscrasia humorum pituitosa juncta.

Syn. Tenacitas nimia solidorum.
Rigiditas senilis.

Sp. 2. Hypertonia *Dura*.

Rigiditas seu cohærentia partium mollium nimia, inflexilis, suetis viribus non cedens. Partium mollium durities abnormis, sæpe substantiam cartilagineam aut osseam æmulans.

Variat pro *causa remota* :

α. A vitio hæreditario seu temperamento melancholico dicto.

β. A defectu humorum aquosorum, seri, muci, gelatinæ in massa sanguinis, aut in partibus solidis.

γ. A nimia abundantia partis fibrinæ aut albuminosæ.

δ. A coagulatione fibrini vel albuminis.

ε. Ab educatione rudiore.

ζ. A labore habitualiter duro, exercitiis nimiis.

η. Ab alimentis difficilioris digestionis, siccis, adstringentibus, stimulantibus.

ϑ. Ab abusu liquorum spisituosorum, adstringentium.

ι. A defectu nutritionis.

κ. A senio (*senilis*).

λ. A climate aut temperatura atmosphæræ sicca, frigida vel calida.

μ. Ab abusu balneorum frigidorum.

ν. A vestimentis aut fasciis etc. arctioribus.

ξ. Ab inflammationibus topicis prægressis (*topica*).

ο. Ab emphraxi vasorum aut viscerum etc.

G. CCXV. ATONIA.

Gr. Ἀτονία. ab α neg. et τόνος, tonus: Debilitas seu tonus fibrarum deficiens (*)

Fibrarum, partes molles corporis constituentium nisus in cohæsionem tam

(*) Debilitas seu Atonia fibrarum sollicite, ut antea monui, a debilitate solidi vivi distinguenda est, de qua

parvus, ut distensioni aut extensioni justo facilius cedat, et pars vi distracta in pristinum statum redire non valeat; hinc functiones corporis rite perficiendi impos. Cutis alba, pallida; glabrities corporis; capilli rari, tenues, molles, albescentes vel flavescentes; mollities et flacciditas carnium; segnities ad motum.

Syn. Constitutio seu habitus corporis debilis.
Fibra laxa, debilis.
Laxitas seu relaxatio fibrarum præternaturalis.
Debilitas, seu imbecillitas solidorum.
} *Auct.*

A. A weak habit of body; a feeble or weak constitution.

G. Constitution foible, délicate.

Ge. Zarter oder schwacher körperbau; Schwäche der fasern.

---

vide V. I. p. 297. G. *Asthenia.* Hæc dictinctio in praxi summi momenti est: Asthenia ex viribus vitæ exhaustis orta, incitantia et stimulantia; Atonia adstringentia requirit.

I. Atonia generalis.

II. Atonia topica.

Sp. 1. Atonia *Crassorum.*

Compages fibrarum et partium mollium corporis crassa, laxa, inelastica. Carnes molles, flaccidæ; corpulentia generalis, sed præcipue pinguedo abdominis; dispositio ad emphraxes, hydropes, blennorrhœas et morbos pituitosos.

Variat pro *causa remota:*

α. A vitio hæreditario, vel connato, temperamento phlegmatico.

β. Ab educatione effœminata, molli.

γ. A defectu exercitii corporis debiti.

δ. A vita sedentaria, lauta, otiosa.

ε. Ab abusu potuum aquosorum, aut balneorum tepidorum.

ζ. Ab alimentis mucosis, gelatinosis.

η. A climate aut temperatura atmosphæræ humidis, præcipue humido-calidis.

ϑ. Ab animi pathematibus tristibus, curis, mœrore etc.

ι. A somno habituali nimio.

κ. Ab evacuationibus sanguineis, mucosis, aliisve profusis.

λ. A dyscrasia humorum variorum.

μ. A morbis gravibus acutis vel chronicis prægressis.

Sp. 2. Atonia *Tenerorum*.

Fibræ, et partes molles ex iis compositæ, tennues, graciles, laxæ, debiles, justo facilius extensiles, sed extensæ ad rhexin aut fissuram pronæ. Cutis alba, pallida; capilli rari, tenues, flavescentes; glabrities; carnes molles; flaccidæ; tenuitas seu gracilitas corporis, sæpe cum asthenia cordis et systematis arteriosi, ac hyperkinesia juncta : dispositio ad blennorrhœas, rhexes, et dyscrasias varias.

Variat pro *causa remota:*

α. A vitio hæreditario vel connato.

β. Ab educatione effœminata, molli.

γ. A defectu exercitii debiti in aëre libero.

δ. Ab evolutione seu incremento corporis subito.

ε. A nimia mentis intensione, lucubratione, studiis.

ζ. Ab agrypnia diutius continuata.

η. Ab excessu veneris, anaphlasis, aselgotripsiæ.

ϑ. A spermacrasia.

ι. A dyscrasia humorum.

κ. Ab atrophia.

λ. Ab animi pathematibus.

CL. IV. O. III. MARASMI.

Gr. Μαρασμοί, Marcores.

Emaciatio seu extenuatio corporis abnormis, morbosa.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt:

Genus I. PHTHISIS.
II. ATROPHIA.
III. PÆDATROPHIA.
IV. MELATROPHIA.
V. SYNTEXIS.

Marasmi symptomatici sunt:

1. Phthisis vel Atrophia scorbutica.
2. ——— ——— scrofulosa.
3. ——— ——— syphilitica.
4. ——— ——— hydropicorum.
5. ——— ——— ictericorum.
6. ——— ——— ab avante.
7. ——— ——— a chordapso.
8. ——— ——— ab urorrhagia.
9. ——— ——— ab osteomalakia.
10. ——— ——— ab emphraxi.
11. ——— ——— ab helminthiasi.
12. ——— ——— a carkinomate.

OBSERVATIONES

OBSERVATIONES GENERALES.

TABIDI in genere ab Hippocrate Φθινώδεες appellantur. Nos emaciatione cum febre laborantes *Phthisicos* seu *tabidos*, et eos qui emaciatione sine febre laborant, *Atrophicos* appellamus. Quidam auctores, ut *Sauvages* et *Cullen*, tabem ut morbi genus a phthisi distinctum considerarunt, sed ut mihi videtur, minus recte. *Celsus* nomen Tabis eodem fere sensu adhibet, quo nos Marasmum, ideoque Phthisin et Atrophiam, ut species Tabis, considerat.

Macies præcipue oritur ex defectu, et sæpe simul ex acrimonia adipis.

Consumitur autem in marasmis sæpe non solum pinguedo in tunica adiposa sub cute aut in omento, vel in membrana cellulosa, aut in interstitiis musculorum, vel circa viscera varia collecta, sed pars gelatinosa præterea æque ac albuminosa, ad nutritionem corporis necessaria, in massa sanguinis vel non debite formantur, vel formatæ illico per pulmones, cutem, aliave corporis excretoria difflantur.

Quandoque pinguedo omnis subito funditur, et absorpta per varia corporis excretoria, urinas, alvum, sudorem e corpore dilabitur, ut præcipue fit in febribus quibusdam acutissimis, syntecticopyra, cholepyra ardenti etc., aut a venenis vel pharmacis drasticis assumptis. In aliis casibus, pinguedinis formatio vel secretio omnis impeditur. In quibusdam marasmis carnes intactæ manent; in aliis pars fibrina et albuminosa, musculorum carnes essentialiter constituens, omnis ita absumitur, ut musculis flaccidis, pallidis, exsuccis et summe extenuatis, nihil fere nisi cutis et ossa remaneant.

CL. IV. O. III. MARASMI.

G. CCXVI. PHTHISIS.

Gr. Φθίσις, Tabes. *Lat.*

Totius corporis emaciatio, cum febre hectica quotidiana remittente, vel febre lenta continua juncta. Leptismus; squalor et siccitas totius corporis, sed maxime frontis; tempora collapsa; oculi cavi; imus venter extenuatus, et præcordia versus thoracem contracta; pulsus frequens, durus, quandoque debilis; calor cutis primo mitis, progressu morbi acer, quasi mordax et medico palpanti molestus; lingua nitida, prærubra, sicca; ardor internus constans; polydipsia, absque quod æger sese febricitare sentiat, sed ab alimento sumpto, frequenter febris evidens, horror et frigus, dein calor auctus, pulsus major et velocior, subsequente sudore profuso (*); tandem

(*) Hæc est marasmopyra seu *Febris hectica* proprie sic dicta; sed non raro a pure, majore quantitate resorpto,

diarrhoea et sudores colloquativi ; aphthæ, et sub finem, sæpe sub optima spe ægri futuræ reconvalescentiæ, mors.

SYN. Marasmus calidus. *Auct.*

A. Consumption.
G. Consomption ; Etisie.
Ge. Schwindsucht.

Sp. 1. Phthisis *Purulenta, Ulcerosa.*

Utplurimum prægressa hæmoptysi et inflammatione, Phthisis ex apostemate rupto vel clauso ; hinc ex ulcere, aut empyemate vel vomica.

SUBSPECIES aut VARIETATES Phthiseos purulentæ seu ulcerosæ sunt :

A. *Phthisis Pulmonalis aut Trachealis.*

Phthisis seu extenuatio corporis, cum febre hectica, dyspnœa et tussi sicca, ex empyemate aut vomica ; vel humida purulenta, ex ulcere aperto pulmonum orta (**).

SYN. Phthoë (Φθόη, Græc).

Febrem continuam lentam sine exacerbatione notabili observamus. Vide supra Vol. I. p. 45. *Marasmopyra.*

(**) Quandoque, maxime in subjectis teneris, cute alba, oculis cæruleis, genis roseis, fibra delicata et summe irritabili, ac ingenio subtili gaudentibus, collo gracili,

A. Pulmonary consumption.
G. Pulmonie; Phthisie.
Ge. Lungensucht.

Variat pro causa remota:

α. Hæreditaria, a vitio parentum.
β. Connata a vitio organico pulmonum, vel thoracis.
γ. A pneumonitide prægressa.
δ. Ab inflammatione et suppuratione pleuræ ejusque appendicum, mediastini, pericardii, aut superficiei diaphragmatis thoracem spectantis.
ε. Ab hæmoptoë prægressa.
ζ. Ab uno vel pluribus tuberculis aut glandulis pulmonum ex variis causis obstructis, suppurantibus. (*Phthisis pulmonalis tuberculosa.* Auct.)
η. A catarrho neglecto vel male tractato.
ϑ. A rubeola neglecta vel male tractata.
ι. A pertussi aut a tussi stomachica violenta.
κ. Ab exanthematibus aut morbis cutaneis retrocedentibus.

---

thorace angusto et extantibus scapulis præditis, præter ulcus pulmonum simul adest inflammatio partium vicinarum constans cum hæmoptoë. Hæc complicatio est *Phthisis inflammatoria sanguinea* s. *florida* Auct. *Angl.* Galloping consumption.

λ. Ab erysipelate, aut arthritide rheumatica vel podagrica retrocedentibus.

μ. Ab hæmorrhoidibus, menstruis, fluore albo suppressis.

ν. Ab ulcere syphilitico pulmonum.

ξ. A pyoplania, seu pure ex aliis visceribus corporis ad pulmones delato.

ο. A metastasi febrili.

π. A galactoplania.

ρ. Ab habituali respiratione aëris corrupti aut vario modo vitiati.

σ. A positura habituali corporis noxia, perversa.

Β. *Phthisis Hepatica, Splenetica.*

Phthisis ex apostemate post hepatitidem aut splenitidem orta, pure in sacco contento, vel ex apostemate rupto in cavum abdominis effuso, aut etiam ex cohæsione et erosione in cavum thoracis, vel ad pulmones, aut in cavum intestinorum penetrante.

Γ. *Phthisis Intestinalis, Abdominalis.*

Phthisis ex enteritide, pancreatitide, mesenteritide, aliorumve viscerum abdominalium inflammatione et suppuratione prægressa orta, pure in cavum intestinorum vel in cavum abdominis effuso.

Δ. *Phthisis Renalis, Vesicalis.*

Phthisis ex apostemate aut ulcere renum, ureterum, vesicæ, urethræ, vel glandulæ prostatæ orta, plerumque cum pyuria juncta.

E. *Phthisis Glandularis.*

Phthisis ex glandulis mesenterii, pulmonum, colli etc. ex variis causis obstructis, in suppurationem abeuntibus orta.

Z. *Phthisis Uterina, Ovarica.*

Phthisis ex hysteritide aut ovaritide prægressa, in suppurationem abeunte orta, apostemate rupto vel clauso (*).

H. *Phthisis Osphytica, Ischiadica.*

Syn. Φθίσις ἰσχιαδική. *Hipp.*
Phthisis ischiadica. } *Auct.*
Tabes coxaria. }

Phthisis ex osphytide, aut ex inflammatione in articulatione coxæ prægressa, et in suppurationem terminata orta, vel etiam ex metastasi,

---

(*) Ex apostemate ovarii dextri, post partum orto, summam corporis emaciationem cum febre lenta continua vidi. Morbus gravissimus, rupto abscessu, et pure per vaginam simul ac urinam et alvum excreto, feliciter curatus fuit.

pure in cavum pelvis effuso aut in articulum coxæ delato, vel erosione facta in vesicam, uterum, intestinum rectum deposito, et ex his visceribus aut etiam ex perinæo, annulo abdominali, aut locis vicinis excreto.

Θ. *Phthisis Cutanea.*

Phthisis ex suppuratione profusa ulceris cujusve extensi in superficie corporis, præcipue post magna vulnera aut amputationem mammæ, artuum etc. sæpe cum febre lenta continua juncta.

Sp. 2. Phthisis *Pituitosa.*

Extenuatio corporis cum febre, tussi et expectoratione materiæ mucosæ, puriformis, albuminosæ aut gelatinosæ per pulmones; vel etiam ex ejusdem materiæ excretione profusa per genitalia aut anum oriunda.

Syn. Phthisis chylosa. *Murray.*
——— catharrhalis.
——— rheumatica.
Morbus cœliacus.
Hæmorrhoides mucosæ.
Catarrhus vesicæ.
Leucorrhœa, *seu* fluoralbus.
} *Auct.*

Variat sede:

1. Pulmonalis. Vid. *Blennorrhagia pulmonalis.*
2. Vesicalis. Vide ——— *vesicalis.*
3. Uterina. Vide ——— *uterina.*
4. Intestini recti. Vide ——— *recti.*

Variat pro causa remota:

α. A catarrho neglecto vel male curato.
β. A dialeipyra male tractata.
γ. A gastropyris variis neglectis, vel male tractatis.
δ. A blennorrhagiis vel blennorrhœis variis, neglectis vel male tractatis.
ε. Ab asthmate inveterato.
ζ. A metastasi varia.
η. Ab arthritide rheumatica, vel podagrica, aut erysipelate retrocedentibus.
ϑ. A galactoplania.
ι. Ab exanthematibus, aut morbis cutis chronicis suppressis.
κ. A suppressione hæmorrhoidum.
λ. Ab ischolochia, vel ischomenia.

Sp. 3. Phthisis *Sicca s. Nervosa.*

Leptysmus seu corporis totius extenuatio, plerumque cum magna debilitate mentis et corporis juncta. Anæsthesia vel hyperæsthesia;

frigus extremitatum; hyperhidrosis ex levi causa; pulsus debilis, irregularis: Progressu morbi, quandoque etiam mox ab initio, febris lenta continua vel remittens.

SYN. Marasmus frigidus. } *Auct.*
——— siccus.

SUBSPECIES phthiseos siccæ sunt:

A. *Phthisis inanitionis.*

Extenuatio corporis, sæpe cum tussicula sicca, et asthenia generali juncta: Morbus ex defectu vel vitio digestionis aut nutritionis, vel ab evacuationibus quibusve nimiis, quandoque etiam a labore vel exercitiis violentis ortus.

VARIAT ut Atrophia inanitionis. Vide *Atrophia.*

B. *Phthisis nutricum.*

Extenuatio totius corporis in nutricibus seu fœminis diutius lactantibus, præcipue tenuibus et debilibus, cum febre lenta, sensu exsiccationis et constrictionis in pectore, dyspnœa, et tussicula sicca orta, vigente cæterum appetitu et digestione. Progressu morbi dolor inter scapulas instar rheumatici, vertigo, symptomata hyperkinesiæ cum screatu puri-

formi vel purulento et febre hectica, ex nimia lactis perditione oriunda.

Γ. *Phthisis dorsalis.*

Morbus maxime recentes sponsos, aut libidinosos corripiens; præprimis vero illis infestus, qui anaphlasi, aut etiam fœminis quæ aselgotripsiæ habitualiter indulgent. Initio febris expertes bene comedunt et colliquantur. Progressu morbi sensus formicationis a capite per spinam dorsi descendens; dolor lumborum; spermacrasia nocturna diurnave, præcipue dum alvum vel urinam deponunt; astysia; dyspepsia; alvus segnis et dura; tandem asthenia generalis, kephalalgia, vertigo, tinnitus aurium, amblyopia, amaurosis, epilepsia, leipothymiæ, memoriæ aliarumque facultatum intellectualium imbecillitas, aut amnesia et moria; quandoque simul dyspnœa, asthma spasmodicum, tussis sicca vel humida, puriformis aut vere purulenta, cum febre hectica, aut ex leipyria mors præmatura.

Syn. Φθίσις νωτιάς. *Hipp.*

Tabes dorsalis. *Auct.*

Germ. Rückendarre.

Δ. *Phthisis pathematica.*

Variat fere ut Atrophia pathematica.

E. *Phthisis venenata.*

Variat:

α. A præparatis hydrargyri variis interne vel externe incaute applicatis, præcipue ab usu muriatis hydrargyri oxygenati.

β. A præparatis plumbi interne assumptis vel externe latæ superficiei corporis applicatis.

γ. Ab arsenico aliisve similibus venenis.

δ. Ab emeticis vel catharticis drasticis.

Z. *Phthĭsis metastatica.*

Variat:

α. A morbis cutaneis retrocedentibus, aut præpostere repercussis, suppressis.

β. A saburra gastrica absorpta.

γ. A tussi stomachica neglecta, vel præpostere oleosis, mucilaginosis, tepidis tractata.

δ. A podagra aberrante.

ε. A galactoplania.

Huc etiam plerumque pertinet:

H. *Phthisis febrisequa.*

Ex infarctu pancreatis, aliarumve glandularum vel viscerum abdominalium, aut pulmonum orta, emaciationem corporis siccam inducens.

VARIAT pro causa remota:

α. A dialeipyris longis neglectis vel male tractatis.
β. A febre biliosa, vel putrida prægressa.
γ. Ab arthritide rheumatica vel podagrica, aut erysipelate neglectis aut male tractatis.
δ. A pneumonitide, pleuritide etc. neglectis vel male tractatis.
ε. A diarrhœis aut dysenteriis neglectis vel intempestive sublatis.

PHTHISES SYMPTOMATICAE sunt:

A. *Phthisis Scorbutica.*

In hac non solum pinguedo, sed etiam pars fibrina et albuminosa sanguinis omnino deficiunt. Vide *Scorbutus.*

B. *Phthisis Scrofulosa.*

Morbus juniorum non modo, sed et adultorum, hodie minime infrequens, obstructionem et tumorem vasorum ac glandularum meseraicarum, et sæpe etiam glandularum pulmonalium, colli etc, vel ossium corruptionem, et inde phthisin inducens; ex vitio scrofuloso hæreditario vel acquisito oriundus.

Syn. Phthisis pulmonalis scrofulosa.
Tabes mesenterica
—— glandularis. } *Auct.*
Scrofula mesenterica. *S.*
Vide *Scrofula* et *Pædatrophia.*

C. *Phthisis Syphilitica.*

Variat:

1. Ab ulcere pulmonum syphilitico.
2. Ab ulcere syphilitico latiore cutis vel faucium, narium etc. ex pure deglutito vel in massam sanguinis absorpto. Vide *Phthisis purulenta.*
3. A carie ossium syphilitica.
4. A dolore violento, vigiliis longis: ex hyperostosi aut exostosi syphilitica.
5. A viru syphilitico latente aut larvato.

D. *Phthisis Hydropicorum;* præcipue hydrope abdominis laborantium. Vide *Hydrops.*

E. *Phthisis Ictericorum.*

Ex ictero, infarctu, aut skirrho hepatis.

F. *Phthisis* ab avante. Vide *Avantes.*
G. ——— a chordapso. Vide *Chordapsus.*
H. ——— ab urorrhagia. Vide *Urorrhagia.*
I. ——— ab osteomalakia. Vide *Osteomalakia.*

K. Phthisis ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium. Vide *Emphraxis.*

L. ——— ab helminthiasi. Vide *Helminthiasis.*

M. ——— a carkinomate : a doloribus violentis et viru absorpto ex carkinomate mammæ, uteri, intestini recti, ventriculi etc.

G. CCXVII. ATROPHIA.

Gr. Ἀτροφία, ab α neg. et τρέφω, nutrire : Defectus nutritionis.

Totius corporis extenuatio et ariditas chronica, plerumque cum asthenia generali, apepsia vel dyspepsia, sine febre aut tussi. Oculi cavi velut foveis reconditi; universi corporis squalor; defectus caloris; cutis circa frontem sicca et tensa; palpebræ tanquam somno gravatæ; tempora collapsa et cava; corpus summe marcidum, quasi nonnisi ossibus cute tectis, compositum.

Syn. Marasmus frigidus. } *Auct.*
Contabescentia. }

Innutritio. *Cœl. Aurel.*

A. Atrophy.
G. Atrophie; marasme.
Ge. Auszehrung; Abzehrung.

Sp. 1. Atrophia *Inanitionis.*

Ex inopia chyli blandi, oleosi, aliisve vitiis digestionis, assimilationis aut nutritionis oriunda.

VARIAT pro causa remota:

α. A defectu alimentorum, fame.
β. A prava qualitate alimentorum.
γ. A dyscataposia.
δ. Ab hyperemesia habituali.
ε. A dyspepsia.
ζ. Ab avante.
η. Ab urorrhagia.
ϑ. A skirrho, ulcere vel carkinomate ventriculi.
ι. A stenosi cardiæ vel pylori.
κ. A chordapso, seu stenosi intestinorum tenuium.
λ. Ab abusu spirituosorum habituali, aut longiore tempore continuato.
μ. Ab abusu aceti.
ν. A vermibus ventriculi vel intestinorum.
ξ. Ab obstructione vasorum lacteorum, vel glandularum meseraicarum, aut ductus chyliferi.

ο. A

ο. A subita corporis evolutione.

π. A marcescentia nervorum, senio (*senilis, paralytica*).

Sp. 2. Atrophia *Exhaustionis.*

VARIAT pro causa remota:

α. A nimio labore habituali, vel ab exercitiis violentis, diutius continuatis.

β. Ab hæmorrhagiis vel hæmorrhœis profusis, aut venæsectionibus præpostere repetitis.

γ. A blennorrhagiis aut blennorrhœis profusis.

δ. A lactis jactura diutius continuata. Vide *Phthisis nutricum.*

ε. A galactacrasia.

ζ. A spermacrasia.

η. Ab excessu veneris, anaphlasis, aselgotripsiæ. Vide *Phthisis dorsalis.*

ϑ. Ab hyperhidrosi, aut transpiratione habituali nimia, præcipue ex vestibus laneis prope cutem gestatis.

ι. A magna mentis intensione, studiis, vigiliis protractis, aut doloribus, spasmis violentis prægressis.

κ. A sialorrhœa profusa.

λ. Ab hyperemesia habituali.

μ. A diarrhoea dyspeptica.

ν. A dysenteria vel diarrhœa chronica.

ξ. Ab urorrhagia

Sp. 3. Atrophia *Pathematica.*

VARIAT *pro causa remota :*

α. A curis, mœstitia, athymia, nostalgia.
β. Ab avaritia, invidia, ira, zelotypia.
γ. Ab amore frustrato vel celato.

Sp. 4. Atrophia *Glandularis.*

A glandularum meseraicarum vel pulmonalium infarctu, ex vitio scrofuloso, osteomalakia, aut acido vel pituita primarum viarum. Vide *Phthisis Glandularis.*

Sp. 5. Atrophia *Venenata.*

VARIAT ut phthisis venenata. Vide supra *Phthisis sicca.*

Sp. 6. Atrophia *Febrisequa.*

VARIAT ut phthisis febrisequa.

Sp. 7. Atrophia *Symptomatica.*

VARIAT ut phthisis symptomatica, a qua non differt, nisi febris absentia.

G. CCXVIII. PÆDATROPHIA.

A Gr. Παῖς, Παιδὸς, infans, puer, puella, et Ἀτροφία: Atrophia infantum.

Extenuatio corporis infantum generalis sine febre, vel cum febricula lenta.

Sp. 1. Pædatrophia *Stomatica.*

A vitio oris, linguæ, faucium etc. connato, vel acquisito.

Variat pro causa remota:

α. A palato fisso.
β. Ab accretione linguæ.
γ. A frænulo linguæ nimis brevi.
δ. A defectu palati, aut ejusdem erosione aut destructione ex viru syphilitico.
ε. Ab hypoglosse.
ζ. Ab aphthis, ulceribus oris syphiliticis, aliisve variis.

Sp. 2. Pædatrophia *Inanitionis.*

A defectu aut vitio alimentorum.

Variat pro causa remota:

α. A defectu lactis copiæ sufficientis in nutrice.

β. A vitiis variis lactis.

γ. A defectu aut vitiosa qualitate alimentorum.

Sp. 3. Pædatrophia *Saburralis.*

Variat:

α. Ab acido primarum viarum.

β. A saburra pituitosa intestinorum.

γ. A vermibus.

Sp. 4. Pædatrophia *Glandularis.*

Extenuatio corporis generalis plerumque cum appetitu bono, vel etiam voracitate, simulque tumore ventris duro, sæpe cum febricula, ex glandulis mesenterii, pulmonum, colli infarctis, tumentibus, duris, ab acido primarum viarum, osteomalakia, scrofula aut dialeipyris neglectis oriunda.

Sp. 5. Pædatrophia *Cachectica.*

α. A dyscrasia sanguinis varia, partem fibrinam sanguinis dissolvente, vel portionem gelatinosam, albuminosam aut fibrinam vitiante aut destruente.

β. A vitio scrofuloso.

γ. Ab osteomalakia.

δ. Ab osteophthoria.

ε. A viru syphilitico latente vel patente.

ζ. Ab achoribus, tinea, psora etc. præpostere siccatis, retropulsis.

η. A respiratione habituali aëris corrupti, humidi, aut vario modo vitiati.

ϑ. Ab habitatione humida, male ventilata.

ι. A defectu, aut neglectu exercitii debiti.

G. CCXIX. MELATROPHIA.

A Gr. Μέλος membrum, artus, et ἀτροφία.

Atrophia, seu extenuatio artus vel membri cujusvis.

Syn. Aridura *S.* et *Etmüll.*
Atrophia localis *Auct.*
Melatrophia. *Ploucquet.*

A. A wasting of some part.
G. Desséchement.
Ge. Schwinden der glieder; Gliederschwindsucht.

A. *Atrophia Extremitatum.*

Variat pro causa remota:

α. A vulnere, ligatura, vel compressione, nervorum vel arteriarum.

β. A stenosi, obstructione aut concretione vasorum.

γ. A paralysi aut marcescentia nervorum.

δ. A tumore, carie, luxatione vertebrarum, aliisve vitiis, medullam spinalem comprimentibus.

ε. Ab osteophthoria vel a carie ossium.

ζ. Ab arthrodynia rheumatica vel arthritica.

η. A doloribus aut spasmis violentis prægressis.

ϑ. A metastasi varia.

B. *Atrophia Oculi.*

Oculi alterutrius extenuatio connata, vel acquisita.

N. B. Græci etiam contractionem pupillæ oculi unius, vel utriusque, improprie Phthisin oculi nominarunt.

C. *Atrophia Testiculorum, Ovariorum.*

VARIAT pro causa remota:

α. A vitio organico particulari.

β. A medicamentis interne vel externe adhibitis.

γ. A severa castitate.

δ. A spermacrasia.

ε. Ab excessu veneris, anaphlasis, vel aselgotripsiæ.

ζ. A senio.

D. *Atrophia Mammarum.*

Variat:

α. A vitio hæreditario.
β. A vitio organico acquisito.
γ. Ab aselgotripsia.
δ. Ab excisione ovariorum.

E. *Atrophia Colis.*

Variat fere ut Atrophia testiculorum.

G. CCXX. SYNTEXIS.

Gr. Σύντηξις, colliquatio.

Extenuatio corporis acutissima, febre ardenti et diarrhoea colliquativa stipata, intra sæpe paucos dies lethalis.

Vide etiam supra Vol. I. p. 43. *Syntecopyra.*

CL. IV. O. IV. EXOEDESES, s. INTUMESCENTIÆ.

Gr. Ἐξοιδήσεις, ab ἐξοιδέω, intumesco.

CHAR. CACHEXIÆ cum volumine totius, aut partis corporis, aucto.

GENERA ad hunc Ordinem spectantia sunt:

GENUS I. POLYPIOTES.
II. PNEUMATOSIS.
III. TYMPANITES.
IV. EMPHYSEMA.
V. HYDROPS.
VI. EMPHRAXIS.
VII. CHOIRAS, s. SCROFULA.
VIII. ELEPHANTOPUS.

CL. IV. O. IV. EXOEDESES.

G. CCXXI. POLYPIOTES.

Gr. Πολυπιότης, a πολὺ multum, et πῖον pingue, seu πιότης *Aristot.* pinguedo : Obesitas nimia, seu pinguedinis abundantia morbosa (*).

Adipis seu sebi, ex oleo animali fixo concreti collectio in omento, tunica adiposa cutis, circa viscera varia, et in interstitiis musculorum abnormis, functiones lædens (**); unde difficultas movendi aut exercendi corpus, et ex levi exercitio dysnoea, vel hyperhidrosis.

(*) Auctores fere omnes pro exprimendo hoc morbo nomen Polysarciæ adoptarunt a gr. πολὺ multum, et Σάρξ caro, quod ergo proprie torositatem seu crassitiem musculorum exprimit; status ab obesitate essentialiter diversus, etsi quandoque cum ea jungatur : Ideo hoc nomen ut improprium rejeci, eique nomen Polypiotis, seu Polypioniæ substitui.

(**) Sanitas proportiones pinguedinis multum diversas sine læsione functionum notabili admittit; sarcina tamen graviore, aut (ut in quibusdam casibus contingit) subito aucta corpus, ut a plethora, opprimitur. Polypiotes autem cum plethora, quam sæpe comitatur aut

SYN. Polysarcia.
Obesitas nimia. } *Auct.*
Corpulentia morbosa.
Steatites. *V.*
Pachytes.
Pachysmus (a gr. παχυσμὸς).

A. Corpulence; corpulency.
G. Corpulence; obésité.
Ge. Zu grosse Fettigkeit; volleibigkeit.

VARIAT pro causa remota:

α. A vitio hæreditario, temperamento phlegmatico vel sanguineo.

---

sequitur, minime confundenda est. A victu pleniore et digestione integra plus chyli in massam sanguinis defertur quam nutritioni impendi aut circulatione vegeta dissipari potest, hinc oleum, seu cremor chyli in omentum, aut tunicam adiposam sub cute, vel per interstitia partium in laxam cellulosam deponitur; unde mollior corporis habitus (sanguineus vel phlegmaticus), ætas infantilis et media, sexus sequior, vitæ genus otiosum, lautum, maxime ad hunc morbum inclinant. Materiam subministrat chylus blandus, multo pingui abundans, quod præcipue quieto corpore et circulatione lentiori facile ex eo secedit: Patet hinc obesitas peculiaris partium vel universalis. Adeps in sebum æquo durius abiens, ut supra monui, in omento vel panniculo adiposo sæpe indurationes, steatomata, tubercula format, mole, figura, duritie, degeneratione, multum diversa.

β. A polychylia.

γ. A plethora.

δ. A vita lauta, otiosa, sedentaria.

ε. A defectu exercitii corporis debiti, aut consueti.

ζ. Ab usu cerevisiæ meracioris pro potu ordinario.

η. Ab alimentis facilis digestionis, nimis nutrientibus, præcipue oleosis (*).

θ. A diminutione secretionum consuetarum.

ι. Ab atonia solidorum, aut ab asthenia generali, præcipue ex hæmorrhagiis prægressis.

κ. Ab anæsthesia.

λ. A castratione.

G. CCXXII. PNEUMATOSIS.

A Gr. Πνευμάτωσις, Flatulentia (**).

Tumor abdominis vel epigastrii ex

(*) Ex usu fructuum dactylorum recentium arboris: Phoenix dactylifera *L.* pro solo nutrimento cum potu mellito, fœminas Maurorum in Africa circa Senegal intra paucos menses ingentem obesitatem acquirere autoptes asserit. — Exemplum immensæ polypiotis quinque Chinensium, sub itinere maritimo, largo usu pinguedinis coctione carnium salitarum aquæ supernatantis, contractæ apud Trotter lego.

(**) Sauvages et Cullen, nescio qua ratione, Pneumatosi diversam ab Hippocrate significationem dant, eamque cum emphysemate universali confundunt.

flatibus, id est, ex aëre vel gaze elastico in ventriculo aut intestinis generato et extricato transitorius, plerumque cum borborygmis, et frequente eorum per os aut anum rejectione, anxietate, gasteralgia, enteralgia, dyspnoea.

SYN. Flatulentia. *Auct.*

A. Flatulency.
G. Flatulence.
Ge. Blähungen; windbeschwerden.

Sp. I. Pneumatosis *Ventriculi.*

SYN. Πνευμάτωσις γαςρός. *Hipp.*
Flatulentia ventriculi. *Auct.*

Inflatio et tumor ventriculi, cum symptomatibus dyspepsiæ variis, gasteralgia, et ructibus insipidis, vel acidis, nidorosis, putridis etc.

VARIAT pro causa remota:

α. A debilitate ventriculi.
β. A vitio salivæ, succi gastrici vel pancreatici, aut bilis.
γ. Ab ingestis flatulentis, acidis, difficulter digestibilibus.
δ. Ab ingluvie.
ε. A defectu exercitii, vita otiosa, sedentaria.

Sp. 2. Pneumatosis *Intestinorum.*

Gr. Πνευμάτωσις.

Distensio, seu tumor ventris, sæpe cum enteralgia, anxietate, dyspnœa, borborygmis et flatuum expulsione sonora per anum juncta.

Variat pro causa remota:

α. A debilitate intestinorum.
β. A chylo varie vitiato. Vide *Dyschylia.*
γ. A flatulentis, indigestibilibus, acidis assumptis.
δ. A defectu aut vitio bilis, succi pancreatici etc.
ε. Ab emphraxi, aliisve vitiis lienis.
ζ. Ab hyperkinesia fœminarum, virorum.
η. A saburra putrida, acida, biliosa, mucosa etc.

G. CCXXIII. TYMPANITES.

Gr. Τυμπανίτης, a τυμπανος, tympanum.

Tumor ventris instar tympani tensus, elasticus, permanens, ex percussione plerumque sonorus, dyscoilia, tussi sicca, summa anxietate et dyspnœa stipatus.

Syn. Hydrops siccus et flatulentus. *Hipp.*

A. Tympany.
G. La Tympanite.
Ge. Windsucht; Trommelsucht.

Sp. 1. Tympanites *Intestinalis.*

Ab aëre in ventriculo et intestinis accumulato, eadem summe distendente, cum gasteralgia, enteralgia, alysmo, dyspnœa; ex ructibus vel flatibus, per os aut per anum expulsis, levamen temporarium (*).

VARIAT pro causa remota:

α. A debilitate aut paralysi canalis intestinalis.
β. Ab assumptis flatulentis, fermentantibus.
γ. Ab ingluvie aut ebrietate habituali (Tympanites helluonum, potatorum etc.).
δ. A venenis assumptis.
ε. A saburra gastrica varia.
ζ. A vermibus.
η. A defectu vel vitio bilis, succi pancreatici etc.

(*) Huc pertinet Morbus equorum quem vulgo asthma vocant (gall. *Pousse*) a gaze elastico, ex fœno in ventriculo et intestinis fermentatione magna copia extricato et intestina sæpe enormiter distendente ortus; huc etiam spectat *Meteorismus* ovium, bovium etc. acutus, ex trifolio aliisve herbis recentibus, præcipue humidis, majori copia devoratis.

ϑ. Ab emphraxi lienis, hepatis etc.

ι. A diarrhœa aut dysenteria chronica, neglecta aut male curata.

κ. Ab apostemate, erosione, vel ulcere intestinorum.

λ. Ab hyperkinesia.

μ. A spasmo cardiæ, vel ani.

ν. Ab animi pathematibus.

ξ. A putrefactione humorum in intestinis, præcipue in pyrexiis asthenicis.

ο. A gangræna vel sphakelo intestinorum, mesenterii, etc. præcipue in febre puerperarum dicta.

Sp. 2. Tympanites *Abdominalis.*

Ex aëre vel gaze elastico in cavum abdominis effuso oriunda.

Variat pro causa remota:

α. A læsione intestinorum (*Traumatica*).

β. A puris, ex apostemate viscerum abdominalium rupto, in cavum abdominis effusione.

γ. A corruptis aquis hydrope abdominis laborantium.

δ. Febrilis (*Meteorismus Auct.*), a visceribus abdominalibus corruptis, gangrænosis, præcipue in febre puerperarum.

G. CCXXIV. EMPHYSEMA.

Gr. Ἐμφύσημα inflatio, ab ἐμφυσάω inflare.

Tumor sub cute elasticus, pressione crepitans, ab aëre aut gaze elastico in tunica cellulosa cutis effuso.

Syn. Tympanites universalis. *Schenk.*
Pneumatosis. *S.* et *Cull.*

A. Emphysema.
G. Bouffissure.
Ge. Luftgeschwulst; Windgeschwulst unter der haut.

Variat pro causa remota:

α. A lapsu, contusione, aliave vi externa illata.
β. A vulnere aut fractura: huc emphysema ex fractura costarum, aut ex incisione præputii.
γ. A frigore intenso.
δ. A scarlatina, variola.
ε. A venenis quibusdam aut pharmacis.
ξ. A gangræna, vel sphakelo.
η. A gaze peculiari ex massa sanguinis evoluto, et ad superficiem corporis deposito.

A.

A. Emphysema universale.

B. Emphysema particulare, seu *locale*.

Huc pertinent:

1. Emphysema scroti.
2. ———— colis.
3. ———— labiorum vulvæ.
4. ———— palpebrarum.
5. ———— oculi.
6. ———— ovariorum.
7. ———— uteri.
8. ———— vesicæ.

Vide etiam infra Tumores aerei.

G. CCXXV. HYDROPS.

Gr. Ὕδρωψ, s. Ὕδερος, Hyderos, ab Ὕδωρ aqua.

Collectio humoris aquosi, seri vel lymphæ, (*) abnormis, in variis cavitatibus corporis effusi, vel in tela cellulosa stagnantis; plerumque cum tumore externo corporis visibili. Morbus ab exhalatione

(*) Liquor hydropicorum nuper analysi chemica examinatus constat maxima parte, ut supra dixi, ex aqua, dein albumine, gelatina et muco, ac muriate sodæ et pauxillo calcis; sed partes constitutivas liquoris hydropicorum sæpe variare probabile est.

vasorum nimia, vel ab actione vasorum absorbentium diminuta aut abolita oriundus.

Syn. Hydropes, s. morbi hydropici. *Auct.*

A. Dropsy.
G. Hydropisie.
Ge. Wassersucht.

Sp. 1. Hydrops cutis (*Hydroderma*).

A Gr. Ὕδωρ aqua, et Δέρμα cutis: Hydrops cutis.

Tumor sub cute, primo plerumque extremitates corporis, præcipue pedes occupans, gradatim ad tibias, dein ad femora ascendens, et tandem per totam corporis superficiem sese extendens (*). Initio semper albus, mollis, inelasticus, digito prementi cedens, fovea per aliquot tempus in cute relicta, versus vesperam auctus, mane paucus, vel nullus. Progressu morbi tumor pedum ingens, sæpe phlogosi, calore et rubore cutis, ac febre stipatus, accedentibus maculis cutis lividis, fissuris, aut vesiculis humorem copiosum plorantibus, aut ulceribus fa-

(*) Recentiores hydropem localem extremitatum vulgo *Œdema* (a gr. Οἴδημα tumor) pedum, crurum vel manuum appellant. Oëdema itaque, sub hoc sensu, non est nisi varietas hydrodermatis.

cile gangrænescentibus cum doloribus violentis lancinantibus; pulsus plerumque parvus, debilis; urina parca, cruda, limpida, vel etiam prærubra, crassa, sedimentum lateritium deponens. Morbus ex humore aquoso, in cellulas corii, seu cutis proprie sic dictæ, effuso ibique stagnante, oriundus.

SYN. Hydrops anasarca *Auct.* (a gr. ἀνασάρκα ab ἀνὰ supra et σὰρξ caro): Hydrops supra carnem.
Hydrops subcutaneus. *Auct.*
Hydrops hypodermaticus. *Ploucq.*
Σαρκίτης seu Ὑποσαρκίδιος. *Græc.*

A. Anasarca; œdematous swelling.
G. Anasarque; œdême.
Ge. Hautwassersucht.

Sp. 2. Hydrops capitis (*Hydrokephalus*).

Gr. Ὑδροκέφαλον, a Ὕδωρ aqua, et κεφαλὴ caput: Hydrops capitis vel cerebri.

Capitis intumescentia, sæpe enormis, mollis, inelastica, ex effuso et stagnante humore aquoso in parte capitis externa, vel in cavo cranii, tumque hiantibus cranii juncturis. Morbus maxime infantum, connatus vel acquisitus, initio sæpe cum siccitate et cnesmo

narium et hyperæsthesia generali, cute sicca, et ingressus impossibilitate ex pedum debilitate junctus. Progressu morbi dilatatio pupillæ abnormis; visus et auditus abolitio; palpebræ superioris paralysis; strabismus; cataphora, vel delirium mite; moria; mors. — Morbus connatus sæpe cum hydrorhachia complicatus, ab enkephalitide, refrigerio, læsione, lapsu aut vi externa capiti illata, sæpe etiam a fasciis corpus infantum neonatorum arctius constringentibus, vel ex morbis cutis suppressis, oriundus.

Sp. 3. Hydrops spinae dorsi (*Hydrorhachia*).

Gr. Ὑδροραχία, a Ὕδωρ aqua, et ῥάχις spina dorsi: Hydrops spinæ dorsi.

Tumor spinæ dorsi, plerumque supra vertebras lumborum, cuti concolor, mollis, pressioni cedens, dehiscentibus vertebris, maxime infantum neonatorum, ex hydrokephalo interno ortus; aqua viam reperiente ex ventriculo quarto cerebri, et inter membranam internam spinæ et membranam medullæ, vel inter membranam medullæ et medullam accumulata, utplurimum inter secundam et quintam vertebram lumborum. Quandoque, etsi rarius, spina ad coccygem usque fissa, et aqua

repleta; quandoque simul caries vertebrarum, et debilitas aut paralysis extremitatum inferiorum.

Syn. Hydrorachitis *S.* et *Cull.*
Spina bifida.
Hydrops medullæ spinalis.
Hydrocele spinalis.
Hydrorachitis spinosa. } *Auct.*
Spinola. *L.*

A. Dropsy of the Spine.
G. Hydropisie de l'épine du dos.
Ge. Wassersucht des Rükgrads; Gespaltener Rükgrad; Rükenspalte.

Sp. 4. Hydrops thoracis (*Hydrothorax*).

Gr. Ὑδροθώραξ, ab Ὕδωρ aqua, et θώραξ pectus: Hydrops pectoris *s.* thoracis.

Collectio aquæ in cavo thoracis, in duplicatura mediastini, in cavo pericardii, vel in ipsa pulmonum substantia, aut etiam in tela cellulosa bronchia circumdante, cum dyspnœa, tussi sicca vel humida: decubitus difficilis, imo impossibilis ex alysmo superveniente, unde orthopnœa; sæpe subita ex primo somno, cum metu suffocationis et palpitatione cordis violenta excitatio; facies pallida; urina parca, rubra, sedimentum deponens;

pedum vel etiam manus unius vel utriusque, aut palpebrarum tumor hydropicus; quandoque ex percusso thorace fluctuatio aquæ in cavo pectoris evidens.

SYN. Hydrops thoracis vel pectoris.
———pulmonum. } *Auct.*
——— – pericardii aut mediastini.
Hydropericardion.
Hydromediastinon. } *Ploucq.*
Hydropneumonia.

A. Dropsy in the breast.
G. Hydropisie de poitrine.
Ge. Brustwassersucht.

Sp. 5. Hydrops abdominis (*Hydroëtron*).

Gr. Ὑδρώητρον, ab Ὕδωρ aqua, et ἦτρον imus venter: Hydrops ventris *s.* abdominis.

Tumor abdominis, plerumque percussione aquæ fluctuantis sonum edens, ex aqua in ejus cavo effusa: Polydipsia; urina pauca, utplurimum intense rubra vel fusca, sedimentum lateritium deponens; dyscoilia; ischidrosis, cutis sicca; dyspnœa, sub decubitu aucta; superiorum partium, præcipue faciei emaciatio; tumor pedum albus, mollis, pressione foveam relinquens; sæpe tumor scroti et colis ingens, quandoque simul um-

bilici tumor hydropicus. Progressu morbi accedit ex aquæ stagnantis mole et acrimonia, metus suffocationis, inflammatio, febris et gangræna (*).

Syn. Ascites (gr. Ἀσκίτης, ab ἀσκὸς uter, ampulla: venter quasi figuram utris, seu ampullæ repletæ habens).

A. Dropsy of the belly.
G. Ascite; Hydropisie du bas-ventre.
Ge. Bauchwassersucht.

Variat aqua stagnante:

1. In cavo abdominis (*Ascites*).
2. Inter peritonæum et musculos abdominales (*Hydrepigastrium*).
3. In duplicaturis peritonæi (*Hydroperitonœum*).
4. In epiploo *s.* omento (*Hydropiploon*).
5. In sacco peculiari (*Hydrokystis*).
6. In ventriculo (*Hydrogaster*).

Hydropem Saccatum, seu Hydrokystidem abdominis vulgo appellant tumorem ventris,

(*) Hydrops abdominis sollicite distinguendus ab hydrope ovarii vel uteri, a graviditate, a parakyesi, a tympanitide, ab emphraxi viscerum abdominalium, ab extravasatione aëris, sanguinis, puris, urinæ, lymphæ, chyli ex ruptura vasorum in cavo abdominis orta.

ex collectione aquæ in duplicaturis peritonæi, vel omenti, aut inter peritonæum et musculos abdominales, aut ex hydatide (*), in cavo abdominis gradatim increscente, vel etiam ex ovariis, aut tubis Fallopii vel utero hydropicis, ortum. In hydrope saccato abdominis, symptomata omnia leviora sunt, et habitus corporis sæpe bonus continuat, urina vix a statu sano recedens, sed tandem ex rupto sacco non raro syncope et mors subita.

Sp. 6. Hydrops uteri (*Hydrohystera* s. *hydrometra*).

Gr. Ὑδρομήτρα, ab Ὕδωρ aqua, et μήτρα uterus: Hydrops uteri.

Tumor hypogastrii in fœminis, paulatim crescens, uteri figuram referens; ischomenia;

(*) Unde *Hydrops Hydatidosus* Auct. Tumor ex hydatide una quandoque in immensam molem increscente, sed sæpius ex pluribus hydatidibus separatis, vel etiam ex hydatidibus seu vesiculis numerosissimis, racematim inter se cohærentibus, pellucidis, humorem aqueum continentibus constat. *Hydatides* frequenter in cerebro ovium occurunt, unde morbus eorum quo sese constanter in gyrum vertunt, quandoque etiam in cerebro hominum, præcipue infantum repertæ fuerunt. Quandoque in cavo thoracis et in pulmonibus, aut in cavo abdominis, sed frequentissime in utero et ovariis observantur. Vide etiam infra *Scolekiasis*.

sensus ponderis et in decubitu sensatio evidens lapsus uteri ad latus unum vel alterum hypogastrii, citra ischuriam aut graviditatem. Morbus ab aqua in cavo uteri collecta, vel ex hydatide inclusa, aut etiam sæpe ex numerosissimis hydatidibus racematim cohærentibus et cavum uteri replentibus et irritantibus, ortus.

Syn. Hydrometra ascitica. } *S.*
Ascites uterinus. }

A. Dropsy of the Womb.
G. Hydropisie de la matrice.
Ge. Wassersucht der Gebärmutter.

Sp. 7. Hydrops ovarii (*Hydrovarion*).

Hydrops ovarii unius, vel utriusque, aut etiam tubarum Fallopii.

Tumor ad latus unum vel utrumque hypogastrii, paulatim crescens, ab aqua in ovario uno vel utroque collecta, sæpe simul in tuba una vel utraque Fallopii; vel ab hydatide, aut etiam ab hydatidibus pluribus in ovariis aut tubis inclusis, ortus.

Syn. Hydroarion. *Ploucq.*

Subspecies Hydropis sunt:

1. *Hydrops Inflammatorius.*

Syn. Hydrops calidus. *Auct.*

Symptomata hydropis, cum pulsu frequenti, duro, præcipue puellis rusticis, robustis, et plethoricis infestus, sæpe ex menstruis refrigerio aut terrore subito suppressis, vel ex erroribus diætæ, aut ex chlorosi oriundus; quandoque etiam ex complicatione hydropis cum inflammatione viscerum natus.

2. *Hydrops Plethoricus.*

Symptomata hydropis in plethoricis, robustis junioribus potissimum, et bene nutritis; sæpe etiam fœminis versus tempus cessationis menstruorum infestus.

3. *Hydrops Erethisticus.*

Collectio aquæ in quacunque corporis parte ex materia acri, oscula vasorum absorbentium valide irritante, ac proinde absorptionem impediente orta; huc metastases variæ rheumaticæ, podagricæ etc., scarlatina prægressa, ischuria, morbi cutis retrocedentes, galactoplania, uroplania, vel extravasatio urinæ aliusve materiæ acris in cavo quocunque corporis. Vide etiam infra *Hydrops Metastaticus.*

4. *Hydrops Asthenicus.*

A debilitate totius systematis, vel vasorum lymphaticorum ortus.

Variat pro causa remota :

α. Ab evacuationibus sanguinis nimiis : partu, abortu, menstruis, hæmorrhoidibus, vulneribus, venæsectionibus.
β. A vita sedentaria ; opificio insalubri.
γ. Ab habitatione humida, frigida, insalubri.
δ. A dialeipyris, inflammationibus viscerum, aut febribus debilitantibus prægressis.
ε. Ab asthmate aliisve dyspnœæ speciebus.
ζ. A scorbuto, ictero, chlorosi.
η. A dyschymia acida, pituitosa.
ϑ. A phthisi, syntexi.
ι. A catarrho neglecto.
κ. A vasorum lymphaticorum torpore aut paralysi.
λ. Ab asthenia aut paralysi vasorum vel viscerum variorum.
μ. Ab atonia telæ cellulosæ.
ν. A terrore, mœrore, curis.
ξ. A diæta prava, ex aquosis, vegetabilibus, aut fructibus.
ο. Ab abusu potuum spirituosorum habituali.
π. Ab abusu potuum aquosorum, tepidorum.
ρ. Ab ingurgitatione frigida corpore æstuante.
σ. Ab hydatide thoracis vel abdominis rupta.
τ. A ruptura tubæ Fallopii aut ovarii hydropici.

υ. A ruptura, laceratione aut vulnere vasis lymphatici cujusvis, ex læsione, lapsu, contusione, aut tumore vicino comprimente.

φ. A doloribus abdominis violentis prægressis.

χ. Ab oligohæmia, seu keneangeia.

ψ. Ab hyperkinesia.

5. *Hydrops Emphracticus.*

Ex obstructione viscerum, glandularum aut vasorum lymphaticorum ortus.

Variat pro causa remota:

α. A sclerosi, skirrho, obstructione etc. pulmonum, hepatis, splenis, pancreatis.

β. A glandulis mesenterii, pulmonum etc. scrophulosis.

γ. Ab induratione et obstructione vasorum aut glandularum etc. ex abusu liquorum spirituosorum

δ. A dialeipyra neglecta vel male tractata.

ε. A compressione vasorum lymphaticorum ex tumore uteri, ovariorum, pancreatis, hepatis, renum; huc tumor hydropicus pedum et labiorum vulvæ gravidarum.

ζ. A motu sanguinis per vasa majora impedito.

η. A steatomate aut lipomate omenti, mesenterii.

6. *Hydrops Metastaticus.*

Variat pro causa remota :

α. A metastasi febrium , phlegmasiarum , aut exanthematum.

β. Ab arthritide rheumatica vel podagrica , aut erysipelate retrocedentibus.

γ. A podagra aberrante.

δ. Ab achoribus , tinea , psora , aliisve morbis cutis intempestive suppressis.

ε. A sudore, præcipue pedum , manuum, axillarum , incaute siccato.

ζ. Ab ulceribus crurum , fonticulis , vesicantibus etc. præpostere clausis.

η. Ab evacuationibus lochiorum , menstruorum, hæmorrhoidum suppressis.

θ. A diarrhœa , vel dysenteria intempestive suppressa.

ι. A tumore pedum hydropico retropulso.

κ. Ab ischuria.

λ. A galactoplania.

7. *Hydrops vagus.*

Tumor in superficie corporis transitorius , modo palpebras , modo fauces , collum externum , vel pedes aut brachia occupans , sine causa apparente abiens , rediensque , sæpe cum affectione viscerum internorum vel

cum doloribus artuum alternans. Morbus ex lympha aut ex sero acri in partem transitorie deposita oriundus (*).

G. CCXXVI. EMPHRAXIS.

Gr. Ἔμφραξις, a Φράσσω obstruere : Obstructio s. infarctus vasorum vel viscerum, præcipue abdominalium, plerumque cum tumore et induratione partis affectæ (**).

Dysphoria generalis; alysmus; dyspepsia; pneumatosis; gasteralgia varia;

(*) An hic morbus ad hydropem, an potius ad diadexes, ut mihi quidem videtur, pertineat, aliis dijudicandum relinquo. Casum singularem hujus mali nuper vidi. Æger 55 annorum, robustus, sanguineus, a pluribus annis de tempore in tempus podagra laborans, nunc longiori temporis spatio ab eadem liber, subito tumore palpebrarum corripitur; biduo post, disparente hoc tumore, de dolore et tumore faucium ac difficili deglutitione queritur : Hæc sub usu gargarismatis ex decocto hordei cum oxymelle disparent, palpebræ de novo tument, dein collum externe, tandem post paucos dies digiti pedis dextri tument, pruriunt, excoriantur et exulcerantur humore acri, et æger bene se habet. Post aliquot menses eadem symptomata ac antea recurrunt, et exulceratione pedum accedente cessant.—Hunc morbum certe non hydropem, sed podagram vagam, aut apoplanesin vel diadexin materiæ podagricæ, ut credo, rectius appellarem.

(**) Sub nomine emphraxis seu infarctus vasorum aut viscerum morbum intelligimus, in quo sanguis aut

dyscoilia ; urina plerumque parca, profunde colorata, vel profusa, limpida, aquosa ; color faciei luridus, foedus ; plerumque simul tumor ventris

---

humor quicunque, a natura ad circulationem per vasa liberam destinatus, vel spissior factus in iisdem sese figit, vel dum idem ex torpore aut asthenia vasorum vel ex stenosi aut compressione eorundem plus minusve in motu suo retentus, densatus, coagulatus difficulter aut torpide per ea movetur, aut omnino stagnat. Si ergo plura vasa minora organi cujusvis hoc modo laborant, aut etiam si humor in parenchymate visceris effunditur, viscus totum aut glandula, pro copia massæ effusæ aut numero vasorum obstructorum, gradatim volumine augetur, et plerumque simul induresdit. In alterutro casu sequitur dilatatio aut extensio vasorum abnormis. Hoc vitium præcipue vasa et viscera abdominalia premit. Summum gradum obstructionis et duritiei recentiores vulgo skirrhum appellant, quod nomen nostra opinione rectius pro tumoribus glandularum summo gradu induratarum et desorganisatarum restringi mereretur. — Joan. Kaemph, medicus Germaniæ celebris, primus hunc morbum probe investigavit, ac novam ei medendi methodum per enemata, visceralia dicta, proposuit in tractatu : Abhandlung von einer neuen Methode die hartnæckigsten Krankheiten des Unterleibes sicher und gründlich zu heilen, 2[te] verbesserte auflage 8°, Leipzig 1786. D[r] Marcard, medicus Hanoveranus celebris, ipse hoc morbo afflictus, eundem egregie elucidavit in tractatu germanico *de aquis Pyrmontanis* vol. 2°. p. 25 etc. — Confer etiam C. Kortum Beyträge zur pract. Arzneiwissenschaft 8°, Gœtting. 1796.

vel partis ejusdem particularis, tensus, durus, pressione dolorificus; Kephalalgia frequens; languor, sensus debilitatis post somnum; animi dejectio et moestitia sine causa apparente, nunc cum metu variorum morborum gravium, apoplexiæ, mortis, nunc cum tædio vitæ insuperabili; hyperkinesia, aut koinæsthesis (κοιναισθησις) morbosa, ita ut æger caterva morborum simul et semel afflictus esse videatur.

Ægri hi raro cibum appetunt, at dum offertur, cum appetitu edere videntur; sed a cibo sumpto, digestio difficilis cum ructibus crudis aut acidis, vel nidorosis, fœtidis; flatulentia et plenitudo ventris, sæpe etiam tumor vasorum hæmorrhoidalium internorum vel externorum, qui alvo laxa vel diarrhœa superveniente tollitur, et tunc morbus lentos progressus facit; sed sæpe e contrario, dyscoilia rebellis, et tunc morbus cito augetur, symptomatibus gravioribus mox accedentibus. Quidam dyspnœam sentiunt quam de tempore in tempus inspiratione profundiore levare conantur, et mane præcipue tussi cum expectoratione pituitæ tenacis vexantur.

tur. Alii hepatis vel lienis tumore duro, pressione præprimis dolorifico, aut etiam hepatitide vel splenitide chronica, aut pneumonitide pituitosa laborant. — Podagræ subjecti simul dolores vagos, præcursores accessus, sentiunt, et qui hæmorrhoidum fluxu laborare consueverunt, sæpe varicibus ani vel doloribus internis recti, vulgo Hæmorrhoïdibus cæcis dictis, et fœminæ ischomenia aut dysmenia vexantur. Aliis maculæ, phlyctænæ, lichenes, herpetes, erysipelata etc. in cute erumpunt cum cnesmo molesto, humorem acrem, odoris nauseabundi, præcipue ad inguina et perinæum, sæpe copiosum fundentes. — Dum alii de ulceribus crurum rebellibus, vel etiam de aphthis oris valde incommodis et continuo renascentibus queruntur. — Tandem accedente melænorrhagia, syntecopyra, hydrope, skirrho, phthisi vel atrophia, mors.

In cadaveribus dissectis, hepar, splen, pancreas, glandulæ meseraicæ, et non raro etiam ovaria, uterus, vasa hæmorrhoidalia, meseraica, totum systema venæ portæ, ac vasa brevia ventriculi in ingentem molem distenta, tumida, dura deprehenduntur, humore mucoso, viscoso, lympha, sanguine fusco, bile atra picea, infarcta. Morbus præcipue homines mediæ ætatis (30 vel 36 annorum) corporis

robusti, capillis nigris, et cute dura, sicca præditos, vitam lautam, sedentariam, aut otiosam ducentes, vel etiam illos, qui ex adversitate aut aliis causis, mentem triste aut ingrate diutius afficientibus laborant, infestans (*).

SYN. Obstructio vasorum vel viscerum abdominalium. *Auct.*

(*) Obstructiones sæpe subito post morbos acutos, sæpius lente a vitiis diæteticis oriuntur. *Causa* earum non semper evidens est, quandoque Pachyhæmia seu spissitudo aliave vitia sangninis, quandoque asthenia generalis aut atonia vasorum abdominalium, vel causæ quævis aliæ, circulationem humorum per vasa abdominalia retardantes, impedientes, infarctui originem præbent. — *Sedes* morbi sæpe satis evidenter cognoscitur ex vitiis digestionis, ex alvo et urina, ex sensatione ægri, et præcipue si palpando tumor percipitur : quandoque autem hæc diagnosis difficilior est, si nullus tumor detegitur, et facies colorem sanum præsefert, et tunc medicus divinare morbum potius debet ex diæta aut regimine prægresso, ex vitæ genere, ex fatis ægri præcedentibus, ex relatione amicorum, aut ex effectu medicamentorum antea adhibitorum. Viscera abdominalia maxime, pulmones rarius, infarctui obnoxia sunt; hinc digestio, chyli elaboratio, evacuationes excernendorum pro numero organorum affectorum, pro temperamento ægri, pro consensu partium etc. varie peccant; unde spasmi, dolores, aliive nervorum morbi, symptomata podagræ, helminthiasis, hydropes, cutis vitia varia, aliique morbi chronici difficulter sanabiles, ex hoc fonte solo oriundi, in praxi frequenter occurrunt.

Physconia. *Cheston, S.* et *Cullen.*
Melancholia (Μέλαινα χολή. Græc.)
Atra bilis , *s.* Morbus atrabiliarius. *Auct.*
Hypochondriasis cum materia. *Recent.*

Infarctus *s.* Congestio sanguinis in vasis vel visceribus abdominalibus. Asthenia seu debilitas viscerum vel vasorum abdominalium.	*Auct.*

Species Emphraxis abdominalis sunt :

Sp. 1. Emphraxis *Hepatis.*

Dyspepsia ; flatulentia ; dyscoilia ; alysmus , aliave symptomata emphraxis ; plerumque cum tumore hypochondrii dextri plus minusve duro , non raro ad epigastrium usque extendente ; sensus ponderis et dolor, pressione præcipue fortiori auctus ; sæpe etiam dolor humeri obtusus ; color faciei luridus , fœdus , plumbeus vel luteus ; urina parcior , profunde colorata , fusca ; fæces duræ , cinereæ ; tumor vasorum hæmorrhoidalium ; dyspnœa ; tussis frequens, sicca , profunda. Progressu morbi lapidea hepatis durities ; icterus ; hydrops ; tympanites ; phthisis aut atrophia lethalis. Vide etiam *Hepatitis.*

Sp. 2. Emphraxis *Splenis*.

Dyspepsia; alysmus; dyspnœa, aliave emphraxis symptomata; gravitas aut sensus ponderis vel doloris molesti in hypochondrio sinistro, decubitu in latus dextrum vel pressione auctus; sæpe tumor in regione splenis evidens, mollis vel durus, renitens; ructuum explosio frequens, summe molesta; quandoque sialorrhœa acris fæces et os excorians, aut screatus muci tenacis frequens; color faciei et cutis fœdus, lenticolor, nigricans, viridis vel ex virore pallescens; maculæ cutis plus minusve latæ, lividæ vel fuscescentes; tandem ulcera crurum rebellia, hæmorrhœæ variæ, et phthisis vel atrophia lethalis (*). Morbus maxime frequens ex abusu liquorum spirituosorum, ex animi pathematibus tristibus, vel ex dialeipyris, aut cholepyris neglectis aut male tractatis. Confer etiam infra *Peliosis*.

(*) Gingivarum corruptionem; fœtorem oris; rhagades seu fissuras labiorum, pedum, manuum, cutis; ulcera crurum, etc. ut symptomata splenis affecti ab Hippocrate notata, in nostris regionibus hodie rarius in Lienosis (Σπληνικοὶ Hipp.), sed frequenter in scorbuto observamus.

Sp. 3. Emphraxis *Pancreatis.*

Tumor sub ventriculo, ad hypochondrium sinistrum extendens, sæpe in ingentem molem increscens; dyspepsia; pondus et anxietas ad hypochondria; ardor ventriculi; ructus acidi;[1] nausea; singultus; vomitus frequens, rebellis; dolor inter cartilaginem xyphoideam et umbilicum gravativus, pastu et præcipue pressione, auctus.

Variat:

α. Inflammatoria.
β. Apostematosa.
γ. Skirrhosa.
δ. Carkinomatosa.
ε. Calculosa.
ζ. Paralytica.
η. Stenotica, ab obstructione aut concretione ductus excretorii hujus glandulæ orta.

Sp. 4. Emphraxis *Mesenterii.*

Tumor ventris generalis, mollis vel duriusculus, indolens, cum atrophia aut phthisi. Morbus maxime infantum, ab acido primarum viarum, vitio scrofuloso, vel osteomalakia, ex infarctu vasorum lacteorum et glandularum mesenterii, oriundus.

Sp. 5. Emphraxis *Ovariorum.*

Tumor in fœminis adultis, plerumque durus, plus minusve renitens, pressione dolorificus, in latere dextro vel sinistro hypogastrii, raro in utroque, sæpe ad molem enormem increscens. Vide etiam infra *Ovarioncus.*

Sp. 6. Emphraxis *Uteri.*

Tumor hypogastrii in mulieribus, paulatim crescens, durus, renitens, pressione dolens, citra graviditatem aut ischuriam vesicalem; maxime fœminis ex suppressione menstruorum, vel versus tempus cessationis eorumdem superveniens. Vide etiam infra *Hysteroncus.*

Sp. 7. Emphraxis *Vasorum abdominalium.*

Symptomata emphraxis abdominalis varia, sæpe sine ullo tumore ventris apparente; sed hæmorrhœa ex vasis hæmorrhoidalibus recti vel ani, non raro periodica, quandoque profusa; vel tumor vasorum hæmorrhoidalium internorum vel externorum, summe dolorificus; dyscoilia; kephalalgia; alysmus; metus apoplexiæ, mortis; aliave symptomata hyperkinesiæ. In cadaveribus hoc morbo defunctorum, vasa sanguinea in variis abdomi-

nis partibus sæpe in immensam molem distenta, sanguine spisso, nigro, piceo plena, aut etiam rupta reperiuntur. Vide *Marcard* loc. cit.

HÆ SPECIES VARIANT pro causa remota:

α. Ab atonia vasorum vel viscerum abdominalium hæreditaria, connata vel acquisita.

β. Ab asthenia generali, vel a torpore aut paralysi viscerum variorum abdominalium locali.

γ. A spissitudine, tenacitate, coagulatione, aliisve vitiis humorum: sanguinis, lymphæ, muci, bilis etc.

δ. A transitu humorum per vasa retardato, ex vita otiosa, sedentaria, lucubrationibus, defectu exercitii, compressione mechanica; hinc emphraxis abdominalis litteratorum et plurium opificum.

ε. Ab animi affectibus tristibus, mœrore, curis etc.

ζ. A stenosi vel compressione aut concretione vasorum sanguineorum vel lymphaticorum.

η. A sarcomate, steatomate, sclerosi, skirrho, aliisve tumoribus in abdomine, vasa vicina comprimentibus.

ϑ. A fasciis, aut vestimentis arctis, liberum

sanguinis circulum per vasa aut viscera abdominalia impedientibus.

ι. A variis vitiis diætæ : ingluvie, abusu potuum spirituosorum, aut potuum aquosorum tepidorum habituali, ingestis tenacibus, glutinosis, acescentibus, acidis.

κ. A vitio hæreditario aut temperamento peculiari, ad stagnationes et congestiones humorum in abdomine disposito.

λ. A morbis variis, chronicis vel acutis, gravibus prægressis.

μ. A dialeipyra neglecta vel male tractata.

ν. A vaporibus vel præparatis plumbi ingestis; unde emphraxis abdominalis pictorum, aliorumve opificum plumbum tractantium.

ξ. Ab ictu aut contusione.

ο. Ab helminthiasi, aut saburra mucosa, acida etc. canalis intestinalis.

π. A vitio scrofuloso glandularum mesenterii.

ρ. Ab obesitate nimia.

G. CCXXVII. CHOIRAS s. SCROFULA.

Gr. Χοιράδες *Hipp.* a Χοῖρος porcus, cujus vetula, scrofa : Tumores colli, quasi tumoribus, quibus scrofæ subjectæ sunt, non absimiles.

Tumores glandularum maxime salivalium, parotidum, submaxillarium, sublingualium, nec non glandularum lymphaticarum colli et cervicis, non raro etiam inguinalium, et subaxillarium ac mesentericarum, chronici, duri, renitentes, plerumque indolentes, ægre et male suppurantes, abeuntesque in ulcera ichorem flavum, mucosum, viscidum plorantia, rebellia, difficulter et fœde cicatricantia : Sæpe simul tumor abdominis durus a glandulis meseraicis infarctis; aut ophthalmitis chronica rebellis. In aliis atrophia aut phthisis pulmonum tuberculosa ; vel etiam tumor ossium, digitos pedum, manuum, malleolos, coxam, cubitum, sed præcipue genu occupans, initio cuti concolor, fere indolens, dein purpurascens, summe dolorificus, in ulcus mali moris, ten-

dines et cartilagines erodens, ac in osteophthoriam, seu corruptionem substantiæ internæ ac medullæ ossium abiens. Morbus a vitio peculiari, hactenus ignoto ortus, hodie in multis Europæ regionibus, sæpe hæreditarius vel connatus, maxime infantibus a tertio ad septimum ætatis annum frequens; quandoque tamen sed rarius etiam adultis post tempus pubertatis, præcipue habitu corporis debiliore, cute lævi, candida, capillis flavescentibus, et oculis cæruleis præditis, infestus. (*).

SYN. Struma *Celsi*.
Scrofula s. Scrophula. *Auct.*
A. King's evil; Scrofula.
G. Ecrouelles; humeurs froides.
Ge. Skrofeln; Skrofelkrankheit.
Helv. Scrovole.
Hisp. Lamparones.

(*) Hic morbus jam ab antiquissimis temporibus notus et ab Hippocrate sub nomine *Choirades* descriptus, ex eademque causa a recentioribus *Scrofula* appellatus, nihil cum morbo colli, quibus porci subjecti sunt, commune habet, nisi tumorem colli. Nam porcorum morbus non in glandulis hæret, sed ut hodie bene novimus, vesiculosus est, a verme, *Tænia Finna* dicto, dependens, et ple-

Variat pro causa remota :

α. A vitio hæreditario, ex parentibus huic morbo subjectis, vel multum debilitatis, aliove modo exhaustis.

β. Ab inedia autdiæta prava.

γ. A climate aut habitatione humidis, frigidis.

G. CCXXVIII. ELEPHANTOPUS.

Gr. Ἐλέφας elephas *s.* elephantus, et ποῦς pes : Pes elephantinus.

Tumor pedis et cruris unius, vel utriusque, quandoque etiam manuum; plerumque a phalangibus digitorum pedis incipiens, dein a pede et tandem crure, ad genu aut femur usque ascen-

---

rumque facile usu sulfureti stibii nativi intra paucas septimanas curandus, dum morbus hominum, de quo hic agitur, hactenus incurabilis sedem suam in glandulis corporis variis, imo in ipsis ossibus figit. Ex defectu melioris denominationis nomen usitatum retinui; cæterum opinioni recentiorum, qui cachexiam scrofulosam a syphilitide derivant, omnino adversus, eam et causa et sede ac natura et curatione a lue venerea essentialiter differre persuasum habeo; certe præparata Hydrargyri aliave medicamenta antisyphilitica a doctissimis, quos in Europa consului, practicis in scrofula potius obesse quam prodesse, observata fuerunt.

dens, et paulatim in ingentem molem, quandoque ad trium pedum circumferentiam increscens, et sic pedem elephantis æmulans. Tumor indolens, sed cnesmo molesto et immobilitate articulationum stipatus. Pars affecta primo colore rubro, dein nigro, venis varicosis, ac rugis, fissuris, et nodis in cute distincta; tandem ulceratio fœtida et mors partis, ita ut digiti pedum sæpe sponte sine ullo fere dolore decidant. Morbus in Ægypto et in variis regionibus zonæ torridæ frequens, quandoque cum sarcomate scroti junctus, chronicus, non raro per decem, viginti et plures annos sine alia corporis affectione durans. (*)

(*) Hic morbus ab Elephantiasi seu Leontiasi *Græc.* essentialiter differt, quod plerumque localis sit, et sæpe nonnisi unum pedem aut manum afficiat, in desorganisationem partis completam abiens, quandoque absque ulla affectione apparente systematis corporis generalis; si vero supra femur ascendit et inguina, mammas, aliasve corporis partes afficit, brevi lethalis evadit.

Arabes eundem ab Elephantiasi bene distinguunt, quam sub nomine Daül-Asad (Leontiasis *Græc.*) designant; dum morbum pedum, de quo hic sermo est,

Syn. Elephantia (Dàül-Fil) *Arabum.*
Phlegmatia Malabarica. *S.*
Cochin leg (*Linschotten*). (*).
Glandular disease of Barbados. *Hendy.*

Dàül-Fil seu Elephantiam appellant. Auctores plerique hos morbus male confundunt.

(*) Vide Linschotten voyage, et Hendy (treatise on the glandular disease of Barbados in-8°. Lond. 1784), quorum prior figuram hujus morbi ut in Cochin, et alter ut in insula Barbados apparet, exibent. Prosper Alpinus (Medic. Ægypt.), et nuper Larrey (*Relat. hist. et chirurg. de l'armée en Egypte*, etc. 8°. Paris, 1803), eundem, ut in Ægypto apparet, bene descripserunt. Hillary (on the diseases of Barbados), eum a metastasi febrili oriri credit. Schilling (de Lepra commentarius Lugd. Bat. in-8°. — 1778); eundem autopsia optime illustravit: In pede amputato ossium substantiam internam corruptam invenit; musculi et tendines ossibus circumpositi degenerati massam informem, steatomatosam, seu speciem lardi compacti, ossibus tenaciter adhærentem, præseferebant, sine ullo vestigio vasorum sanguineorum, aut lymphaticorum, sed in cute corrugata vasa varicosa apparebant. Amputatione instituta sanguis ex arteria crurali saltu debili prodiit nigricans, instar sanguinis venosi.

CL. IV. O. V. DYSCHROIÆ, s. CACHEXIÆ DECOLORES.

Gr. ΔΥ͂ΣΧΡΟΙΑΙ, a δὺς vitiose, et χρόα s. χρῶμα color.

CHAR. CACHEXIÆ colore cutis depravato, fœdo distinctæ.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt :

GENUS I. LEUCOPHLEGMATIA.
II. CHLOROSIS.
III. ICTERUS.
IV. SCORBUTUS.
V. PELIOSIS.
VI. ARTERIOCHALASIS.

CL. IV. O. V. DYSCHROIÆ, *s.* CACHEXIÆ DECOLORES.

G. CCXXIX. LEUCOPHLEGMATIA.

Gr. Λευκοφλεγματία, a λευκὸς albus et φλέγμα phlegma, seu pituita aut mucus abundans(*).

Totius corporis superficiei intumescentia mollis (*pastacea*); color cutis fœde albus, pallidissimus; frigus corporis constans; pulsus lentus, parvus, debilis; asthenia generalis; anæsthesia; anerethisia; languor ad motum mentis et corporis. Morbus utplurimum symptomaticus ex atonia solidorum, ac asthenia generali, aut ex inopia seu defectu sanguinis rubri ortus; frequens chlorosis, hydropis, aliarumve cachexiarum comes (**).

(*) *Sauvages* leucophlegmatiam cum anasarca aut tumore pedum hydropico eandem habet. — *Cullen* leucophlegmatiam cum emphysemate et cum pneumatosi male confundit.

(**) Humor in leucophlegmatia in membrana cellulosa cutis stagnans partim ex lympha, hinc aqua, gelatina,

Λευκὸν φλέγμα. *Platon.*
Phlegmatites. *Arœtei.*
Ὑποσαρκίδιος. *Hipp.*
Ἐπισαρκίδιον. } *Galen.*
Κατασάρκα. }
Hyposarca. *L.*
Pituita alba. *Gorrœi.*
Phlegmatia. *Junck.*

VARIAT pro causa remota :

α. A morbis acutis vel chronicis gravibus prægressis, præcipue a dialeipyra aliisve febribus neglectis, aut male tractatis.
β. Ab hæmorrhagiis aut hæmorrhoeis profusis.
γ. A blennorrhagiis aut blennorrhœis variis profusis.
δ. A chlorosi.
ε. Ab hydrope.
ζ. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.
η. Ab helminthiasi.
ϑ. A dyskyesi.

---

albumine et muco, non absorpta, partim ex adipe liquidiore constare videtur, tumore inerti, inelastico cellulosam cutis distendens, vel quandoque etiam ex adipe spissiore indurationes, steatomata aut tubercula variæ molis, figuræ etc, non raro in ulcera rebellia degenerantia, formans.

ι. Ab

ι. Ab inedia, aut usu alimentorum pravæ indolis longiore.

κ. A vita sedentaria, otiosa.

λ. Ab habitatione humida, præcipue in locis angustis, male ventilatis, nosocomiis, carceribus.

μ. Ab atmosphæra vel climate humido, paludoso, aliisve effluviis insalubribus, noxiis, inqninato.

G. CCXXX. CHLOROSIS.

Gr. Χλώρωσις, a Χλωρὸς, ex viridi pallidus.

Facies pallida aut cum pallore virescens; pallor labiorum oris, gingivarum et canthi oculorum; lassitudo constans et asthenia universalis; vertigo; somnolentia fere continua; somnus profundus; palpebrarum post somnum turgor; tristitia; menstrua irregularia, vel ischomenia aut dysmenia; non raro blennorrhoea uteri profusa; anorexia, dyspepsia, kitta, nausea, vomitus acidorum, mucosorum; respiratio ex levi motu difficilis, suffocans cum cardiopalmo, aut palpitatione in epigastrio; Pulsus irregularis, celer, subinde plenus, sæpe

debilis et mollis; quandoque simul tussicula, phthisin mentiens; tumor pedum circa malleolos hydropicus, versus vesperam auctus; sanguis decolor, viscidus, mucosus. Morbus chronicus, maxime puellis vitam sedentariam degentibus circa tempus pubertatis, aut etiam fœminis junioribus caste viventibus, infestus.

A. Green sickness.
G. Chlorosis; pâles couleurs.
Ge. Bleichsucht.

Sp. 1. *Chlorosis asthenica.*

Chlorosis debilium, atonia solidorum aut asthenia generali, vel asthenia ovariorum topica, laborantium.

Syn. Chlorosis frigida. *Auct.*

Variat pro causa remota.

α. A vita otiosa, sedentaria.
β. A plethora generali.
γ. A diæta prava, præcipue a potu copioso aquosorum tepidorum.
δ. A somno habitualiter longiore.
ε. A victu humido.
ζ. Ab habitatione humida.

Sp. 2. Chlorosis sthenica.

Symptomata chlorosis in puellis antea robustis, plethoricis, exercitiis et laboribus durioribus assuetis, hactenus regulariter menstruatis. Pulsus plerumque fortis, plenus, celer, quandoque cum inflammatione visceris unius vel alterius topica junctus. Morbus plerumque cum ischomenia complicatus, vel ex suppressione menstruorum oriundus.

Syn. Chlorosis calida. } *Stoll.*
——— febrilis inflammatoria. }

Variat pro causa remota.

α. A potu frigido sub fluxu menstruorum, præcipue æstuante corpore, hausto.
β. A perfrigeratione crurum pedumque.
γ. A terrore subito, aliisve animi pathematibus sub menstruatione perpessis.
δ. A nimio corporis exercitio.
ε. A calefacientibus, stimulantibus assumptis.
ζ. A nimiis vigiliis.

G. CCXXXI. ICTERUS.

Gr. Ἴκτερος color cutis flavus ex bile effusa.

Color cutis universæ ac tunicæ albugineæ oculorum abnormis, flavus vel nigricans; urina crassa, profunde rubra,

fusca vel nigricans, in superficie ad latera matulæ lutea, papyrum vel linteum album immissum colore croceo tingens, sedimentum sæpe lateritium copiosum deponens; dyscoilia, fæces duræ cinereæ (gryseæ), albescentes, rarius diarrhoea biliosa; anorexia; dyspepsia; oppressio ad præcordia; languor mentis et corporis universalis; quandoque objectorum flavedo oculo apparens ex humore aqueo bile lutea tincto; ariditas cutis, et sub finem morbi cnesmus ejusdem summe molestus cum pustulis; ischidrosis; sæpe tumor, tensio, gravitas in hypochondrio dextro, aut etiam dolor ex pressione obtusus. Morbus ex bile pallide lutea, aut flava vitellina, crocea, vel ex viridi nigra mixta in massam sanguinis absorpta, et ex hac in universam corporis superficiem effusa ortus, imo etiam ossa et cartilagines tingens; quandoque etiam lac et salivam colore luteo et amaritie imbuens.

SYN. Aurigo. *S.*

Morbus regius.
——— arquatus. } *Auct.*
——— arcuatus.

Cachexia icterica. *Fr. Hoffm.*

A. Jaundice.
G. Jaunisse.
Ge. Gelbsucht.

Sp 1. Icterus *Febrilis.*

Symptomata icteri cum pulsu frequente, pleno et duro, vel debili; tussis sicca constanter urgens, quandoque cum raucedine; alysmus ingens; dolor in hypochondrio dextro, pressione auctus, alvo interea sæpe biliosa. Morbus symptomaticus, summe acutus, sæpe lethalis; quandoque criticus levans (*).

VARIAT pro causa remota:

α. A metastasi febrili.
β. A cholepyra, diarrhœa, vel dysenteria biliosa.

(*) Quidam auctores colorem cutis pallido-flavum in febribus biliosis, climatum præcipue calidorum, æque ac in febre flava dicta obvium, non a bile absorpta et in cutem effusa, sed a sero flavescente sub epidermide stagnante derivant. Hanc litem discutere non hic loci est. Certe in omnibus hisce febribus systema hepaticum semper plus minusve laborare ex sectione cadaverum evidenter patet.

γ. A bile flava vel materia atrabiliaria absorpta et in massam sanguinis delata.

δ. Ab hepatitide.

ε. Ab apostemate hepatis.

ζ. A calculis felleis in ducto choledocto impactis.

η. Ab ochropyra.

θ. A metastasi rheumatica, podagrica vel erysipelatosa.

Sp. 2. Icterus *Plethoricus*.

Icterus a plethora generali, circulum sanguinis per systema venæ portæ retardante, vel ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis, oriundus.

Sp. 3. Icterus *Emphracticus*.

Icterus ab inflammatione aut obstructione seu infarctu hepatis aut vasorum systematis venæ portarum oriundus, plerumque cum tumore hepatis plus minusve evidente; quandoque etiam cum pondere aut dolore obtuso hypochondrii dextri, pressione aucti, sæpe simul tumore et dolore vasorum hæmorrhodalium, stipatus. Vide etiam *Emphraxis hepatis*.

VARIAT pro causa remota :

α. A vitio hæreditario, temperamento melancholico dicto.

β. A spissitudine bilis abnormi in potatoribus, aut vitam sedentariam agentibus.

γ. A tuberculis, obstructione, sclerosi, vel skirrho hepatis.

δ. Ab exsiccatione aut atrophia hepatis.

ε. A torpore seu asthenia hepatis aut vesiculæ felleæ.

ζ. A senio.

η. A detentione in carceribus, aut habitatione in locis humidis.

ϑ. A morbis acutis vel chronicis, præcipue a dialeipyris quartanis neglectis, male tractatis, vel incaute suppressis.

ι. Ab abusu liquorum spirituosorum habituali.

κ. A stenosi, aut compressione ductus choledochi, ex tumoribus vicinis, graviditate, positura habituali præpostera corporis, versus anteriora curbati, et bilis transitum liberum in duodenum impediente.

λ. Ab orificio ductus choledochi in duodeno saburra, pituita, vermibus obstructo, vel indurato, cartilagineo; præcipue, in helluonibus, potatoribus.

μ. A victu pingui, oleoso, glutinoso.

ν. Ab animi affectibus tristibus, præcipue metu, mœrore, zelotypia, avaritia.

Huc etiam pertinere videtur :

ICTERUS *Neonatorum.*

Ab impedito bilis in duodenum effluxu ex meconio, saburra etc., aut etiam ex qualitate aut quantitate bilis vitiata oriundus, maxime in climate calido in recens natis occurrens.

Sp. 4. Icterus *Spasmodicus.*

Icterus ab ira, terrore, morbis spasmodicis, dolorificis, hyperkinesia, aut ab irritatione systematis hepatici ex bile acri, aut ex mestastasi humoris acris cujusvis, vel etiam ex calculo in ductu choledocho impacto, oriundus.

Sp. 5. Icterus *Venenatus.*

Icterus a plumbo, delphinium-staphysagria, aliisve venenis assumptis, vel etiam a morsura quorundam serpentum, aut ex læsione sagittarum venenatarum etc. productus.

Sp. 6. Icterus *Calculosus.*

Post dolorem in epigastrio vel hypochondrio dextro violentissimum, plerumque nausea vel hyperemesia rebelli stipatum, symptomata icteri, dyscoilia, fæces duræ, gryseæ vel al-

bescentes; urina crocea, fusca: Tandem doloris cessatio, et alvus biliosa, libera, sæpe calculum unum vel calculos felleos plures continens. Morbus a calculo felleo molliore vel duriore ex vesicula fellea in ductum kysticum et ductum choledochum propulso, ibique impacto et irritante oriundus (*).

(*) Hic dolor atrocissimus, a calculo felleo in ductu choledocho aut in orificio ejusdem impacto, ortus, a practicis ignaris plerumque pro spasmo ventriculi vel pro dolore colico habetur, et perverse tractatur. Calculus autem sic impactus gradatim vel integer in duodenum expellitur bile a tergo urgente; vel si major, sed minus durus, comminutus in intestinum duodenum propellitur, quo facto æger unum vel plures tales calculos seu concretiones plus minusve duras aut tenaces cum alvo, nunc denuo bile tincta, excernit. — Sed hic eventus non semper adeo felix est: quandoque calculus ob molem aut contractionem spasticam ductus choledochi transire nequiens, motu retrogrado in vesiculam felleam redire cogitur, brevi post eandem tragœdiam ludens. Quandoque plures calculi majores duri, vel parvi molliores in vesicula fellea generantur, imo vesicula non raro post mortem calculis talibus repleta reperitur. In utroque casu symptomata icteri calculosi de tempore in tempus redeunt, et æger tandem ex hydrope perit. Circa naturam horum calculorum, vide infra *Cholelithiasis*.

G. CCXXXII. SCORBUTUS.

Lassitudo et Asthenia generalis; gingivæ tumidæ, molles, spongiosæ, fungosæ, rubro - lividæ, ex levissima frictione sanguinem fundentes; dysodia oris; maculæ lividæ aut nigræ in cruribus, aliisve corporis partibus; magna animi dejectio; ex levissimo motu corporis dyspnoea. Progressu morbi rigiditas articulationum, præcipue genuum; impotentia musculos movendi; dolores artuum, dorsi, lumborum vespere aut noctu increscentes, quandoque dolor lateris punctorius; hæmorrhoeæ variæ; dentes nigri, vacillantes; cutis arida; urina parca, fusca, supernatante pellicula oleosa, sæpe papyrum cæruleum immissum e viridi tingens; atrophia musculorum; facies pallida, tumida; vibices; varices; ulcera crurum et gingivarum foeda, putrida, rebellia; crurum tumor mollis hydropicus, vel ligni instar durus; contractura et tumor genuum; exostoses,

osteophthoria; ex levi motu syncope, imo non raro mors subita. Morbus maxime nautis in longis itineribus, nec non incolis regionum borealium, præprimis ad littora maris degentibus, et pauperibus omnium regionum male nutritis infestus; a chylificatione et nutritione vitiatis oriundus (*).

A. Scurvy.
G. Scorbut.
Ge. Skorbut; Schaarbock.

VARIAT pro causa remota:

α. A diæta ex carnibus, muriate sodæ salitis, parte fibrina et gelatinosa, lapsu temporis, spoliatis.

(*) Morbus hic præcipue nobis in Europa notus a tempore, quo acus magneticæ inventio longioribus itineribus maritimis locum dedit, ante sæculum XIII vix cognitus, saltem talis qualem hic delineavi. Morbus splenicorum *Hipp.* æque ac Peliosis multum cum scorbuto commune habent, sed characteribus notatis æque ac methodo medendi ab eo essentialiter differunt. Investigatio in naturam hujus morbi profundior nos docuit partem fibrinam, albuminosam et gelatinosam in sanguine hoc morbo laborantium deficere, unde sanguis eorum missus solito fluidior vel omnino non coit loturæ carnium similis, vel in grummos abit sero rubescente, et musculi omnes flac-

β. Ab usu carnium aut piscium putrescentium.

γ. A defectu alimentorum vegetabilium.

δ. A victu crudo, caseoso, oleoso, farinoso.

ε. Ab aëre humido, frigido, præcipue occluso, non probe renovato aut ventilato, gaze oxygenio non sufficienter permixto.

ζ. A vestibus humidis, madidis, non mutatis (probabiliter ex decompositione aëris corpus ambientis).

η. A vita otiosa, defectu exercitii, præcipue in atmosphæra corrupta.

ϑ. A nimio labore simulque prava diæta.

ι. A mœstitia.

---

cidi, pallidi et summe extenuati reperiuntur; exinde nautas maxime carnibus salitis, quæ conservatione longiore partem gelatinosam et fibrinam magis magisque perdiderunt, viventes vel pauperes omnium regionum male nutritos huic morbo præcipue obnoxios esse credo. Inde etiam patet, quare scorbutus non semper eidem medendi methodo obediat, et cur quandoque usui carnium coctarum vel assatarum, gelatina et fibrino scatentium, cedat; cur in quibusdam aromatica stimulantia et roborantia requirat, dum in aliis vegetabilibus fermentatis, et acescentibus refrigerantibus feliciter debellatur; et scorbutus acidus aqua calcis sæpe curetur.

G. CCXXXIII. PELIOSIS.

A G. Πελίωσις, a πελιὸς seu πελλὸς lividus.

Maculæ cutis lividæ, sæpe valde latæ, quasi a contusione, in diversis corporis partibus (ex sanguine sub epidermide effuso et non absorpto) ortæ; hæmorrhoeæ variæ profusæ, rebelles; àsthenia generalis, frequenter simul tumor splenis, et pulsus plus minusve acceleratus. Confer etiam *Emphraxis Splenis*.

SYN. Morbus Lienosus (Σπληνικὸς *Hipp.*)
Morbus cæruleus. } *Auct.*
——— maculosus. } *Auct.*
——— hæmorrhagicus. } *Auct.*
Ecchymosis spontanea.
Petechiæ sine febre. *Burserius.*
——— chronicæ. *Auct.*
Scorbutus *quorumdam.*

Variat pro causa remota:

α. Ab emphraxi lienis.

β. Ab abusu liquorum spirituosorum habituali.

γ. A scorbuto.

δ. A morbis vel causis debilitantibus generalibus prægressis.

ε. A mœrore aliisve animi pathematibus tristibus, diu continuatis.

G. CCXXXIV. ARTERIOCHALASIS.

Gr. Ἀρτηριοχάλασις, ab ἀρτηρία arteria et χάλασις dilatatio.

Arteriarum plurium vel omnium corporis dilatatio abnormis. Morbus palpitationibus in variis corporis partibus, maxime in thorace, epigastrio, et ad latera colli, colore faciei pallido, lurido, dysphoria generali, et alysmo constanti summe molesto, ac pulsu irregulari, accelerato stipatus; tandem ex rupta una alterave arteria hæmorrhagia subito lethalis (*).

(*) Hunc morbum a nullo hactenus auctore nosologico memoratum, talem qualem pluries in praxi observavi, hic recte locum merere judicavi, eumque nomine *Arteriochalasis* insignivi, utpote characterem ejus melius exprimens, quam nomina *Arteriophthoria*, aut *Anevrysmatosis*, quæ primo sese obtulerunt. In cadaveribus hoc morbo defunctorum arteriæ omnes aut plurimæ corporis summe dilatatæ, ac membranæ earum, in statu sano crassæ et fortes, in membranam, instar pergamenæ tenuem, transmutatæ reperiuntur.

CL. IV. O. VI. HELCOSES,

seu CACHEXIÆ ULCEROSÆ.

A Gr. ἙΛΚΩΣΕΙΣ, ab Ἑλκωσις : Ulcus *seu* exulceratio.

CHAR. CACHEXIÆ, ulceribus in variis corporis partibus, plusve minusve profundis, serpentibus cutis vel glandularum, stipatæ.

GENERA ad hunc Ordinem spectantia sunt:

GENUS I. APHTHA.
II. THYMIOSIS.
III. SYPHILIS.
IV. CARKINOMA.
V. ELEPHANTIASIS.

CL. IV. O. VI. HELCOSES,

seu CACHEXIÆ ULCEROSÆ.

APHTHA (*).

Gr. Ἄφθαι, ulcera oris serpentia *Celsi.*

Ulcera membranæ mucosæ oris, in gingivis, genis, lingua vel faucibus orta, quandoque etiam in œsophagum, ventriculum et intestina ad anum usque descendentia. Morbus plerumque symptomaticus, chronicus, a saburra, ventriculi acida, vel ab acri quocunque applicato aut ex massa humorum deposito, oriundus.

Syn. Pemphigodes. *Galen.*
Algola *s.* Alcola. *Arabum.*
Aphthæ *s.* Acaces. *Auct.*

(*) Hoc genus quod supra Vol. 1, p. 138, ad Phlegmasias Blennodes retuli, rectius hic sub Cachexiis ulcerosis recensendum esse puto.

A. Thrush; pustula oris; spreading ulcers in the mouth.

G. Aphthe; chancre à la bouche.

Ge. Schwämchen; Mundgeschwüre; Wasserkrebs.

APHTHA fere omnis symptomatica est, ut ex sequentibus elucet:

1. *Aphtha ab Acido.*

Phlyctænæ seu ulcuscula rotunda, crusta seu eschara alba tecta, in lingua, ore vel faucibus, aut etiam in ano vel genitalibus, maxime infantibus, a vitio lactis vel diætæ; sed non raro etiam adultis ex saburra acida, biliosa, atrabiliaria, infesta.

SYN. Lactucimina. } *Auct.*
Aphthæ lactantium.
——— adultorum ab acido.

2. *Aphtha Gangrœnosa*, s. *Cacoëthes.*

Ulcera oris vel faucium, eschara pallida aut livida tecta, ex viru scarlatinoso, aliove acri, putrido, contagioso, oriunda.

3. *Aphtha Metastatica.*

Ulcera oris urentia, summe dolorifica, ex acri erysipelatoso, podagrico aliove orta,

quandoque oris superficiem instar ignis adurente, cum desquammatione epidermidis, imo dentes ipsos dissolvente, mollescente.

4. *Aphtha Scorbutica.*

Ulcera oris livida, profunde corrodentia, cum symptomatibus scorbuti; sæpe etiam cum sialorrhœa, aut hæmorrhœa gingivarum vel faucium juncta.

A. Scorbutic ulcers in the mouth.
G. Ulcères de bouche scorbutiques.
Ge. Wasserkrebs.

5. *Aphtha Syphilitica.*

Ulcera oris, gingivarum, linguæ vel faucium, a viru syphilitico immediate hisce partibus applicato, vel ex massa humorum huc deposito, oriunda.

6. *Aphtha Phthisicorum.*

Ulcera numerosa, serpentia in ore, et ex hoc canalem intestinalem sequentia in ultimo stadio phthiseos ab exhalationibus acribus ex pulmone nata; mortis præcursores.

7. *Aphtha Dysentericorum.*

Ulcera oris, intestinorum, sed præcipue recti, intestini, ex acri dysenterico orta.

8. *Aphtha ab Hydrargyro.*

Ulcera oris, gingivarum vel faucium dolorifica, serpentia, cum sialorrhœa juncta, ex applicatione interna vel externa hydrargyri orta.

9. *Aphtha ab Acrimonia Salivæ.*

Ulcera oris vel faucium, ex qualitate salivæ a quacunque causa vitiata.

10. *Aphtha a Carie dentis.*

Ulcus linguæ, vel genarum internarum serpens, summe dolorificum, ex frusto dentis cariosi membranam oris mucosam constanter irritante ortum; sæpe a practicis ignaris pro carkinomate habitum.

G. CCXXXV. THYMIOSIS.

Gr. Θυμιωσις, a Θύμια, tubera carnosa aut verrucosa (*).

Excrescentiæ tuberculosæ, præcipue in facie, capite, aut etiam circa genitalia

(*) Nomen *Thymiosis* pro denotando hoc morbo peculiari, ab auctoribus hactenus sub nomine barbaro *Frambœsiæ* seu *yaws*, vel *Pian* aut *Epian*, descripto, condidi. An morbus sui generis sit, a syphilitide diversus, an potius species syphilitidis? an diversæ ejusdem

fungosæ vel duræ, sæpe fructus mori vel rubi idæi figuram referentes, dolentes, ichorem viscosum, foetidum exsudantes, frequenter cum ulceribus oris et faucium serpentibus ac tumoribus et doloribus ossium junctæ. — Morbus contactu contagiosus, regionum tropicarum endemicus.

SYN. Framboesia. *Auct.*
Elephantiasis Indica. } *S.*
Scrophula Moluccana. }
Variola Amboinensis. *Bontii.*

Ad hoc genus etiam pertinere videntur :

Sycosis. *Groec.* (*).
Sāfath. *s.* Thutsah. *Arab.*
Thusius. *Arabistarum.*
Datusah. *Ali Abbas.*

---

species existant, an semper contagiosus sit? ex defectu observationum statuere non audeo. Certe symptomata et methodus medendi Thymiosis et syphilitidis, ut hodie apparent, sæpe multum inter se commune habent. Vide quæ alibi de hisce morbis notavi. (*Traité complet des Maladies syphilitiques*, *V.* II. *Paris*).

(*) *Sycosis* Græcorum, qualis a CELSO L. VI. C. III. describitur, multum cum Thymiosi nostra commune habet. En verba auctoris : » Est etiam ulcus, quod a

A. Yaws. (*Hillary*).
G. Pians ou Epian (*).
Ge. Beerschwamm.
Sibbens, *s*. Siwin. *Anglo-saxon.*
Sou-cruu. *Ers Scotor.*

» fici similitudine Σύκωσις à Græcis nominatur. Caro » excrescit; et id quidem generale est. Sub eo vero duæ » species sunt. Alterum ulcus durum et rotundum est; » alterum humidum et inæquale. Ex duro exiguum quid- » dam et glutinosum exit: ex humido plus, et mali odoris. » Fit vero utrumque in iis partibus, quæ pilis contegun- » tur: sed quidem id quod callosum et rotundum est, » maxime in barba; id vero, quod humidum, præcipue » est in capillo ». Thymiosis nostra in eo ergo a Sycosi differt, 1° quod potius formam fructus rubi idæi vel mori, quam formam ficus referat; saltem sub hac forma posteriore apud nos hodie raro appareat. 2° quod Thymiosis nostra semper contactu contagiosa sit, imo etiam a muscis ab ægro ad sanum transportata sese communicet. 3° quod Thymiosis non solum barbam et capillos, sed etiam faciem universam afficiat. 4° quod sycosis Celsi remediis externis cesserit, thymiosis nostra nec emollientibus mucilaginosis nec adstringentibus, sed nonnisi præparatis hydrargyri interne et externe applicatis debelletur.

(*) Celeberrimus Kurt sprengel morbum *yaws* cum Epian eundem, sed a *Pians* distinctum esse credit; at *Hillary* aliive Medici Angli et Galli, in regionibus tropicis et India orientali praxin diu exercentes omnes, quos ego quidem novi, *Yaws*, *Epian* et *Pians* pro uno eodemque morbo habent.

G. CCXXXV. SYPHILIS.

Gr. Σύφιλις a Σῦς porcus, et φιλία amor: Amor impurus (*).

Plerumque tertio aut quarto die post coitum impurum, raro citius, quandoque tardius, blennorrhagia genitalium; vel in glande, corona glandis aut præputio in viris; et circa clitoridem vel orificium urethræ, aut in labiis vulvæ vel in vagina uteri in fœminis, ulcus vel phlyctænæ aut ulcuscula plura, serpentia, et ichorem viscosum fundentia. Progressu morbi glandularum inguinalium tumor, aut tumores plures, dolentes, rubentes, brevi in apostema abeuntes; vel tumores tonsillarum, ac ulcera faucium vel gingivarum corrodentia, vix dolentia, cum difficultate deglutiendi et raucedine aut voce nasali; vel maculæ

(*) Hoc nomen, utpote morbum exprimens græcis incognitum, in lingua græca non existit, sed a FERNELIO ad designandam luem veneream inventum, hic retinui. Cum auctor etymologiam ipse nullam hujus vocis dedit, hanc, mihi maxime probabilem, supra adjeci.

fuscæ aut etiam cuprei coloris in cute; quandoque pustulæ, aut excrescentiæ tuberculosæ in parte capillata capitis, præcipue ad marginem capillorum, in crustas siccas, aut ulcera crustosa abeuntes; defluvium capillorum; verrucæ aut condylomata circa genitalia; vel tumores ossium aut periostei summe dolorifici, rebelles, præcipue noctu sævientes, et tandem in cariem abeuntes; quandoque dolores instar rheumaticorum, aut tussis sicca in atrophiam vel phthisin pulmonalem abiens. Morbo neglecto, vel male tractato ulcera pessima, corrodentia, per universum corpus serpentia, aut caries ossium. Morbus, præcipue ex venere vulvivaga, coitu, osculis lascivis, aut contactu quocunque, contagiosus, nonnisi ab anno 1493, aut saltem vix ante 1480 ær. chr. in Europa cognitus, et a SCHELLIG medico germano ann. 1494 aut 1495 primo descriptus (*).

(*) Hæc sunt præcipua syphilitidis symptomata, qualia hodie in Europa occurrunt. Illa, quibus hic morbus sese sæculo decimo quinto manifestavit, alibi descripsi. Vide *Traité des Maladies syphil.* Paris 1809.

Syn. Lues venerea.
—— syphilitica.
Morbus venereus.
——— Neapolitanus.
——— Gallicus.
Ignis Persicus?

A. Pox; Venereal disease.
G. La Vérole, grande Vérole; Maladie Vénérienne.
Ge. Lustseuche; Venerische Krankeit.
Hisp. Las Bubas.

N. B. Hactenus in Europa nonnisi unicam hujus morbi speciem novimus. An *Ignis Persicus* ab antiquissimis temporibus in Persia et India orientali cognitus (Vide *Asiatik. Research.* vol. I.), et *Thymosis*, seu *Frambœsia*, sub Tropicis endemica, distincti morbi, an species vel varietates Syphilitidis habendæ sint, determinare non audeo, et hinc melius instructis dijudicandum relinquo. Sed observationem notatu dignissimam, ab *Horneman* nuper in Itinere suo *in Africam* consignatam lego. Meminit auctor sese ab itineratoribus fide dignis didicisse, duos existere in Africa morbos ex coitu impuro oriundos, seu venereos dictos; unum quem vulgo *Morbum Francorum* appellant, ex Europa advectum; alterum

Morbum Soudan, a provïncia hujus nominis sic appellatum: priorem in genere Hydrargyro, sarsaparilla et guajaco etc, facilem curatu; posteriorem vero, ut in litteris suis addit, ad omnia hactenus tentata remedia rebellem, nonnisi muriate sodæ curari. Sed dolendum est, quod characterem seu symptomata hujus morbi posterioris non descripserit, et quod hinc naturam ejus hucusque perfecte ignoremus.

G. CCXXXVII. CARKINOMA.

Gr. Καρκίνωμα, a Καρκίνος cancer, et νομὴ ulcus mali moris: Cachexia corporis peculiaris, ulcere glandulæ sui generis maligno, sese manifestans (*).

Ulcus peculiaris indolis malignum in quacunque corporis parte, ex skirrho glandulæ prægresso ortum, inæquale,

---

(*) Nomen cancri seu carcinomatis, ut apud auctores vulgo occurrit, vagum est, quodlibet fere ulcus maligni aspectus, corrodens, ex causa ignota ortum, ac remediis cognitis resistens, denotans; eodem fere modo ut indurationem quamcunque glandulæ paulo insigniorem skirrhum appellant GALENUS nomen hujus morbi, præcipue mammas mulierum occupantis, a venis circa ulcus turgidis, quasi pedes cancri extensos referentibus,

tumidum, durum, corrodens, margine retorrido, et venis amplis, turgidis, varicosis notatum, ichorem acrem, fœtidum, summe nauseosum, nunc alcalescentem, nunc acidum corrosivum fundens. Progressu morbi ardor ac dolores in parte affecta pungentes, lancinantes; tumor glandularum vicinarum; hæmorrhagiæ, aut hæmorrhœæ; syncopes; tandem ex stimulo constanti ab acri absorpto excitato, vel ex jactura humorum, hæmorrhagiis aut diarrhœa colliquativa, marasmus lethalis. Morbus degeneratione, et desor-

---

derivat; omneque carkinoma ab humore atrabiliario, seu bile aut sanguine nigro in vasis abdominalibus accumulato et inspissato, oriri credit: Hunc morbum initio fere semper sanari posse per medicamenta bilem atram educentia, adultiorem nonnisi amputatione auferri docet. Ego hanc ipsam operationem, si ulcus semel formatum est, aut glandulæ vicinæ affectæ sunt, in numerosis exemplis semper inutilem esse observavi.—Bierchen in tractatu suo de cancro, ulcera mammarum aliarumque partium cancrosa, pessima ex bile atra, seu infarctu vasorum et viscerum abdominalium, præcipue post diuturnos animi affectus tristes, sæpissime oriri observavit, quod in praxi mea sæpius confirmatum vidi.

ganisatione substantiæ, id est, membranæ cellulosæ, vasorum lymphaticorum et sanguineorum ac nervorum glandulæ, in massam duram informem abeuntium, stipatus, nullis remediis externis vel internis, hactenus cognitis, curabilis.

Vide etiam infra *Skirrhus*, qui mihi idem morbus est ac cancer occultus auctorum (*).

SYN. Cancer *s.* carcinoma. Ulcus cancrosum *s.* carcinomatosum. Cancer apertus *s.* exulceratus. Phagedæna.	*Auct.*

(*) Auctores carkinoma dividunt: 1. In cancrum occultum, seu skirrhum in carkinoma abeuntem (*Gr.* Καρκίνος γρυπτος). 2. In cancrum apertum *seu* exulceratum. 3. In cancrum fungosum, protuberantias fungosas duras vel molles formantem. Sed practico probe notandum est, ulcus fungosum non semper esse carkinomatosum. 4. In cancrum verrucosum *seu* nervosum dictum, utplurimum in facie ex glandula subcutanea, tuberculo purpureo, vel ex verruca irritata, oriundum.—Cancer scrofulosus *Auct.* evidenter non ad carkinoma, sed ad ulcera scrofulosa pertinet. Cancer aquaticus *seu* Noma *Auct.* est ulcus oris scorbuticum.

Cacoëthes.
Καρκινώδη tubera. } *Celsi* (*).
Carcinoma.

A. Cancer.
G. Cancer.
Ge. Krebs; Krebsgeschwür.

Variat pro causa remota:

α. A vitio hæreditario.

β. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium, seu a bile atra vel sanguine nigro, spisso, in visceribus abdominis stagnante.

γ. Ab animi affectibus tristibus, diu affligentibus.

δ. A cessatione menstruorum.

ε. Ab ictu, lapsu, contusione, compressione, aliave vi externa illata (**).

ζ. An a vitio ovariorum vel testiculorum?

(*) Celsus carkinoma a cancro distinguit, et sub priori eundem morbum, quem nos cum Græcis Καρκίνωμα appellamus, intelligit; cancer autem ei idem morbus est, qui Græcis gangræna seu sphakelus (Γάγγραινα, s. Σφάκελος) dicitur.

(**) Tumor glandulæ durus, a vi externa aut contusione glandulæ prægressa, ortus, initio morbus est mere localis; sed diutius sibi relictus, vel quovis modo irritatus, sæpe in ulcus mali moris abit, nec remedio ullo nec cultro tollendum.

N. B. In genere practico cavendum est, ne steatomata, aut atheromata exulcerata, aliave ulcera phagedænica maligna, præcipue in mammis nata, aut tumores glandularum parotidum, sublingualium, tonsillarum calculosos, vel tumores glandularum mammæ ex lacte ortos, aliosve glandularum aut uteri tumores exulceratos varios a vitio scrofuloso, syphilitico, scorbutico etc. natos, cum carkinomate confundat. Inde tot errores et deceptiones curationum aut operationum felicium, dum revera nullum carkinoma, proprie sic dictum, unquam curatum fuisse credo. Carkinomata vera quæ vidi, etsi summa cura et habilitate chirurgi excisa, paulo post in eadem parte repullulare, vel skirrhum in vicina glandula natum cito in carkinoma abire, aut morbos alios lethales intra paucum tempus post operationem peractam insecutos fuisse sæpius observavi. Vide Guil. Leurs *Tractatum egregium de carkinomate*, a soc. Chirurg. Amstelodamensi coronatum. (*Prysschriften Uitgegeven door het Genootsch. ter bevordering der Heelkunde. Amsterdam*, 1791.

Variat sede :

I. *Carkinoma mammarum.*

Skirrhus mammæ exulceratus.

Ulcus mammæ ichorosum, fœtidum, tumore semper solitario, duritiei fere lapideæ, immobili, partibus substratis adhærente, ac dolore obtuso, vel etiam punctorio aut lancinante transitorio, ac degeneratione substantiæ mammæ stipatum. Progressu morbi plerumque glandularum subaxillarium aut glandularum lymphaticarum thoracis tumores skirrhosi, et quandoque caries costarum vel sterni. Morbus ex skirrho glandulæ prægresso, et plerumque a causa interna sæpe ignota ortus, nullis hactenus cognitis remediis internis vel externis cedens, nec cultro nec ustione debellandus.

Vide etiam infra *Skirrhus.*

N.B. Carkinoma mammæ practico solliciter distinguendum est ab ulcere cacoëthe aut phagedænico, fungoso, scrofuloso, syphilitico; ab anthrace aut ab atheromate vel steatomate, aut a tumore lacteo glandularum mammæ exulceratis: quæ vitia plerumque remediis internis vel externis aut excisione radicaliter curabilia sunt.

Vide etiam infra *Mastoncus.*

Syn. Cancer mammæ. } *Auct.*
Ulcus cancrosum mammæ. }

II. *Carkinoma uteri.*

Skirrhus uteri exulceratus.

Tumor in medio hypogastrii supra ossa pubis durus, fere lapideus; sensatio ponderis gravantis et ardoris ad genitalia; excretio ichoris copiosi, indolis peculiaris fœtidi, summe nauseosi, acris, corrodentis ex vulva; dolores pungentes aut lancinantes in parte affecta. Progressu morbi coitus dolorificus; tenesmus; hæmorrhagiæ uteri frequentes; tormina ventris; alysmus; glandularum inguinalium skirrhi dolentes; leipothymiæ.—Os uteri digito examinatum sæpe simul durissimum, inæquale, asperum, tumens, quandoque tuberculis aut excrescentiis fungosis notatum, exulceratum, digitum non admittens; quandoque prolapsus ejusdem. Morbus jam ab Hippocrate et Aretaeo descriptus, præcipue fœminas declinante ætate invadens, post cessationem menstruorum ingravescens; et sollicite a prolapsu uteri, ab excrescenstiis polyposis, a tumoribus et ulceribus uteri syphiliticis, scrofulosis etc. distinguendus.

Vide etiam infra *Hysteroncus.*

III. *Carkinoma linguæ.*

Ulcus in dorso, vel ad latus unum alterumve linguæ, venis lividis, margine duro,

retorrido, quandoque fissuris, vel hypersarcosi notatum, ichorem acrem, corrosivum, fœtidum, summe nauseosum fundens, manducationem et dein etiam deglutitionem impediens, et tandem marasmo lethale.

A carkinomate linguæ, sollicite distinguenda est induratio partis cujusdam linguæ, coloris lividi, dolens et motum linguæ impediens, sæpe in ulcus mali moris et in profundum serpens, abiens, plerumque vel ab angulo dentis acuto, vel a viru syphilitico corrodente, aut etiam a vitio scorbutico, aliove acri applicato oriundum.—Excrescentiæ papillarum in dorso aut radice linguæ ad verrucas pertinent.

N. B. Tumor glandularum sublingualium vel submaxillarium durus vix unquam carkinomatosus aut skirrhosus, sed plerumque vel scrofulosus est, vel a concretione calculosa oritur.

IV. *Carkinoma labri.*

Ulcus ex tumore skirrhoso labri oris ortum, durum, inæquale, cnesmo aut dolore pungente vel terebrante, stipatum. Morbus maxime viris declinante ætate infestus, et in labio oris inferiore frequentius occurrens.

N. B. Carkinoma labri ab ulcere syphilitico, scorbutico etc. nec non a sarcomate, aut excrescentia

crescentia verrucosa, et præcipue a tumore labiorum lymphatico, kystico, vesiculoso, livido, humorem viscosum continente, et carkinoma sæpe æmulante, non raro a contusione aut ab angulo dentis acuto oriundo, sollicite distinguendum est.

V. *Carkinoma nasi.*

Ulcus, ex skirrho glandulæ cujusdam nasi prægresso ortum, durum, dolens, serpens, symptomatibus carkinomatis stipatum, et in substantiæ degenerationem abiens; ab ulceribus ex vitio syphilitico, scrofuloso, leproso, elephantiaco etc. ortis, sollicite distinguendum.

VI. *Carkinoma faciei.*

Ulcus, ex skirrho glandulæ cujusdam faciei prægresso ortum, symptomatibus carkinomatis stipatum, cum phymate, atheromate, sarcomate, verruca exulcerata etc. non confundendum. — An ulcus serpens ex tuberculo purpureo, vel ex verruca faciei irritatis ortum ad carkinoma, an potuis ad cacoëthen, vel ad ulcus phagedænicum pertineat, peritioribus dijudicandum relinquo.

VII. *Carkinoma testiculorum.*

Ulcus serpens, ex skirrho glandulæ prope vasa spermatica testiculi ortum, quandoque

vere carkinomatosum, sed sæpius ad cacoëthen potius referendum.

VIII. *Carkinoma recti, vel ani.*

Excrescentia fungosa exulcerata, mollis vel dura, ex degeneratione membranæ internæ intestini recti, aut vasorum hæmorrhoïdalium; quandoque etiam a corpore peregrino in recto hærente, orta. Ulcus plerumque excrescentias fungosas, molles, inæquales, valde dolentes formans, excretione ichoris fœtidi peculiaris, summe nauseosi, tenesmo et dyscoilia stipatum. Progressu morbi leipothymiæ frequentes, marasmus et mors.—An hoc ulcus carkinomatosum, aut rectius cacoëthes appellandum? (*)

N. B. Carkinomata oculi, meatus auditorii externi, faucium, œsophagi, colis, et clitoridis Auctorum plerumque ad sarcomata, aut ad cacoëthen aut ad ulcus phagedænicum rectius pertinere videntur, utpote plerumque diversis remediis, aut excisione, vel igne feliciter tollenda.

(*) Cum hoc morbo minime confundenda sunt tumor lividus durus, dolorificus circa anum visibilis, sæpe a varicibus venarum hæmmorrhoidalium natus; aut condylomata, verrucæ et ficus ad anum, hodie plerumque ex vitio syphilitico oriundi.

Observationes circa carkinoma.

1. Causa materialis proxima carkinomatis nos adhuc latet.
2. An sit virus sui generis in corpore natum, an contagiosum, ut quidam auctores asseruerunt, nullo modo constat?
3. In carkinomate nunquam pus blandum formatur, sed ichor ex eo stillans acris et corrosivus est; in diversis ægris, ac forsan etiam in diversis morbi stadiis diversus, nunc alcalinus nunc acidus, ut jam a Galeno observatum fuit. — Absorptus in glandulis lymphaticis vicinis skirrhum inducit, qui pariter in carkinomata abit.
4. Morbus concretione et desorganisatione vasorum, nervorum, textus cellulosi, et substantiæ glandulæ incipit, et in destructionem organi affecti desinit.
5. Carkinoma excisum fere semper vel in eodem loco, vel in vicino, denuo renascitur; nunquam resolutione curatur.
6. Quandoque carkinoma gangrænescit, sed gangræna decidua, carkinoma continuat, aut in alio loco sese manifestat.
7. In carkinomate adulto semper ramifica-

tiones, fibræ, seu radices, partibus vicinis adhærentes, reperiuntur.

8. An carkinoma, et skirrhus, nunquam nisi a causa interna, oriatur, ut quidam auctores asserunt, observationibus exactis stabiliendum remanet.

G. CCXXXVIII. ELEPHANTIASIS.

A Gr. Ἐλεφαντίασις ab Ἐλέφας Elephas : Corporis superficies tuberibus, fissuris etc. deformis, instar cutis elephantis (*).

Malum plerumque a facie, quandoque a pedibus incipit, utplurimum maculis parvis, rotundis, coloris e fusco-flavis, sensim e rubro-livescentibus, cute aspera, crassa, tuberibus ac fissuris deformi, plerisque locis dura et insensili, et ungui-

---

(*) Veteres hunc morbum præcipue ab infarctu hepatis et lienis seu atra bile derivant; et ARCHIGENES notavit ». Non esse existimandum tum gigni hunc morbum, dum ad cutem tumores erumpunt; sed hos potius esse indices progressus ejusdem. » — Græci eundem promiscue *Elephantiasin*, a cutis Elephantis similitudine, vel *Leontiasin*, a similitudine frontis et superciliorum cum leone, aut *Satyriasin*, a facie et genarum rubore nec non veneris furore satyris similibus appellarunt; vel etiam morbum *Heracleum* seu *Herculeum*, a magnitudine et violentia vix vincenda, ita dictum.

um corruptione stipatum. Tubercula faciei distincta, dura, horrida, cuprei aut rubro-livescentis coloris; pustulæ exiles sanie alba repletæ; mentum porrigine arida occupatum; genæ rubræ, labia crassa, nasus tumens et rubicundus orificiis ejus angustatis et contractis; asthenia generalis; Anæsthesia cutis, sed præcipue tuberculorum tanta, ut vix aquam fervidam aut acupuncturam sentiant; pilorum in brachiis, tibiis, femoribus, pube, mento, superciliis, capite defluvium, vel canities; vox rauca; halitus foetidus; effrænum veneris desiderium; urina jumentosa; pruritus et ardor extremitatum. Progressu morbi cutis universa livida vel nigra, fissuris profundis et ulceribus tumidis, retorridis horrida; caro ossibus arcte adstricta; tumor digitorum pedum et manuum; tumor articulorum; exulceratio totius fere corporis et sanies foedissima; tandem separatio spontanea, seu lapsus fere insensilis, digitorum pedum vel manuum, sæpe etiam genitalium; cæterum remanente

appetitu, alvo et pulsu fere naturalibus. — Morbus contagiosus in Ægypto et India orientali, præcipue sub zona torrida, frequens, ab antiquissimis temporibus notus; in Italia ante tempora Pompeii teste Plinio ignotus; viris potius quam fœminis, sed nunquam ante tempus pubertatis, et juxta *Galenum* nunquam eunuchis, infestus, hæreditarius, vel diæta prava ex carnibus aut piscibus putrescentibus acquisitus (*).

SYN. Leontiasis (Λεοντίασις græc.); idem ac Daül Asad. *Arab.*

Satyriasmus seu satyriasis (Σατυρίασις). Syriasis.

Morbus Heracleus seu Herculeus (Ἡρακλεία — νόσος).

Cancer universus.
Cancer totius corporis. } *Paul. Ægin.*
Ulcus universale.

(*) Morbus initio sedem suam præcipue in textu cellulari cutis habere videtur; hocque degenerato sensim carnes substratæ et tandem ossa ipsa, ad medullam usque corrupta, in massam informem mutantur, ut sectiones cadaverum docent. — Ichorem ex ulceribus destillantem quidam auctores acidum, cum alcalibus fermentantem, esse asserunt.

Morbus Phœnicius (Φοινικὴ νόσος).
Morbus Lazari *s*. Malum S. Lazari (unde nomen Lazaret et ordo S. Lazari).
Malum Hierosolymitanum.
Elephantia Arabum. *Vog*.

——— Legitima.	*Sauv*.
——— Leonina.	
——— Tyria.	
——— Alopecia.	
——— Javanensis.	

Khorah. *Hindous*.
Dsudam seu Madsiudam. *Niebuhr*.
Judam seu Jusam. *Arabum*.
Lepra Syriaca et Ægyptiaca.
——— Americana. *Shilling*.
Boæsi. *Amer. Surinamensium*.

Lepra nigra.	*Auct*.
——— tuberculosa.	

An Albaras nigra. *Ebn-Sina?*

Huc etiam pertinere videtur :

Melas Sibirica. *Pallas*.

A. Leprosy of the joints. *Hillary*.
G. Ladrerie.
Ge. Der knollige Aussatz.

CL. IV. O. VII. DERMATODES,

s. CACHEXIÆ CUTANEÆ.

Gr. ΔΕΡΜΑΤΩΔΕΙΣ, a Δέρμα cutis.

CHAR. MORBI cutis chronici, ex cachexia corporis generali, aut ex vitio organi topico oriundi.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt:

GENUS I. ALPHUS.
II. LEPRA.
III. PSORIASIS.
IV. PSORA.
V. HERPES.
VI. EPINYCTIS.
VII. PHYMATOSIS.
VIII. PITYRIASIS.
IX. TINEA.
X. ACHOR.
XI. TRICHOMA.

OBSERVATIONES GENERALES.

Omnia fere genera hujus ordinis raro a vitio cutis pure topico dependent, sed cachexiam aut cacochymiam corporis universalem, vel pro causa agnoscunt, vel junctam habent, hinc nunquam remediis topicis solis, sed præmissis aut simultanee exhibitis medicamentis internis, morbo generali accommodatis, recte curantur. Medicamentis topicis solis tentata sæpe cito diparent, subsequentibus morbis gravibus internis pulmonum, ventriculi, cerebri etc.

Psoriasin universalem, qualem infra descripsi, lepræ sæpe affinem vidi. Lichenes veterum, utplurimum serpentes, ad herpetes retuli, et lichenem menti Galeni rectius ad pityriasin referendum esse putavi.

Psora initio semper morbus localis est; neglectus aut male tractatus quandoque per universam corporis superficiem diffunditur, sed sub omni sui modificatione semper contagiosus, sulphure aut hydrargyro cedens, a psoriasi essentialiter differt.

Erysipelas pustulosum, zoster, zona ignea nephritica, herpes nephriticus, morbi sunt herpeti affines, sed causa et febre concomitante ab herpete differunt.

Cœterum aliquid utilitatis præstitisse credo, immensum numerum morborum cutaneorum, ab auctoribus sæpe confusorum, ad pauca et distincta genera reducendo.

CL. IV. O. VII. DERMATODES.

G. CCXXXIX. ALPHUS.

Gr. Ἀλφὼς, ab ἀλαίνω mutare : Coloris normalis cutis immutatio (*).

Cutis hominis, cæterum sani, lævis, maculis albis vel nigris superficialibus, quandoque in squamulas abeuntibus, variegata, sine ullo aut cum levi pruri-

(*) Mutatur autem in hoc morbo color modo abnormi in album summe pallidum seu lacteum, niveum; vel in fuscum, magis minusve nigrescentem. Color cutis hominum sanorum in climate temperato natorium normalis est mixtus ex albo et rubro; in climatibus calidis flavescens, fuscus, nigricans vel nigerrimus. Quædam Americæ septentrionalis gentes, adhuc in statu inculto viventes, rufi aut potius cuprei coloris sunt. In Europa præterea alius genarum color, alius manuum, alius partium constanter vestibus tectarum; et capilli vel nigri, aut fusci, vel albi, flavescentes, vel rufisant. Color autem cutis quicunque a textura membranæ mucosæ cutis, vulgo rete mucosum Malpighii dictæ, dependet. Cutis ipsa substrata, seu corion proprie dictum, in omnibus hominibus albi coloris est, ideo destructa aut ablata membrana mucosa color cutis in Europæo æque ac in Æthiope albus est.

tu, colore cutis intermedio naturali et functionibus corporis illæsis (*). Vitium membranæ mucosæ cutis fœdum, in corium substratum nunquam descendens, chronicum, non contagiosum.

SYN. Vitiligo. *Celsi.*
Morphu. *Arabum.*
Lepra maculosa. *Cartheuser.*

Sp. 1. Alphus *Albus* (**).

Cutis superficies maculis albis, lactei coloris, lævibus, rarius subasperis, plus minusve latis, quandoque parvulis, guttarum instar, in cute dispersis, pilis immutatis, distincta (***).

(*) Alphus omnis functionem corporis nullam evidenter lædens, non ad morbos sed potius ad deformitates cutis pertinere videtur.

(**) Sub alpho albo intelligimus cutem maculis niveis aut coloris lactei, variæ magnitudinis deturpatam, dum reliqua cutis colorem naturalem servat, in Europæo rubro-album, in incolis Nubiæ, Æthiopiæ, aliarumve Africæ meridionalis partium nigrescentem aut profunde nigrum.—Dum hæc scribo, coram me habeo amicum, qui pluribus annis in India orientali et dein etiam occidentali degens, nunc in Europam redux, cutem instar tigridis maculis albis variegatam habet, cæterum bene valens.

(***) Alphus albus (Ἀλφὸς λεύκη gr.), probe distinguendus est a lepra alba (Λέπρα λεύκη s. Λεύκην gr.), ut-

Syn. Alphus. }
Vitiligo alba mitior. } *Auct.*
Morphæa alba. }
Albara alba. } *Arabum.*

Varietas Alphi albi *mihi esse videtur :*

Alphus Albus *Universalis.*

Cutis universi corporis a capite ad calcem usque non solum, sed et capilli ac pili reliqui, colore albo lacteo, fœdo, et quandoque squamulis asperis notata; iris oculorum simul flavescens, et lucis diurnæ intolerantia; unde nictitatio palpebrarum ad lucem frequens. Vitium hæreditarium connatum, vel acquisitum, a defectu membranæ mucosæ cutis oriundum (*).

---

pote vitium cutis superficiale, nunquam in corium substratum descendens, nec contagiosum, ut lepra alba, quod jam ab *Hippocrate* et specialiter a *Galeno* notatum. *Celsus* vitiliginem in tres species distinguit : in Alphum, quem hic Alphum album appello; in Melanem seu Alphum nigrum; et in Leuken, sub qua Alphum nostrum album universalem vel potius lepræ albæ speciem intelligit, cum eam altius in cutem descendere dicit. *Aristoteles* notavit, pueros et mulieres minus quam viros, et inter mulieres vetulas magis alpho albo subjectas esse.

(*) Vidi Londini 25 abhinc annis duos fratres *Albinos* dictos, in Sabaudiæ montibus natos, cæterum

Syn. Leuke *Græc.* et *Arab.*
Leuco-æthiopes. } *Auct.*
Albinos. }

Gall. Albinos; Nègres blancs.

Sp. 2. Alphus *Niger.*

Gr. Ἀλφὸς μέλας s. Μέλαινα.

Cutis superficies, maculis fuscis aut flavofuscis, vel nigrescentibus, distincta, magis minusve latis, quandoque instar guttarum per cutem dispersis, lævibus vel subasperis, irregularibus, serpentibus notata; cute intermedia colorem naturalis sanum, conservante (*).

Syn. Vitiligo nigra. } *Celsi.*
Melana *s.* Melas. }

---

robustos et sanos, qui hoc morbo, qualem hic descripsi, laborarunt: Neuter horum adhuc annum trigesimum attigerat. Oriri autem hoc vitium cutis a defectu membranæ mucosæ, seu retis mucosi Malpighii, Buzzi chirurgus Mediolanensis ex dissectione plurium cadaverum primus docuit. Vide Blumenbach *Dissertat.* 4°. *Göttingœ.* — Vossius hoc vitium male ad lepram albam refert.

(*) Puellam 25 annorum cæterum formosam novi, quæ per plures annos in India occidentali degens, alpho nigro laborare cœpit, qui ad omnia hucusque applicata remedia rebellis, maculis fuscis totum corpus, facie excepta, deturpat.

Morphæa nigra. } *Ebn-Sina.*
Albara nigra? }
Vitiligo hepatica. *S.*
Maculæ hepaticæ. *Auct.*

A. Tawny blotches; Morphew.
G. Morphéa; Chaleur du foie.
Ge. Leberflecke.

G. CCXL. LEPRA.

Gr. Λέπρα, an a λεπρὸς asper, scaber? an a λεπὶς squamma?

Cutis crassities et asperitas pruritu molesto et marcore corpus depascens, maculis aut papulis fere orbicularibus, variæ magnitudinis, subalbis vel subrubris aut subrufis, serpentibus, ac gradatim profundius in corion ipsum descendentibus, et in crustas vel squammas majores minoresve abeuntibus, notata.—Morbus corium exulcerans, chronicus, contactu sæpe contagiosus, sudore fœtido, et non raro etiam onychophthoria stipatus. (*)

(*) Quidam auctores Lepram ab insectis in cute nidulantibus, et Linnæus eandem speciatim a gordiis oriri autumant. Differt ab Elephantiasi, utpote quæ tuber-

Syn. Impetigines. *Celsi.*
Lepra Græcorum. *Vog.*

A. Leprosy.
G. Lèpre.
Ge. Der raudige Aussatz.

Sp. 1. Lepra *Squammosa.*
Gr. Λέπρα.

Cutis maculis orbicularibus, siccis, in crustas vel squammas albas, majores vel minores abeuntibus, distincta. Progressu morbi, rimæ in cute plurimæ, et ex squammis frictione deciduis, maculæ rubræ, pruriginosæ, præcipue noctu ardentes, cum asthenia generali.
Syn. Lepra vulgaris. *Auct.*

Varietas *Lepræ Squammosæ est:*

Lepra Ichthyosis. *Auct.*
Albaras nigra. *Ebn Sina?*
Impetigo excorticativa. *Arabum.*

Sp. 2. Lepra *Alba.*
Gr. Λεύκη.

Superficies corporis dura, fissa, aspera,

---

culis faciei et cutis insensibilibus, et ulceribus fœdis, ac tandem degeneratione et desorganisatione carnium generali notatur. — Lepra non contagiosa Aristotelis non est lepra, sed Alphi species. — An Albaras nigra Arabum ad lepram, an ad Alphum pertineat ignoro.

maculis

maculis initio parvis, albis, dein latioribus, ad colorem flavo lividum tendentibus, in cutem ipsam descendentibus, squammas subalbidas formantibus, et progressu morbi in ulcera abeuntibus; pili partis affectæ albi, lanuginosi, aut lanugini similes.

Syn. Lepra Judæorum *s.* Hebræorum. Mosis (*Levit.* c. 13).

Leuce. } *Celsi.*
Vitiligo alba gravior. }

An Albara alba. *Ebn Sina?*

Sp. 3. Lepra *Rubra.*

Maculæ in superficie corporis, e rubro in pallidum vergentes, asperæ, rotundæ, initio morbi parvæ; progressu latiores, rubræ, duræ, in cutem ipsam descendentes, eamque exulcerantes; pili partis affectæ subflavi aut subrufi coloris.

Syn. Impetiginis species 2da. } *Celsi.*
Rubrica. }

Huc etiam pertinere videtur:

Mal Rouge de Cayenne. *Bajan.*

Lepra sæpe *Complicata* occurrit.

1. *Ex Lepra et Scorbuto.*

Hujus Varietates esse videntur:

1. *Lepra Norwegica.*

Ex lepra et scorbuto complicata. Morbus maxime incolis regionum septentrionalium, piscibus viventibus infestus; quandoque etiam cum syphilitide complicatus.

Syn. Spedalsked } *Norweg.*
Radesyge. }
Liktraa. *Island.*
Der Nordische Aussatz. *Germ.* (*).

2. *Lepra Asturica.*

In Asturia, præcipue in vallibus circa Oviedo endemica. — Thierry eam pro complicatione lepræ et scorbuti habet (**).

Syn. Rosa Asturica.
Mal de la Rosa. *Hisp.*

3. *Lepra Lombardica.*

Pellagra s. Pellarsis, *Lombardis* ita appellata, a desquammatione cutis ardente (***).

(*) *Abhandlung von der Radesyge* von Mangor und Arbo. Lips. 1797.

(**) *Thierry* observat. V. II. Paris.

(***) Vide *Strombio*, qui hunc morbum primus descripsit, eumque in Italia, præcipue Mediolani, versus 1770 primo apparuisse docet, et eundem Rosæ Asturicæ valde affinem, ex lepra et scorbuto complicatum, esse credit.

An Impetiginis species tertia, *s.* Impetigo nigra CELSI, varietas lepræ cum scorbuto complicatæ sit, necne? determinare non audeo, quod eam nunquam viderim.

II. *Ex Lepra et Syphilitide.*

III. *Ex Lepra et Elephantiasi.*

Huc etiam pertinere videtur:

Lepra Crimea. *Pallas* (*).

G. CCXLI. PSORIASIS.

G. Ψωρίασις, a ψωριάω pruritu laborare

Cutis asperitas summe pruriginosa, sicca vel humida, quandoque etiam eruptione papularum aut pustularum subrubra, et exulceratione, ac extenuatione corporis stipata, scalpendo sæpe sese diffundens. Morbus membranæ mucosæ cutis, adultis præcipue infestus, universalis vel partialis, vix aut ne vix contagiosus, nunquam suppurans, et ad remedia psoræ rebellis. (**)

(*) *Voyage*, ubi hunc morbum bene describit, et usu plantæ: *Anabasis aphylla* dictæ, curari docet.

(**) Quæ symptomata eum acute a Psora, æque ac lepra, distinguunt.

Psora (Ψώρα) *Græcorum*, et Scabies *Celsi*, huc pertinent.—An Impetiginis species prima *Celsi* etiam huc referenda?

I. *Psoriasis Universalis.*

Vide etiam supra V. I. p. 374. CNESMUS.

N. B. Psoriasin universalem epidemicam observavit HAHN.

Sp. 1. Psoriasis *Sicca.*

Pustulæ parvulæ, in variis corporis partibus, præcipue in trunco corporis erumpentes, summe pruriginosæ, scalpendo in squammulas furfuraceas deciduæ.

Sp. 2. Psoriasis *Humida.*

Pustulæ parvulæ, in superficie cutis, maxime in trunco, sed sæpe etiam in extremitatibus inferioribus corporis erumpentes, initio utplurimum siccæ, postea in vesiculas abeuntes, humore acri, crasso vel tenui repletas, pruritum et ardorem summe molestum excitantes; apice vesicularum scalpendo rupto, in squammulas farinaceas exsiccantes (*).

(**) Eruptio cutanea dolorifica, summe pruriginosa, in Anglia vulgo sub nomine *Scurfy* s. *Scorbutic eruption* nota, sæpe sine causa evidente orta, certis intervallis recurrens, et secretione acri copiosa ac desquammatione

Hae Species *variant pro causa remota:*

α. Senilis.

β. Podagrica.

γ. Syphilitica.

δ. Scorbutica.

ε. Icterica.

ζ. Phthiriaca.

η. Ebriorum.

ϑ. Ab emanatione aut rore arborum venenatorum.

II. *Psoriasis Topica.*

Vide etiam V. I. p. 376. *Cnesmus Topicus.*

Sp. 1. Psoriasis *Capitis.*

Vide *Pityriasis*, et *Tinea.*

Sp. 2. Psoriasis *Menti.*

Vide *Pityriasis Menti.*

Sp. 3. Psoriasis *Scroti.*

Eruptio papularum vel pustularum summe pruriginosa, sicca vel humida; quandoque

---

cutis, et non raro etiam exulceratione ipsius corii stipata, sæpe evidenter ad lepram, sed quandoque potius ad Psoriasin pertinet. — Ad Psoriasin etiam pertinere videtur scabies Indica. *Sauv.*, aut herpes, vel Impetigo Indica *Bontii*, indigenis *Courap* dicta.

subtus exulcerata aut tuberculosa, serpens, in scroto, perinæo aut ad inguina.

Vide etiam *Cnesmus* et *Herpes*.

SYN. Impetigo scroti. } *Auct.*
Herpes scroti.
Scabies scroti.

VARIAT pro *causa remota*:

α. A vitiosa secretione acri quacunque, ut in psoriasi universali.

β. A seminis accumulatione seu hyperorgosi.

γ. A morpionibus.

δ. Ab infarctu vasorum hæmorrhoidalium.

ε. Ab immunditie seu squalore.

ζ. A metastasi humoris acris: herpetici, scrofulosi, syphilitici, etc.

η. Ab applicatione acri quacunque.

Sp. 4. Psoriasis *Vulvæ*.

Desquammatio furfuracea, summe pruriginosa, aspera, sicca vel humida; quandoque serpens, exulcerata, pustulosa, tuberculosa, labia vulvæ, aliasve partes pilosas pudendi muliebris occupans. Vide etiam *Cnesmus* et *Herpes*.

SYN. Pudendagra.
Hysteralgia pruriginosa.

Variat pro causa remota:

α. A secretione vitiosa, acri, ut in psoriasi universali.
β. A morpionibus.
γ. A machlosyne.
δ. A graviditate.
ε. A pausimenia.
ζ. Ab ischomenia, dysmenia.
η. Ab ascaridibus vulvæ, vel recti.
θ. Ab infarctu vasorum hæmorrhoidalium.
ι. A metastasi humoris acris: syphilitici, herpetici, scrofulosi etc.
κ. Ab applicatione acri quacunque.

Sp. 5. Psoriasis *Ani.*

Variat pro *causa remota*, ut *Cnesmus Ani.* Vide *Cnesmus.*

Sp. 6. Psoriasis *Extremitatum.*

Eruptio squammosa, crustacea, noctu præcipue summe pruriens, sicca vel humida; quandoque exulcerata, scalpendo sanguinem fundens, præcipue ambo brachia ad carpum usque, aut ambo femora tibiasque ad pedes usque afficiens, simulque difficultatem movendi membra affecta inducens.
Syn. Lepra herpetica. *S.*

G. CCXLII. PSORA.

Gr. Ψώρα, Scabies Recentiorum (*).

Pustulæ summe prurientes, ad basin inflammatæ et suppurantes, scalpendo ruptæ, et pure effuso in crustas abeuntes; initio utplurimum interstitia digitorum, dein carpos, cubitos, et genua infestantes, tandemque subinde totum corpus, facie sola excepta, occupantes. Morbus maxime pueris, sed non raro etiam adultis, squalidis infestus, per contactum immediatum, aut per lectum, vel per vestes laneas et gossypinas contagiosus (**).

(*) Huic morbo, qui essentialiter, ut ex charactere dato patet, a psoriasi differt, nomen psoræ hodie generaliter adoptatum conservavi. An hic morbus veteribus cognitus fuerit, dubito; saltem signa ejus characteristica nullibi apud Græcos aut Latinos reperio.

(**) Morbus hic ab insecto peculiari oriri videtur; non ex varietate Acari farinæ vel casei, ut LINNÆUS credidit; sed ut FABRICIUS ex autopsia observavit, ab Acari specie nova, multo minori et acaro exulceranti *L.* simili oritur. Insectum autem nunquam in pustula ipsa, sed in ruga seu rima parvula prope pustulam nidulatur, acu facile eximendum; sed ova in pustula ipsa deposita sunt, quæ quamdiu ibi jacent, ut corpus alienum constanti stimulo inflam-

SYN. Scabies. *Recentiorum.*

A. The itch.
G. La galle ou gale.
Ge. Die Krætze.

Psora imaginaria, qua ægri sese psora affecti esse tenaciter credunt, absque ulla morbi realitate, ad PARANOEAS pertinet. — De Psora senili vide *Psoriasis*.

G. CCXLIII. HERPES.

Gr. Ἕρπης, ab ἕρπω, serpo.

Papulæ seu phlyctænæ in superficie cutis gregales, aream unicam vel etiam areas plures irregulares in diversis cor-

---

mationem et pruritum, dein suppurationem excitant, et formationem cicatricis impediunt : ova scalpendo disseminantur. — FABRICIUS, pustulæ guttulam solutionis muriatis hydrargyri oxygenati instillando, necavit insectum cum ovis, et dein pustulam cito cicatricari observavit. — A Psora præpostere curata multi morbi graves in corpore oriri observantur, præprimis Dyspnœa, Dyspepsia, Ballismus, Infarctus hepatis vel splenis, Hydrops, Pustulæ phlegmonodeæ numerosæ in cute etc., quæ non curantur, nisi Psora seu scabies de novo in superficie cutis excitata fuerit. — Psora canum aliorumve quadrupedum a Psora humana differt, et ab insecto diverso oriri videtur.

poris partibus formantes, serpentes, desquammantes, siccæ vel madidæ, tuncque sæpe in ulcuscula, pruriginosa, difficulter cicatricem formantia, et demum in squammas furfuraceas abeuntes; sæpe cum affectionibus partium corporis internarum, kephalalgia, dyspnœa, gasteralgia, hepatalgia alternantes (*).

SYN. Lichenes. (Λειχῆνες. *Græc.*)

Serpigo. | Ulcera serpiginosa. | Pustulæ serpiginosæ. } *Auct.*

Serpedo volatilica. | Petigo. } *Arab.*

A. Tetter.
G. Dartre.
Ge. Flechte.

Sp. I. Herpes *Siccus.*

Papulæ parvulæ, albæ vel rubescentes, asperæ, quandoque prurientes, areas majores

(*) Lichenes *Auct*, ita dicti, quod cutis superficiem ut lichenes corticem arborum infestent, sunt areæ papulis aut pustulis distinctæ (Λειχηνώδεα ἐξαιρόμενα, *Hipp.*) in variis corporis partibus, siccæ vel humidæ, plerumque prurientes et serpentes, hinc recte ad genus herpetis pertinentes.

vel minores in variis corporis partibus formantes, mox forma furfurum desquammantes; quandoque una parte relicta, in alia sæpe dissita denuo apparentes.

SYN. Lichenes sicci. *Auct.*

A. Dry tetter.
G. Dartre farineuse; dartre sèche.
Ge. Trokne Hautflechte.

Sp. 2. Herpes *Miliaris.*

Congeries papularum minimarum, seminibus milii similium, humore limpido, acri repletarum, quæ apice rupto humorem viscosum, corrosivum fundunt, et in crustas siccas, duras abeunt. Morbus membranæ mucosæ cutis, serpens, pruritu et ardore stipatus, collum, pectus, inguina, femora, aliasve corporis partes occupans.

SYN. Ἑρπης χενκριας. *Græc.*
Formica milianis. *Auct.*

G. Feu volage.
Ge. Salzflüsse.

Sp. 3. Herpes *Ulcerosus.*

Papulæ seu vesiculæ plures confertæ, aream communem majorem vel minorem in superficie cutis occupantes, summe prurientes

et ardentes, repletæ materia tenui acri, partes vicinas in superficie non solum, sed et cutem ipam substratam ad carnes usque erodente, et depascente.

SYN. Ἕρπης ἐσθιόμενος. *Græc.*
Herpes depascens.
——— noma.
Noma.
Ulcus depascens.
} *Auct.*

HÆ SPECIES variant pro causa remota :

α. A vitio lymphæ peculiari, *herpetico* dicto.
β. A vitio cachectico vario, primario vel secundario : syphilitico, scrofuloso, scorbutico etc.
γ. A vitio gastrico, præcipue acido.
δ. A podagra aberrante.
ε. A galactoplania.
ζ. Ab ischomenia.
η. A pausimenia.
ϑ. A fluxu hæmorrhoïdum suppresso.
ι. Ab acri externe cuti applicato.

Sp. 4. Herpes *Orbicularis.*

Papula sub epidermide, sicca vel exulcerata, serpens in circulum rubrum vel e rubro lividum, asperum, inæqualiter supra cutem elevatum, in centro læviorem, et quamcumque corporis partem occupans. Morbus lente,

sed semper in orbem, plus minusve regularem progrediens; in Carolina et Virginia endemicus (*).

SYN. An papula *Celsi*?
Herpes annularis. } *Auct.*
Serpigo *s.* Herpes serpiginosus. }

A. Ringworm.
G. Dartre simple.
Ge. Ringwurm.

G. CCXLIV. EPINYCTIS.

Gr. Ἐπινυκτὶς, ab ἐπὶ super, et νὺξ nox. Pustula maxime per noctem invadens.

Pustula plerumque una, alba, sublivida vel subnigra, maxime noctu in cute erumpens, cum dolore intensissimo, instar ignis urente, humore tenui et acri referta; post paucos dies in ulcus ichorosum sordidum abiens, materiam viscosam, agglutinantem fundens.

(*) Herpes orbicularis magnam similitudinem præsefert cum tinea capitis, quæ etiam areas rotundas format. Ambos hos morbos ab insectis aut vermibus peculiaribus, sub epidermide repentibus et eandem exedentibus, oriri credo, tam ex modo in orbem progrediendi, quam ex methodo medendi. Remedia vermibus maxime offensa utrique morbo efficaciter medentur.

Quandoque pustulæ tales plures discretæ in trunco vel etiam in extremitatibus corporis eodem tempore erumpunt, fabæ magnitudine vel etiam minores, non raro præcedente dysphoria generali, lassitudine, pulsu parvo, debili, accelerato etc. Morbus apud nos rarius, in regionibus calidis frequentius, occurrens, ab Hippocrate endemicus observatus (*).

SYN. Terminthus. } *Auct.*
Albotis. }

A. Epinyctis.
G. Epinyctides.
Ge. Nachtbrand.

(*) Optime de hoc morbo scripsit STRACK *Dissertat. de Epinyctide.* 4°, Moguntii, 1776. In quibusdam casibus auctor plagas 5 aut 6 pollices longas et 4 pollices latas et quandoque cutem ipsam nigram, quasi igne adustam, secedente paullatim eschara profundiore, foveam in cute relinquente, observavit. *Terminthi* GALENO sunt pustulæ basi rubra, purpurea, in apicem nigrum desinentes, summe dolentes, cum gangrænæ periculo. CELSUS epinyctides ad pustulas, GALENUS vero eas ad tumores refert. CULLEN terminthum pro varietate phlegmonis, et SAUVAGES epinyctidem pro varietate terminthi vel furunculi habet.

G. CCXLV. PHYMATOSIS.

Gr. Φυμάτωσις, a φῦμα, tuberculum : Morbus tuberculosus.

Tuberculorum alborum, durorum, in cute, noctu præprimis valde prurientium, eruptio in variis corporis partibus, chronica, quandoque in ulcuscula abiens; sæpe præcedente nausea, kephalalgia, dyspnoea.

Syn An pemphigus chronicus *Auct.*?
Erysipelas spurium seu scorbuticum. *Sydenham.*

Arab. Sorah, seu sara.
A. Chronical nettle-rash, seu Essera. (Vid. *Heberden* in Lond. med. Transact. V. II) (*).

G. CCXLVI. PITYRIASIS.

Gr. Πιτυρίασις, a πίτυρα, furfures : Porrigo *Celsi.*

Desquammatio epidermidis furfuracea, maxime caput, et pilosas corporis

(*) Hunc morbum chronicum, tuberculis duris notatum, ut genus ab essera distinctum, considero, eique ob tubercula, quæ ejus characterem formant, nomen *Phymatosis* rectius, quam nomen Esseræ, aut Pemphigi convenire credidi. Vide *Essera*, Vol. I, p. 170.

partes occupans, aspera, sicca vel humida, pustulis, papulis, helkydriis aut psydrakiis, vel etiam tuberculis notata; squammæ, scalpendo deciduæ, iterato renascentes; quandoque simul capillorum vel pilorum defluvium.

Sp. 1. Pityriasis *Capitis.*

Πιτυρωθεῖσα ἡ Κεφαλή. *Hipp.*

Partis capillatæ capitis, vel ad marginem capillitii, quandoque etiam superciliorum desquammatio furfuracea epidermidis, sicca et aspera, vel madida, subtus ulcerosa; tumque sæpe odoris fœtidi, serpens, pruriginosa (*).

De pityriasi capitis contagiosa, vide *Tinea.*

(*) *Helcidrya* Auct. (Gr. Ἑλκύδρια) sunt pastulæ vel ulcuscula manantia in parte capillata. — *Psydracia* Auct. (Gr. Ψυδράκια) sunt vesiculæ et ulcuscula capitis, sæpe humorem tenuem, acrem, cutem erodentem vel etiam cruentum fundentia. Hæc vitia, a Græcis olim notata, hodie vix unquam, nisi ut symptomata syphilitidis observamus, sæpe cum defluvio capillorum juncta. Ulcera partis capillatæ, maligna dicta, excrescentiis tuberculosis, fungosis, spongiosis, aut ulceribus serpentibus, odoris fœtidi, quandoque sanguiuem fundentibus, stipata, utplurimum a carie ossium calvariæ, ex syphilitide, vel læsionibus capitis, aut vitio scrofuloso, oriuntur. Vide supra *Syphilis.*

Sp. 2.

Sp. 2. PITYRIASIS *Menti.*

Menti barbati desquammatio furfuracea, sicca, aspera, mitis; vel humida, subtus exulcerata, serpens, pruriginosa; quandoque etiam tuberculis rotundis, duris, humorem viscidum fundentibus, vel excrescentiis humidis carnosis, aut siccis verrucosis, notata. Vide etiam *Psoriasis*, et infra O. *Excrescentiæ.* G. *Sycosis.*

Huc etiam referenda est Mentagra a PLINIO *Hist. nat.* L. 26. descripta, sub Tib. Claudii principatu a *Perusino* equite Rom. ex Asia Romam importata. Morbus sui generis, veloci osculi transitu contagiosus, a mento fere oriens, sed paulatim totum vultum occupans, oculis tantum immunibus, inde descendens in collum, pectus ac manus, fœdo cutis furfure horridus; cæterum proceres solos, nec fœminas, nec alios homines afficiens, nec dolorificus nec periculosus, pauco post evanidus, et ab eo tempore non amplius observatus. — Lichenem menti morbum periculosum et dolorificum a GALENO notatum, hodie non novimus.

SYN. Lichen menti. } *Auct.*
Herpes menti. }
Mentagra.

Sp. 3. Pityriasis *Genitalium*.

Inguinum, scroti, vel labiorum vulvæ, aut inter femora, desquammatio furfuracea, sicca, aspera, mitis, vel humida, pruriginosa. Vide etiam supra *Psoriasis*.

Hæ species variant pro causa remota:

α. A secretione acri topica.
β. A vitio Herpetico.
γ. ——— Scrofuloso.
δ. ——— Syphilitico.
ε. A metastasi varia.
ζ. Ab acri externe applicato.
η. Podagricorum.
ϑ. Ebriorum.

G. CCXLVII. TINEA (*).

In parte capillata capitis areæ irregulares, prurientes, ac in squammulas furfuraceas, albas, siccas abeuntes; vel ad radices capillorum ulcuscula, in semi-

(*) Tineam, ut genus a Pityriasi distinctum, considero, quod 1° nunquam aliam quam partem capillatam capitis afficiat. 2° quod semper morbus contagiosus sit. 3° quod non nisi juniores, maxime a 4to ad 14^{tum} ætatis annum, vix unquam ultra hanc ætatem, invadat.

circulum latius ac latius serpentia, prurientia, et humorem tenuem, acrem, sæpe foetoris valde ingrati, fundentia. Progressu morbi, marcor corporis generalis; tumores glandularum cervicalium et caries ossium calvariæ(**); sæpe simul apparentibus lichenibus parvulis siccis, furfuraceis, in variis corporis partibus. Morbus maxime juvenculis a quarto ad decimum-quartum ætatis annum infestus, sæpe summe rebellis, et eadem vitta, eodem pulvinari, aut pectine, vel etiam contactu manuum, præcipue scalpendo, contagiosus.

Syn. An Sahafati. *Ebn Sina*?

(*) In puero quinquenni hocmorbo defuncto, calvariam sollicite examinans, bulbos capillorum non solum exulceratos, sed tabulam ossium cranii externam in omni directione, minimis foraminalis perforatam et quasi vermibus exesam et cariosam inveni; modo non absimili, ut sæpe observamus in fundo navium e longis itineribus maritimis redeuntium, vermibus undique exeso. Tineam itaque, ut supra de herpete orbiculari dixi, a vermibus aut insectis peculiaribus oriri persuasum habeo.

A. Scald-head.

G. Teigne; Tigne.

Ge. Kopfgrind.

An tinea sicca et humida varietate, an specie differant, ignoro.

G. CCXLVIII. ACHOR.

Gr. Ἀχῶρες, Achores.

Ulcera in parte capillata capitis, vel etiam in facie, saniem viscidam flavescentem fundentia, cito in crustas duras concrescentem. Morbus chronicus, potissimum infantibus, rarius adultis, infestus, non contagiosus.

Sp. 1. Achor *Capitis* (*).

Ulcera in parte capillata capitis crustosa, prurientia, utplurimum copiosa pediculorum progenie juncta.

(*) Plures auctores achores seu favos nonnisi gradu virulentiæ a Tinea differre autumant; sed hi morbi essentialiter inter se differunt. Achores capitis in genere facile, sæpe sola munditiei cura sanantur, nec ossa capitis unquam afficiunt: contrarium in tinea obtinet, quæ frequenter ad omnia remedia rebellis, non raro ipsa ossa capitis corrodit, et contactu facile ab ægro ad sanum propagatur.

Syn. Cerion (Κηρίον s. Κηρια. *Græc.*)
Achores s. favi infantum.

A. Milk-crust; Milk-scab.

G. La gourme.

Ge. Kopfausschlag; bœser kopf.

Sp. 2. Achor *Faciei.*

Papulæ in facie, præcipue in genis, labiis, mento aut fronte erumpentes, lentis magnitudine, basi rubescentes, humorem viscosum flavescentem continentes, cito confluentes, et intra paucos dies ruptæ, in crustam densam e flavo-fuscam abeuntes, quæ cadens sæpius succrescit. Morbus quandoque cum aphthis, aut etiam ulcusculis crustosis extremitatum complicatus.

Syn. Crusta lactea.
Lactumen infantum. } *Auct.*

A. Milk-scab.

G. Rache; feu volage; croûte laiteuse.

Ge. Milchborke; Milchschorf; Milchgrind.

Variet 1. *Achor faciei* mitis, non pruriginosus, maxime lactantium, sæpe ex polychylia aut dyscrasia chyli acida oriundus, et non raro urina, odorem urinæ felium tetrum æmulante, notatus.

Variet. 2. *Achor faciei* pruriginosus, quandoque serpens, infantum vel adultorum, sæpe

ex vitio scrofuloso vel syphilitico, aut etiam herpetico oriundus, aut cum hisce vitiis complicatus; quandoque simul cum ophthalmitide et blennorrhagia oculorum vel genitalium junctus. Morbus progressu sæpe, præcipue scalpendo, ad aures et caput, vel etiam humeros et reliquas corporis partes sese extendens, maculas rubras et pustulas summe prurientes, ac marcorem et febrem hecticam inducens; Lactantibus non solum, sed et infantibus sex aut septem annorum, et quandoque etiam adultis infestus, hæreditarius vel connatus, sæpe summe rebellis.

Syn. Crusta serpiginosa, pruriginosa. *Wichmann.*

Ignis volatilis infantum. }
Ignis sylvestris. } *Auct.*
Gutta rosacea infantum. }

G. CCXLIX. TRICHOMA.

A Gr. Τρίχες, pili, capilli.

Prægressis, plerumque kephalagia violenta, pityriasi capitis, aut doloribus vagis vel fixis, aliisve corporis affectionibus internis variis, scabritie et nigredine unguium, capillorum insolita crassities, et in cirrhos ac funiculos

inextricabiles implicatio et conglutinatio. Morbus in Polonia et Tataria frequens, quandoque cum unguium corruptione complicatus. — Ex capillis incaute abscissis sanguinis ex iisdem effusio, dolor sævus, et affectiones corporis morbosæ variæ (*).

Syn. Plica polonica. *Auct.*

Polon. Koltun ac Koltek.

Ge. Weichselzopf.

(*) Multi auctores hunc morbum in Polonia et Tataria endemicum et contagiosum habent. Quidam eum a metastasi critica humoris vitiosi ex massa sanguinis in capillos delata derivant. Optime hunc morbum descripsit et figuris illustravit *Lafontaine* in chirurg. medic. abhandl. 1792. Dr. *Mican* (si recte memini) medicus Pragensis ex capillis hoc morbo affectis ad quamdam a capite distantiam abscissis dolores ingentes; sed ex raso postea capite sanationem Trichomatis perfectam observavit.

Parisiis nuper in Nosocomio quodam ex capillis fœminæ post morbum acutum abscissis ingentes capitis dolores et mortem insecutam fuisse legimus.

Implicatio et conglutinatio capillorum a neglectu munditiei vel ab achoribus, in Polonia æque ac in aliis regionibus orta, minime confundenda est cum Trichomate, ut plures auctores insinuarunt. Equi in desertis sibi relicti quandoque simili vitio in juba æque ac cauda laborare observantur.

Reliqua pilorum aut capillorum vitia, vide infra Cl. Locales G. *Cacotrichia*.

CL. IV. O. VIII. SCOLECODES, s. CACHEXIÆ VERMINOSÆ.

Gr. Σκωληκώδεις, a Σκώληξ vermis.

CHAR. MORBI ex vermibus aut insectis corpus interne vel externe infestantibus oriundi.

GENERA ad hunc ordinem spectantia sunt:

GENUS I. ENTOMIASIS.
II SCOLEKIASIS
III. HELMINTHIASIS.

Ad hunc ordinem forsan etiam recte pertinent:

Psora.
Herpes orbicularis.
Tinea.
Gemursa. PLINII.
Mentagra. PLINII.

CL. IV. O. VIII. SCOLECODES, s. CACHEXIÆ VERMINOSÆ.

G. CCL. ENTOMIASIS.

Gr. Ἐντομίασις, ab Ἔντομα, insectum: Morbus ab insectis productus.

Cnesmus, dolor, tumor vel phlogosis, aliave symptomata, a morsura, punctura, vel hospitatione insecti cujusvis in superficie corporis, cute, cavo narium, vel meatu aurium etc. producta.

I. Phthiriasis.

Gr. Φθειρίασις, a φθείρ, pediculus.

1. *Phthiriasis universalis.*

Pustulæ, seu tubercula rubra numerosa in variis cutis partibus, ex pediculis ibidem nidulantibus, qui demum cum numerosa progenie exitum quærunt. Morbus antiquis non infrequens, hodie in Europa rarus (*).

(*) Morbum hunc nonnisi semel videre mihi contigit Londini, in Nosocomio Westminster dicto, in fœmina paupere 30 circiter annorum. Virum nobilem

SYN. Morbus pedicularis.

G. Maladie pédiculaire.

Ge. Läusesucht.

N. B. An pediculus humanus vulgaris, an

---

in eadem urbe eodem morbo per annos plures laborasse et tandem eodem mortuum esse rumor sprevit; idem hodie de fœmina illustri asseritur. Unde aut quomodo hic morbus oriatur, difficile dictu est. Ex neglectu munditiei eum oriri posse apud pauperes facile concipitur; sed hæc causa in divitibus vix admitti potest. Ex indusiis laneis raro mutatis, aut ex usu frequenti carnium putrescentium pro nutritione eum oriri quidam auctores asserunt. Hic addo historiam fœminæ nunc 30 annorum, ut eam ab ejus ore accepi. Puella 18 annorum ad cutem albam reddendam, ex consilio fœminæ, cyathum propriæ suæ urinæ omni mane hausit, post aliquot hebdomadas subito corpus totum numerosissimis pediculis scatere cœpit : Idem postea alii fœminæ, eodem remedio utenti, contigisse observavit. Hoc dictum tale quale accepi, hic inserui, ad attentionem medicorum excitandam, qui occasionem habent causam hujus morbi propius investigandi. Quidam auctores phthiriasin ab usu immoderato ficuum, et *Galenus* eandem ab usu carnis viperinæ generari dicunt. *Sauvages* casum Phthiriasis internæ funestæ refert, ubi pediculi aliave insecta varia ex auribus, oculis, naribus, ano, urethra, ac cute innumera prodierunt, quæ Hydrargyrosi ad ptyalismum usque per 15 dies continuatum curata, deinde mox rediens ægrum, insomnio et atrophia debilitatum, e medio sustulit.

species pediculi peculiaris hunc morbum producat, ignoro.

2. *Phthiriasis capitis.*

Infantes præcipue achoribus et adulti porrigine capitis laborantes, huic morbo subjecti sunt. An eadem species, an diversa sit pediculi, qui in indusiis et vestibus habitans corpus reliquum infestat, nescio.

3. *Phthiriasis inguinalis.*

A specie particulari : *Pediculus pubis L.* oritur.

A. Crab-lice.
G. Morpions.
Ge. Filzläuse.

Hi pediculi neglecti, ut aliæ species, cito numerosissimam prolem generant, quæ pruritum intolerabilem, pustulas et ulcera, præcipue circa partes genitales pilosas et inguina producunt, et inde ad regionem subaxillarem, pectus hirsutum, supercilia, ac ad limbum palpebrarum usque migrantes, has partes corporis infestant. Non solum per coitum, ut vulgo creditur, sed et per lectos, currus, sellas, sese facillime communicant, propagant et disseminant.

Huc etiam pertinet :

Cnesmus summe molestus, et sæpe etiam cum pustulis junctus, in brachiis, tibiis, dorso ab insecto, *Acarus siro* appellato, productus.

SYN. Acari. } *Auct.*
Cirones. }

A. The mite.
G. Le ciron, la mite.
Ge. Miete; käsmilbe.

II. PSYLLIASIS.

A Gr. Ψύλλος, pulex : Morbus a *Pulice penetrante* dicto, productus (*).

Ulcuscula summe prurientia, dolorifica, et difficulter sanabilia in pedibus vel digitis pedum, et sæpe etiam sub unguibus digitorum pedis nata, in regionibus calidis a pulice sub ungues aut cutem penetrante, ibique ova sua deponente. Morbus in America, Africa et India occidentali præprimis frequens, sub nomine *chigues, chiegoes*, vel *Biécho* notus; quan-

(*) Pulex penetrans *L.* minor est pulice vulgari, sed proboscidem corpus longitudine æquantem habet et communiter in quisquiliis aut sabulo habitat, unde etiam *Pulex arenarius* appellatur.

doque inflammatione vehementi, in gangrænam et mortem abeunte, stipatus (*).

Morbi varii : Phlogosis, dolor, cnesmus, tumores, ulcera etc. ex punctura variorum insectorum oriunda, ad morbos locales pertinent.

Insecta cuti hominum æque ac animalium variorum infesta, innumerabilia sunt, in regionibus calidis præcipue molesta, interim sequentia hic obiter notare convenit :

Pulex irritans. *Linn.*

A. Flea.
G. Puce.
Ge. Floh.

Cimex lectularius. *Linn.*

A. Bug.
G. Punaise.
Ge. Wanze.

Culex pipiens.

A. The gnat; muskitos.
G. Cousin.
Ge. Mücke.

(*) An hic morbus idem sit ac *Gemursa* Plinii (Hist. Nat. L. XXVI) doctioribus dijudicandum relinquo. *Triller* gemursam Plinii cum *Gumretha* Talmudistarum convenire credit.

Culex reptans.

In Sibiria, Lapponia.

Vespa vulgaris et crabro.

A. Wasp.
G. Guêpe.
Ge. Wespe.

Acari variæ species.

Apis variæ species.

Aranea Tarantula etc.

Formicæ variæ species.

Œstri variæ species.

Phalangium Areneoides.

Scorpionis variæ species.

G. CCLI. SCOLÈKIASIS.

Gr. Σκωληκίασις, a Σκώληξ vermes, Σκωλήκιον vermiculus.

Morbi, seu symptomata morbosa in corpore nata, ex vermibus, in tunica cellulosa sub cute, vel in parenchymate viscerum, aliisve corporis partibus externis vel internis, nidulantibus.

I. Gordius Medinensis.

Vermis corpore rotundo, tenui, ad 8 aut 12 pedes et ultra longo, instar chordæ musicæ aut crinis equini subtilis, albescens vel rubescens, aut etiam nigricans (*).

Syn. Δρακοντιον. *Græc.*
Vena Medinensis. *Arab.*
Dracunculus Persarum. *Kaempfer.*

A. Guinea-worm.
G. Vers de Guinée; ver de Médine; Dragonneau de Médine.
Ge. Fadenwurm.
Americ. Colebrilla.

Hic vermis, præcipue in sinu Persico, et India orientali ac occidentali frequens, cutem

---

(*) An hic Gordius idem sit cum gordio aquatico *L.* nondum bene determinatum fuit. Certe in India orientali, ubi idem morbus *Neruaüh* appellatur, præcipue prope locum *Oujein*, illi præprimis hoc verme afficiuntur, qui aquam pro publico hauriunt, hinc manus et pedes sæpe in aquam immersos habent. In insula Grenada nigritis præcipue infestus est, qui aquam ex certis puteis haustam bibunt, quæ opinionem Linnæi confirmare videntur. — Dr. Chisholm illum in diversis corporis partibus observavit, hinc credit eundem cum aquis deglutitum, ex ventriculo paulatim ad cutem usque penetrare.

penetrans potissimum ad malleolos pedum, ad genua, vel etiam in manibus et brachiis, in tunica cellulari sub cute nidulatur, ibique primo ingentem dolorem et inflammationem ac tumorem cum febre violenta excitat, tandem in pustulam et apostema abientem, quod capite perforat; tuncque prehensus et papyro obvolutus, ut sese retrahere nequeat, omni die caute et leniter trahendo, ne rumpatur, tandem pro longitudine ejus majori vel minori citius vel tardius totus feliciter extrahitur, et ulcus cito sanatur. Si accidentaliter rumpitur, pars relicta utplurimum vehementem inflammationem et tædiosam suppurationem in variis membri affecti partibus producit.

II. *Hydatis.*

Vermis capite armato, corpore tæniformi in vesicam desinante; ore quadrilobo.

Hydatis humana.

Capsa vaginali cartilaginea, vesicula caudata, apicibus obtusis.

In parenchymate viscerum præprimis, aut in membrana cellulosa, vel in ovariis aut etiam in cavo uteri vel abdominis, pectoris, cranii etc hominis hospitans, sub forma vesicularum, humore limpido repletarum; quandoque

doque unus aut plures separatim, quandoque plurimi ingenti numero racematim inter se cohærentes.

Species particuliaris, *Hydatis cerebralis* dicta; maxime cerebro ovium infesta, morbum eorum peculiarem vertiginosum causat, quo oves hoc morbo affecti sese constanter in gyrum vertunt, sæpe perforatione cranii curandum. An hydatis, quandoque in cerebro hominis nidulans, eadem sit ac ea ovium, non liquet. Alia species, *Hydatis finna* dicta, maxime faucibus ac carnibus porcorum infesta. Alia adhuc, *Hydatis globosa* dicta, sæpe ovi gallinacei magnitudine, non raro in peritonæo ac in hepate porcorum reperitur.

III. *Hirudo*.

Hirudo medicinalis et *Hirudo sanguisuga* in aquis stagnantibus habitantes, sese pedibus, aliisve partibus corporis nudis, in hasce aquas immersis, affigentes hæmorrhœam causant, sæpe difficulter sistendam. Ab applicatione hirudinis sanguisugæ ad anum, in fœmina temperamenti irritabilis, convulsiones aliaque symptomata gravia orta fuisse novi. Hirudines cum aqua haustæ sese faucibus aut ventriculo affigunt, et hæmo-

rrhagias aliave symptomata molesta causantes, solutione muriatis sodæ cito necantur.

IV. *Mytilus edulis.*

A. Eatable Mussels.
G. Moules.
Ge. Muscheln.

Certis anni temporibus comestus, au in constitutionibus corporis peculiaribus, prava et quandoque periculosa symptomata producit. Hæc præprimis sunt: Sensatio ardoris in faucibus; tumor faciei, oculorum, labiorum, linguæ et colli; distensio ventriculi; tumor cutis erysipelatosus cum cnesmo violento summe ingrato; dyspnœa; magna anxietas, et in quibusdam casibus, convulsiones.

N. B. Causa horum symptomatum creditur esse *Asterias ophiura* (species stellæ marinæ), quæ mensibus junii, julii et augusti in cochlea mytili edulis inclusa deprehenditur. Succus hujus stellæ marinæ summe acris est. Probe lavando mytilos aceto et aqua, hæc noxia qualitas tolli dicitur. Remedia contra has noxas in corpore productas sunt emetica et acida, præcipue succus citri cum aqua menthæ piperitæ mixtus.

V. *Furia infernalis.*

Aliæve ejus species cuti sese insinuantes, symptomata gravia et sæpe mortem animalium causant, ut *Linnæus* et *Pallas* memorarunt.

Ad hoc genus etiam referendi sunt morbi plures a *Sauvages* sub genere *Malis* recensiti. Malis (Μάλις) græcis est morbus jumentorum tussi stipatus, cæterum obscure descriptus. Quo jure, aut ex qua causa *Sauvages* Malim, ut morbum cutaneum a vermibus aut insectis oriundum, consideraverit, nescio. Certe nomen hoc vagum et ambiguum minime in systemate nosologico admittendum esse censeo.

An *Malis Westphaliensis* et *Transylvanica* Sauvag; *vulgo* die Varen, seu die Lopende Varen huc pertineat? et an hic morbus adhuc hodie, ut olim in Westphalia et Transylvania endemicus sit, ignoro. *Schenkius* et *Heurnius* in delineatione hujus morbi insectum vel vermem, qui eundem producere dicitur, non descripserunt.

Ad Scolekiasin quoque pertinet:

Urticaria.

Frequenter ab esu cancrorum variorum, aut piscium (præcipue *Salmo Salar*, et *Clupea harengus*) orta.

G. CCLII. HELMINTHIASIS.

Gr. Ἑλμινθιασις, ab Ἕλμινς, vermes intestinorum, lumbrici.

Morbi, seu symptomata morbosa in corpore humano nata, ex vermibus in ventriculo, vel in canali intestinali hospitantibus.

Tormina ventris leviora, per vices inopinanter redeuntia, subito cessantia; pruritus narium, ad frequentem frictionem impellens; halitus oris fœtidus; gingivæ male affectæ; lingua albo muco obducta; faciei color cachecticus, frequenter mutans; limbus palpebrarum pallidus; pupillæ sæpe mire dilatatæ; palpebræ circum circa livescentes; apepsia et nausea sæpe cum bulimia alternantes; gasteralgia; singultus; abdomen tumidum et artus extenuati; atrophia generalis; nunc dyscoilia, nunc diarrhœa; quandoque secessus muci glutinosi vel vermium ipsorum; tenesmus absque nota causa; sensus motus aut reptatus in abdomine; sitis constans; tristitia; oculi in somno semi-aperti; somnolentia; insomnia, et convulsiones leves ac stridor dentium inter dormiendum; urina

nunc rubra, nunc alba, mucosa vel lactea; cardiopalmus; vertigo; leipophymiæ; convulsiones; ballismus; paralysis artuum; amblyopia, cæcitas; surditas, tinnitus aurium; sudores frigidi repentini; tussicula frequens, molesta, sicca; pulsus frequens, parvus, debilis, omni modo irregularis; febres mali moris, quandoque circa umbilicum aut etiam alibi in abdomine apostemata, ex quibus ruptis vermes prodeunt. Morbus junioribus, fœminis magis quam viris, et aquæ potatoribus præcipue infestus; quibusdam populis, præprimis in statu naturæ viventibus, et in quibusdam regionibus, ac quibusdam annis frequentius occurrens (*).

(*) Morbi verminosi, præcipue in adultis, hodie multo minus frequentes sunt quam antea. Usus liquorum spirituosorum generalis huc contribuere videtur. — In omnibus morbis abstrusis; præprimis symptomatibus anomalis stipatis, Medici attentio circa vermes intestinales dirigenda est. Casum novi, ubi æger doloribus in variis articulationibns corporis, arthrodyniam podagricam mentientibus, pessime afflictus, ex sumpto anthelminthico, massa pituitosa ac tæniæ portionibus per alvum evacuatis, perfecte convaluit. Sic apoplexiam, paralysin, evacuatis per alvum vermibus curatam novi. In alio casu æger, excrescentia nasi fœda fungosa notatus, post Helminthiasin curatam malo nasi sponte liberatus fuit.

Vermes in ventriculo et intestinis, præcipue in homine, hactenus observati, sunt seqnentes:

I. Ascarides.

Vermes corpore æquali, terete; ore trinodo, intestinis conspicuis.

A. *Ascaris lumbricoides.*

A cauda obtusa, ani rima transversa, intestino aurantio, crassitie et longitudine lumbrici terrestris; præcipue in intestinis tenuibus sæpe ingenti numero, sed quandoque etiam in ventriculo, nidulans.

Gr. Ἕλμινθες ϛρογγύλαι.
Vulgo Lumbrici teretes.
A. Round worms.
G. Lombrics.
Ge. Spuhlwürmer.

B. *Ascaris vermicularis.*

A cauda subulata, cute ad latera corporis subtilissime crenata; ore trinodo, utplurimum pollicis dimidii aut linearum sex longa, et instar fili tenuis crassa; plerumque in intestino recto, non raro etiam in ventriculo, et in fœminis quandoque etiam in vagina, nidulans.

Gr. Ἕλμινθες Ἀσκαρίδες.
Vulgo Ascarides.
A. Thread-worms.
G. Ascarides.
Ge. Springwürmer; Mastwürmer; Madenwürmer.

C. *Ascaris trichiura* (Trichokephalus).

A corpore inæquali, terete; antice capillari, postice incrassato, supra subcrenato, subtus lævi, anterius subtilissime striato; quandoque duorum pollicum longa; utplurimum in intestinis crassis habitans. Sugit extremitate tenui, spirali.

Vulgo. Trichurides.
Ge. Haarwürmer.

II. Taeniae.

Corpus planiusculum, geniculatum; os quadrilobum. Intestina tenuia præcipue occupantes.

Gr. Ἕλμινθες πλατῖεαι seu Ταινίαι, quod instar fasciæ longæ et latæ sint.
Vulgo. Lumbrici lati.
A. Tape-worms; jointed worms.
G. Vers solitaires (*ex opinione erronea*).
Ge. Bandwürmer.

A. *Tœnia cucurbitina* (Tænia solium *Linn.*)

T. alba, fere cartilaginea, articulis quadratis vel oblongis, subvaginatis, ovario fasciculatim ramoso; ramis sublinearibus crebris, fasciculis transversis compressis; margine articuli laterali angusto, compresso; orificiis lateralibus separatis : capite unco armato.

Hæc species præcipue in Germania et Hollandia frequens, quandoque 60 pedum longa reperta fuit.

N. B. Vermes cucurbitini, a *Coulet* erronee ascarides dicti, sunt articulationes posteriores a corpore hujus tæniæ abruptæ, aut separatæ.

B. *Tœnia vulgaris*.

T. tenuis, transparens et quasi membranacea; orificio ovariorum duplici, altero in tergo ovarii punctiformi, altero ante illud posito, papilliformi expressili : capite unco armato.

Hæc species, longitudinem 10 aut 16 pedum nunquam excedens, frequentissima est in Suecia.

Vulgo. Tænia membranacea.

C. *Tœnia lata*.

T. alba, articulis brevibus, in medio no-

dosis; orificiis lateralibus separatis, sine unco in capite; quandoque centum pedes longa, et ad sex lineas usque lata; præprimis Petropoli frequens.

N. B. Hæ tres tæniæ species hucusque solæ in intestinis hominum repertæ fuerunt. In intestinis canum, felium, piscium etc. multæ aliæ tæniarum species passim occurrunt. In homine non raro plura individua ejusdem speciei, vel specierum diversarum simul in intestinis hospitantur. — Hactenus remedium nullum contra tænias universale cognitum est, sed quævis species diversa medicamenta ad sui expulsionem requirit. In genere quod medicamentum uni horum vermium noxium est, aliis sæpe vix nocere videtur.

Quæ de Serpentibus, Lacertis etc. in ventriculo hospitantibus, hactenus ab auctoribus relata sunt, non satis exacte constant.

CL. IV. O. IX. LITHIASES,

seu CACHEXIÆ CALCULOSÆ,

aut potius SALINÆ.

Gr. Λιθιάσεις, generationes calculorum.

Charact. Morbi, concretionibus calculosis salinis in variis corporis humani partibus stipati; vel ab iisdem concretionibus, previe generatis, oriundi.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt:

Genus I. PODAGRA.
II. UROLITHIASIS.
III. CHOLELITHIASIS.
IV. ENTEROLITHIASIS.
V. SPLANCHNOLITHIASIS.

Ad Lithiases locales pertinent Concretiones calculosæ, aliæve variæ, sequ entes:

1. Calculi dentium. (Odontolithiasis).

2. Calculi glandularum sublingualium, parotidum, prostatæ etc.
3. Indurationes ad articulos, præcipue genuum, malleoli etc, vulgo *ossicula interarticularia*, dictæ.
4. Indurationes musculorum.
5. Indurationes partium mollium, vulgo *ossificationes* dictæ.
6. Induratio ceruminis aurium.

CL. IV. O. IX. LITHIASES, *seu* CACHEXIÆ CALCULOSÆ.

G. CCLIII. PODAGRA.

Gr. Ποδάγρα, a Ποῦς pes, et ἄγρα præda, captura, quasi diceres, Pes captus, aut male affectus (*).

Cachexia peculiaris naturæ, otii et intemperantiæ filia, frequenter hæreditaria, aut etiam acquisita. Initio sæpe sine ullo symptomate prodromo, subito et sine ulla causa externa apparente, maxime viros post 36 ætatis annum,

(*) Pro designando morbo, quem græci pro sede varia : *Podagram* si pedes ; *Gonagram* si genua ; *Chiragram* si manus; *Pechiagram* si cubitum ; *Omagram* si humerum ; *Ischiagram* seu *Ischiadem* si lumbos vel coxam dolor occupat, nominarunt, ex defectu vocabuli melioris, nomen Podagræ retinui, etsi characterem cachexiæ peculiaris hic delineandæ male exprimens. Cæterum Podagra, morbus chronicus, ab arthritide podagrica, morbo acuto, differt, ut Myodynia seu Rheumatismus chronicus ab arthritide rheumatica seu Rheumatismo acuto *Auctorum*. Vide *Arthritis* et *Arthrodynia*.

(quandoque juniores, rarius eunuchos, ac fœminas, nisi male menstruatas, aut laute viventes) invadens dolore feroci, tumore et rubore ad pollicem pedis vel ad calcaneum; plerumque cum pulsu frequente, pleno, forti, et urina intense rubra, parca, sedimentum album vel rubri rosei coloris copiosum deponente. (*) Morbus gradatim paucos post dies sponte abiens, ægrumque liberum relinquens; sed per intervalla, potissimum vere et autumno revertens, præeuntibus utplurimum, die uno alterove ante doloris in artu accessum, ventriculi affectione insolita, ructibus acidis, ac non raro etiam sorditie cutis

---

(*) Connexionem et affinitatem podagræ cum urolithiasi, ac hypochondriasi seu emphraxi vasorum abdominalium, atque hæmorrhoidibus egregie dilucidavit Musgrave *de arthritide anomala* (Vide opera Sydenhami., Vol. II Genevæ 4[to]) ubi sequellas, ex arthritide podagrica nondum perfecte formata, bene discutit. Vide etiam J. J. *Murray* opuscula, V. I. Eximie quoque circa hos morbos cognatos agit Grant: *Observations on chronic Disorders;* et Withers *on chronic weakness*, qui posterior tamen emphraxis viscerum abdominalium non meminit.

manuum insolita et cnesmo peculiari in facie, quasi a tela araneæ in aëre volitante cuti adhærente; nunc pedem unum alterumve simultanee vel alternatim afficiens, aut etiam genua, vel manus aut cubitum, rarius humerum, coxam aut lumbos occupans, facile sedem mutans. Ætate provectiori et corpore magis debilitato, sæpe cum affectione partium internarum alternans, aut etiam, loco extremitatum, ad renes, vesicam, ventriculum, intestina, hepar, pulmones, caput etc. aberrans, eademque, vulgo sub nomine *Podagrœ anomalœ*, *irregularis* vel *atonicœ*, male et non raro etiam periculose, afficiens. Adultior morbus, articulis longiori tempore affectis, rigiditatem et immobilitatem inducens, frequenter etiam concretionescalculosas, vulgo *nodos* seu *tophos* dictos, post se relinquens; ex quibus sponte ruptis substantia alba, dura, colore et consistentia cretam æmulans, sed revera salinæ naturæ ex urate sodæ aut calcis potissimum contans, sæpe magna copia exit.

Syn. Ποδαλγία. *Discorid.*

A. The Gout.
G. La Goutte.
Ge. Die Gicht.

N. B. Causa materialis podagræ, quidquid hactenus a *Cullen* aliisve recentioribus contradictum est, mihi videtur esse humor acris peculiaris naturæ, in massa sanguinis gradatim generatus, retentus et accumulatus; deinde ex massa humorum vi naturæ in extremitates rejectus et præcipue ad pedes depositus, aut ibidem stagnans, in tendines, membranas et ligamenta articulorum quasi impactus, mole et acrimonia sua irritando et vellicando, dolores atrocissimos causans; tandem per vasa cutanea loci affecti transpirans, vel resorptus ad renes aut ad cutis superficiem delatus, per hæc excretoria e corpore eliminandus. In senibus vero et debilioribus, non raro in articulis, pedum præcipue vel manuum, diutius hærens, non absorptus, in massam albam concrescit, et nodos, tophos, calculosve podagricos dictos format. Hos calculos, hactenus vulgo pro terra calcarea habitos, nuper analysi chemica exactius investigatos, naturæ evidenter salinæ esse nunc compertum habe-

mus. *Wollaston* eosdem ex urate sodæ, id est, ex acido urico et soda potissimum compositos esse invenit. An vero omnes concretiones podagricorum calculosæ ejusdem naturæ sint? an, ut calculi urinarii, variis temporibus aut in variis subjectis varient? experimentis nondum determinatum fuit. Sed ex mox dictis, saltem summe probabile esse videtur, causam materialem podagræ a sale quodam acri dependere, quod irritando et vellicando excruciantes illos podagricorum dolores excitat; sed num acre illud initio ex acido urico simplici, aut quandoque etiam ex acido phosphorico constet? vel an unum alterumve horum acidorum primario cum soda vel calce junctum, causam morbi constituat? vel an potius morbi effectus sit? nos adhuc latet. Cæterum, hi calculi in solutione potassæ, mediante calore, perfecte solvuntur, et acido sulfurico aut muriatico decomponuntur.

Causae ad podagram prædisponentes sunt: Vitium hæreditarium a parentibus hoc morbo affectis, vel modus vivendi otiosus, vita lauta, intemperans, maxime abusus veneris, ac liquorum spirituosorum, præcipue vinorum principio acido-austero abundantium.

Causæ excitantes sunt omnia, quæ corpus in genere, vel organa digestionis in specie, debilitant:

bilitant: hinc frigus, præcipue humidum, corpori admissum; sudoris aut transpirationis suppressio; venus nimia; curæ, mœror, studia intensa; exercitia nimis violenta; aut otium, præcipue in iis qui antea exercitio corporis habituali ssueti aerant; ingesta copia aut qualitate peccantia, solida vel liquida, præprimis acida vel acido-austera, nativa vel fermentata.

A. *Podagra Sthenica.*

Quæ regulariter semel vel bis in anno, dolore, rubore et tumore articulum unum alterumve extremitatum afficit, per aliquot dies perstans, dein paulatim abit, sine notabili labe partis affectæ relicta.

SYN. Podagra plethoricorum.
——— sanguineorum.
——— robustorum.
——— regularis.
} *Auct.*

B. *Podagra Asthenica.*

Quæ sæpius in anno intervallis irregularibus revertit, solito diutius perstat, vel subito modo hanc modo aliam partem, nunc ambos pedes, nunc genua aut manus, vel loco extremitatum, partes internas afficit;

aut etiam sine causa evidente sedem ordinariam suam subito mutans, extremitates relinquens, ventriculum, hepar, pulmones, cerebrum, renes, vesicam, testiculos, oculos etc. invadit, et dolores aut spasmos violentissimos in iisdem excitat. Morbus, ex ætate ægri provectiore, statuque ejus debiliore, aut non raro etiam ex medendi methodo perversa, sæpe cito lethalis (*).

Syn. Podagra debilium.
——— exhaustorum.
——— irritabilium.
——— irregularis.
——— aberrans.

(*) In viro robustissimo, ex podagra subito retrocedente, vidi aphoniam et dyspnoeam summe dolorificam, intra paucos menses lethalem. In aliis, vesicæ aut testiculorum dolores atrocissimos, dysuriam, et molestissimam blennorrhagiam vesicalem aut urethralem, nephritidem, gastritidem, enteritidem, hepatitidem, dyspnoeam, pnigophobiam, aphoniam, apoplexiam, aliosve morbos periculosissimos a podagra aberrante, vel etrocedente, quotidie in praxi observamus.

G. CCLIV. UROLITHIASIS.

Gr. Οὐρολιθίασις, ab οὖρον, urina, et λιθίασις generatio calculi.

Morbi seu symptomata morbosa ex sabulo, arenula, lapillis aut calculis in systemate vasorum urinariorum generali oriundi (*), pro sede, figura aut

---

(*) Cachexia calculosa systematis urinarii, sæpe instar cachexiæ podagricæ, cum qua magnam analogiam habet, hæreditaria est, sæpe etiam endemica. Ut podagram in regionibus vino abundantibus, sic urolithiasin in locis ubi homines cerevisia præcipue pro potu utuntur, in Europa frequentem observamus, imo etiam jam infantibus infestam. Podagrici fere omnes, maxime adultiore morbo, nephralgia sabulosa laborant; non raro etiam eandem nephralgiam podagræ vicariam videmus. — Veteres et recentiores, ad ultima fere tempora usque, calculos urinarios pro concretionibus lapideis calcareis habuerunt, donec Celeb. *Scheele*, chemicus sæculi elapsi ingeniosissimus, (in actis Stockolm. pro anno 1779) hos calculos non ex terra calcarea, ut vulgo credebatur, sed ex acido peculiari concreto, postea nomine acidi urici insignito, constare primus docuit; sed analysin longe exactissimam horum calculorum maxime duobus chemicis illustribus *Fourcroy* et *Vauquelin* debemus. Hi unito labore, calculos urinarios varios analysi chemicæ exactiori subjicientes, eos diversæ admodum naturæ esse invenerunt. Cum hæc inventa summam in praxi medica utilitatem promittunt, eadem supra p. 19 ample recensui.

mole calculi variantes; unde: Nephritis, nephralgia, anorexia, apepsia, dyspepsia, apositia, pneumatosis, hyperemesia, ischuria, dysuria, tenesmus, ulcera, hæmaturia, pyuria, phthisis, vel atrophia.

A. Stone, and gravel complaints.
G. Gravier; gravelle ou la pierre.
Ge. Steinbeschwerden.

Sp. I *Urolithiasis renalis.*

Nephritis, aut dolor gravativus, tensivus in regione renum, plerumque in rene uno, sæpius in sinistro, rarius in utroque, sæpe per ureterem ad vesicam usque, vel etiam ad clunem et femur lateris affecti extendens, cum apepsia, nausea, hyperemesia, testiculi in viris dolore, tumore et retractione; sensu stuporis, aut doloris ad labium vulvæ vel in interna femoris parte in fœminis, exercitio aut motu corporis auctis; dysuria; urina pauca limpida, vel turbida, quandoque sanguinolenta, sedimentum sabulosum, mucosum vel purulentum deponens. Morbus ex calculi aut sabuli præsentia in rene uno vel utroque ortus, et in casu posteriore sæpe cum ischuria renali junctus.

Sp. 2. Urolithiasis ureterica.

Dolor in regione iliaca dextra vel sinistra acutissimus, intervallis brevibus exacerbans, ureteris iter sequens, sæpe enteralgiam aut osphyalgiam mentiens, anorexia, apepsia, hyperemesia, quandoque etiam convulsionibus stipatus; dolor sæpe, ut in urolithiasi renali, ad pudenda, clunes et femora sese extendens, ex calculo majori minorive, e rene in ureterem delapso ibique impacto, ortus.

Sp. 3. Urolithiasis vesicalis.

Dolor in hypogastrio gravativus constans, quandoque lancinans aut terebrans violentissimus cum ischuria, vel dysuria et tenesmo; urina turbida, sedimentum sabulosum, purulentum vel mucosum tenax deponens, tuncque fundo matulæ fortiter adhærens. In viris sæpe simul dolor et pruritus balani molestissimus; priapismus : Progréssu morbi sæpe ulcus, aut incrassatio membranarum vesicæ abnormis. Morbus maribus præcipue, etiam junioribus, rarius fœminis infestus, cathetere per urethram immisso, ac digito per anum introducto, detegendus.

Sp. 4. Urolithiasis urethralis.

Dolor et spasmus in urethra et vesica violentissimus, cum ischuria, dysuria et tenesmo. Morbus ex calculo, e vesica in collum ejus vel in urethram protruso, ibique impacto; quandoque etiam ex calculo in vesiculis seminalibus, aut in prostata, aliisve glandulis urethræ nato, oriundus.

G. CCLV. CHOLELITHIASIS.

Gr. Χοληλιθίασις, a χολὴ bilis, et λιθίασις: Generatio calculi biliaris.

Cachexia peculiaris, in qua bilis, in vesicula fellea inspissata, in calculos inflammabiles, plus minusve duros, concrescit.

Syn. Calculi biliarii. *Auct.*

A. Gall-Stones.
G. Calculs biliaires.
Ge. Gallensteine.

Hi calculi quandoque longo tempore in vesicula quieti manent, sed tandem mole vel ex alia quacunque causa, vesiculam felleam irritantes, ex ea in ductum kysticum et ex hoc in ductum choledochum propelluntur,

et, si parvuli vel molliores sunt, orificium ejus in intestino duodeno transeunt, quandoque sine ulla sensatione molesta, aut symptomate morboso notabili; sed frequentius, in ductu kystico vel choledocho, aut in hujus orificio excretorio prope duodenum impacti hærentes, et mole sua vel scabritie violenter irritantes, spasmum et dolorem excruciantem violentissimum in epigastrio causant, quem vulgus medicorum sæpe pro spasmo ventriculi habet, summam debilitatem, convulsiones, syncopen periculosam, vel hyperemesiam rebellem, icterum, plerumque cum dyscoilia aut fæcibus duris, cinereis vel albescentibus, inducentes; quæ symptomata obstinate perseverant, donec calculus sic lacessens vel in intestinum duodenum expulsus fuerit, vel motu ductus choledochi et kystici retrogrado, denuo in vesiculam felleam retropellatur, paucis post septimanis vel mensibus eandem tragœdiam ludens (*).

Natura horum calculorum felleorum nonnisi a paucis abhinc annis, investigatione et

---

(*) Raro calculus unus major, sed plerumque plures minores in vesicula fellea post mortem reperiuntur. Sæpe post accessum morbi, calculi tales plures parvuli in fæcibus excretis reperiuntur.

analysi celeberrimi *Foucroy*, nobis cognita est. Sunt autem juxta eundem auctorem quatuor eorum species:

Prima species est coloris albi, crystallisata, nitens, structuræ lamellatæ. Hi calculi ex adipocera constant.

Secundæ speciei polygoni sunt, coloris cinereo-fusci, lamellis concentricis, ex adipocera præcipue constantes, in centro sæpe crystallisationem seu substantiam fuscam, quæ bilis est, continent.

Tertia species horum calculorum, coloris fusci, ex bile inspissata constat.

Quarta ex materia carbonacea, non inflammabili, constare videtur; dum priores tres evidenter inflammabiles sunt. Humana bilis ipsa, ut supra notavi, constat ex substantia resinosa peculiari et materia saccharina cum pauca quantitate sodæ, vel puræ vel acido muriatico aut phosphorico junctæ, ac portione albuminis cum multa aqua. Hinc patet, aquæ portione difflata bilem et spissiorem et acriorem fieri; idem omnino accidere debet, si pars resinosa copia vel acrimonia peccat. Ambo hæc in zona torrida efficaciter concurrunt ad cholepyras aliosve morbos biliosos et frequentiores et periculosiores reddendos.

G. CCLVI. ENTEROLITHIASIS.

Gr. Ἐντερολιθίασις, ab ἔντερον intestinum, et Λιθίασις generatio calculi.

Calculi in ventriculo vel intestinis hominum rarius, in animalibus frequentius, nati; apepsiam, hyperemesiam, dyscoiliam, et tandem ischocoiliam, enteralgiam etc. causantes.

Hic factum notatu dignissimum, a *Fourcroy* detectum, memorare convenit. Calculos equorum aliorumve animalium herbivororum varios analysi chemicæ subjiciens didicit, calculos urinarios horum animalium non, ut in homine, ex urate, phosphate, aut oxalate ammoniacæ, sodæ, calcis, sed ex carbonate calcis compositos esse, dum calculi eorumdem animalium intestinales ex phosphatibus constant; cujus oppositum in homine locum habere videtur.

Calculi sæpe in ventriculo felium, suum, boum reperiuntur. Eos qui in ventriculo antilopum generantur, a Græcis Ægagropilas appellatos (ab ἄιγαγρος antilope *s.* capra fera, et πῖλος globulus) ex radicibus plantarum va-

riarum, præcipue ex Doronico constare, magnasque virtutes medicas possidere vulgo creditum fuit; hodie eosdem maxime ex pilis horum animalium deglutitis et mediante muco in ventriculo in massam globosam compactos esse novimus. Illos qui præcipue ex India orientali apportantur, et in ventriculo aliisve etiam partibus variorum antilopum, forte et aliorum animalium, ibidem reperiuntur, magna virtute medica, præprimis antidota et alexipharmaca, excellere crediti, indeque *Bezoard* appellati, a vocabulo persico *Badzcher* ou *Bazcher*, quod antivenenatum seu venena corrigens aut fugans significat. Hi *Bezoardi* seu calculi intestinales, sæpe ex stratis seu lamellis concentricis compositi, utplurimum ex superphosphate calcis, et phosphate magnesiæ, aut phosphate ammoniaco-magnesiæ constant; quidam, ut supra dixi, ex pilis glutine animali contextis; quidam etiam e bile aut resina constant. Olim pondere auri venditi, hodie apud nos omnimodo et jure negliguntur.

Hisce concretionibus hic adjungo illam peculiarem inflammabilem, quæ in intestinis crassis *Physeteris macrophali* generatur, sæpius in Oceano natans, aut ad littora maris Africani rejecta reperitur, sub nomine *Ambræ*

griseæ vulgo venalis; cujus historiam naturalem dedi in *Philosoph. Transact.* Vol. 73, 1783.

G. CCLVII. SPLANCHNOLITHIASIS.

Gr. Σπλαγχνολιθίασις, a Σπλάγχνος viscus internum corporis, et Λιθιασις generatio calculi.

Calculorum generatio in visceribus, aut glandulis corporis humani.

I. Concretiones calculosæ in pulmonibus repertæ, frequenter ex carbonate et phosphate calcis cum materia animali junctis constant.

Concretiones in hepate ex iisdem principiis.

Concretiones calculosæ, in ovariis vel in utero repertæ, nondum analysi chemica examinatæ fuerunt.

Calculi uteri meminit *Hippocrates* in fœmina sexagenaria, quo exempto a doloribus aliisve symptomatibus convaluit.

II. Concretiones calculosæ in glandula pineali dicta, aliisve partibus cerebri, hactenus examinatæ, ex phosphate calcis constare deprehenduntur.

III. *Calculi Salivares.*

Concretiones calculosæ duræ in glandulis

salivaribus : sublingualibus, submaxillaribus, tonsillis, parotidibus, vel in glandulis gutturis aut bronchiorum natæ, loquelam, masticationem, deglutitionem, et respirationem male afficiunt.

Calculi, præcipue in glandulis sublingualibus et parotidibus occurrentes a skirrho aut carkinomate earumdem glandularum, practico caute distinguendi sunt.

Calculi parotidum et glandularum sublingualium, nec non glandulæ prostatæ hactenus examinati, ex phosphate calcis et pauco albumine coagulato compositos esse discimus.

Concretiones, in vesiculis seminalibus et in glandulis urethræ occurrentes, nondum examini chemico subjectæ fuerunt.

IV. *Concretiones duræ*, sæpe mobiles, ad malleolos vel ad articulos, genuum præprimis, occurrentes, sed quandoque etiam in superficie aut in interstitiis musculorum nati, intensissimos dolores artuum, præcipue in nisu movendi partem affectam, causantes, maxima parte ex albumine inspissato constare videntur, sed analysi chemicæ nondum submissæ fuerunt. Idem de ossificationibus partium mollium, in aliis corporis locis occurrentibus, valet.

V. *Odontolithiasis*, seu concretio calcu-

losa, vulgo sub nomine *Tartari dentium* nota, in multis hominibus maxime ætate provecta locum habet, gingivarum a dentibns separationem et destructionem, odontalgiam, cariem dentium etc. inducens, ex phosphate calcis potissimum e saliva deposito constare videtur.

VI. Cerumen in auribus accumulatum non raro in substantiam duram concrescit, ex iisdem principiis, ac cerumen liquidum compositum, dysœcœam, cophosin et sæpe tinnitum aurium causat. (Vide supra p. 21.)

CL. IV. O. X. DYSOSTOSES,

s. CACHEXIÆ OSSEÆ.

Gr. ΔΥΣΟΣΤΏΣΕΙΣ.

Char. Morbi, seu vitia ossium.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt:

Genus I. OSTEOMALAKIA.
II. OSTEOPSATHYROSIS.
III. EXOSTOSIS.
IV. OSTEOSTEATOMA.
V. OSTEOPHTHORIA.
VI. TEREDON.
VII. OSTEONECROSIS.

OBSERVATIONES GENERALES.

Ossa hominum ac animalium, ut supra, ubi de Cachexiis in genere sermo erat, notavimus, præter pinguedinem seu oleum fixum, magnam quantitatem gelatinæ continent, quæ coctione eorum in aqua obtinetur, et vulgo sub nomine *Glutinis* in commercio occurrit. Ossium substantia in homine pro maxima parte constat phosphate calcis, simulque portione carbonatis calcis; ossa aliorum animalium præterea etiam portionem phosphatis magnesiæ juxta experimenta Vauquelin et Fourcroy continent. — Ossa pinguedine et gelatina decoctione in aqua privata, dein mediante digestione cum acidis, phosphate ac carbonate calcis extracto, relinquunt substantiam albam, mollem, elasticam, cartilagini æmulam, quæ, juxta Hatchett, proprietates albuminis possidet, ac instar albuminis coagulati, cum alcalibus saponem format. Os ex cartilagine, primo oriri videtur, unde ejus mollities; deinde accedente phosphate et carbonate calcis durities, et demum accedente gelatina et pinguedine flexilitas; nam sine his posterioribus ossa fragilia sunt.

CL. IV. O. X. DYSOSTOSES,

s. CACHEXIÆ OSSEÆ.

G. CCLVIII. OSTEOMALAKIA.

Gr. Ὀςεομαλακία, ab ὀςεον os, et μαλακία mollities.

Ossium corporis humani mollities abnormis.

Sp. 1. Osteomalakia *Infantum*.

Morbus infantibus, maxime a periodo dentitionis ad finem anni 2^{di} ætatis, raro tardius, infestus. Atrophia generalis cum voracitate; tumor abdominis; ossium præcipue cylindricorum mollities, incurvatio ac distorsio abnormis, et epiphysium tumor et protuberantia, debilitas generalis ex chylificatione et nutritione, præcipue ossium, vitiata. — Caput magnum, suturæ cranii dehiscentes; frons protuberans, tempora collapsa; ingenium præcox, acutum, (sed accedente hydrokephalo hebetudo); cutis faciei pallida, et instar senis pendula, rugosa; dentitio lenta, difficilis, dentes prorumpentes morbosi, nigrescentes, vacillantes,

tes, brevi decidentes; pectus angustum, sternum protuberans acuminatum, costæ depressæ, earumque extremitates nodosæ; venter tumidus, tensus, prominens; hepar tumens, durum; glandulæ meseraicæ obstructæ, tumentes, duræ (ut extispicia cadaverum docent); musculi præcipue extremitatum graciles, extenuati, flaccidi; cutis pallida, flaccida; articulationes maxime ad carpos et genua solito majores; ossa, præcipue tibiæ, incurvata, distorta; spina dorsi varie incurvata, protuberans, unde gibbositas, lordosis, scoliosis etc. etc. — Musculorum omnium flacciditas et marcor ac inhabilitas ad motum et debilitas generalis. Tandem progressu morbi miseri nec ingredi, nec stare, nec sedere possunt, sed genubus flexis, retractis, recurvis, jacent, et accedente febre hectica ac diarrhœa colliquativa, aut etiam hydrokephalo pereunt; vel ex mala conformatione thoracis dyspnœa, palpitatio cordis, convulsio, syncope, mors. Morbus connatus vel acquisitus, ex phosphate calcis, ossium compagem constituente, soluto et absorpto, absque reparatione jacturæ ejusdem ortus. Ægri hoc morbo laborantes sæpe acidum spirant et vermibus intestinorum laborant. Post mortem corpus flexile; crasis sanguinis vitiata, aquosa, mucosa,

fibrini defectus, pars rubra non concrescens; musculi pallidi, marcidi; ossa mollia, cultro facile scissilia, vel fragilia; hepar ingens, durum; glandulæ meseraicæ infarctæ, duræ. (*)

Syn. Rachitis. *Auct.*
Rhachitis. *Ploucq.*
Innutritio ossium. *Darwin.*
Flexilitas ossium morbosa. } *Auct.*
Incurvatio ——— ——— } *Auct.*
Mollities ——— ——— } *Auct.*
Osteosarcosis.

A. Rickets.
G. Rachitis; enfans noués.
Ge. Doppelte glieder; englische Krankheit.

(*) Morbus hic a duobus sæculis, infantibus maxime infestus, hodie educatione physica præcipue emendata, multo rarior, forsan gradatim evanescens, primo a *Reusner* 1582 in Hollandia distincte notatus; dein accuratius 1648 a *De Boot* in Irlandia sub nomine *Tabis pituitosæ*, et demum 1682, a *Glisson* medico anglo, classice descriptus fuit, qui eundem ab anno 1630 in Anglia occidentali primo observatum fuisse dicit. — Morbum talem, qualem hic delineavi, veteribus incognitum, saltem non descriptum fuisse existimo; nam quæ ex Hippocrate affert D. *Gruner*, certe huc non quadrant; et adhuc minus morbus in scriptis *Hippocratis* sub nomine Avante (ἀυαντη) notatus. Etsi de gibbosis sub variis nominibus jam apud Græcos sermo sit. — *Glisson* et auctores varii eum sub nomine Ra-

Variat pro causa remota:

α. A vitio hæreditario, debilitate connata.
β. A vitiis lactis.
γ. A morbis nutricis.
δ. Ab usu acidorum vel acescentium.
ε. Ab habitatione angusta non probe ventilata, humili, humida; squalore.
ζ. Ab asthenia generali ex morbis prægressis.

Quandoque osteomalakia infantum complicatur:

1. Cum Scrophula.
2. —— Syphilitide.
3. —— Scorbuto.

Sp. 2. Osteomalakia *Adultorum.*

Extenuatio corporis cum mollitie (aut etiam fragilitate) ossium generali, ossibus capitis exceptis, ita ut ægri corpus sustinere nequeant; incurvatis præcipue et varie distortis tibiis, femoribus, spina dorsi, thorace,

chitidis seu morbi spinæ dorsi (a gr. ῥαχις spina dorsi) describunt, sed, ut puto, minus recte; nam morbus, de quo hic agitur, sæpe magno gradu adest, absque ulla spinæ dorsi affectione aut deformitate. — Recentiores plures eum cum syphilitide infantum vel cum scrofula sæpe confundunt, aut ab hisce morbis male derivant.

claviculis, imo etiam ossibus pelvis; unde kyphosis, lordosis etc. — Tussicula sicca; cutis arida; extremitates frigidæ; febris; urina sedimentum copiosum album deponens; respiratio celeris; dyspnœa; palpitatio cordis ad minimum motum; tandem leipothymiæ frequentes, et mors.

Huc pertinent.

Kyphosis (gr. Κύφωσις, s. Κύφωμα, à Κυφόω, curvare).

Kyrtosis (gr. Κύρτωσις, s. Κύρτωμα gibber, gibbositas, a χυρτοιδης gibbosus) gibbositas seu curvatura spinæ dorsi versus exteriora et posteriora.

Lordosis (gr. Λόρδωσις), incurvatio spinæ versus interiora et anteriora.

Scoliosis (gr. Σκολίωσις), spinæ incurvatio ad latus.

Seisis (gr. Σεῖσις), vertebrarum junctura abnormis (*).

(*) Exemplum osteomalakiæ generalis antiquissimum et summe memorabile reperio apud Gschuzium Arabem, a Reiske translatum; ubi de *homine sine ossibus* sermo est. Hæc autem sunt auctoris verba: « Creatus fuit Sathih caro super asserculo (id est, impotens se movere) solebatque suo super schidio portari (id est, e palmarum ramis confecta craticula) quorsum vellet; nam ossa non

G. CCLIX. OSTEOPSATHYROSIS.

Gr. Ὀστεοψαθύρωσις, ab ὀστέον, et ψαθύρωσις, fragilitas.

Ossium fragilitas vitrea vel spongiosa abnormis.

SYN. Friabilitas ossium. } *Auct.*
Fractura spontanea. }

VARIAT pro causa remota :

α. Senilis.
β. Scorbutica.
γ. Syphilitica.
δ. Scrofulosa.
ε. A carie.
ζ. Ab osteophthoria.
η. Ab osteomalakia.

Fragilitas ossium duplex est : 1º *Fragile spongiosum*, dum materia pinguis et glutinosa os-

---

habebat, nisi cranii et cervicis et manus, cætera poterant instar vestis a pedibus inde usque ad claviculas complicari, neque mobile quidquam erat in ipso præter ipsius linguam. » — Dicitur autem fuisse virum maximæ dignitatis et famæ et augurem celebrem, qui sub natale tempus Mohhammadis obiit ; de quo conferri potest vita Mohamm. *Abulfedæ*, p. 2. — Vide REISKE *opuscula medica* ex monumentis Arabum, ex edit. *Gruner*, 8º. Hallæ, 1776.

sium per se, aut ex quacunque causa acri exesa, deficit, os sæpe ad leves motus frangitur. 2° *Fragile vitreum* in ossibus, a fragili spongioso mox dicto diversum, nascitur ex abundantia seu proportione vitiata phosphatis calcis, ossium substantiam primariam constituentis, qua fit, ut impetu fortiore rumpantur potius ossa, quam tantillum cedendo cohæsionem tueantur. Observationes docent, ossa hyeme fragiliora esse; an non potius, quod homines plus hyeme quam alio anni tempore, lapsui expositi sint?

G. CCLX. EXOSTOSIS.

Gr. Ἐξόστωσις ab ἐξ extra et ὀςέον: Os extra prominens.

Periostei, aut ossis ipsius, extuberatio abnormis, plerumque cum dolore plus minusve violento.

SYN. Hyperostosis. } *Auct.*
Periostosis.
Tophi.
Gummi.
Nodi.

A. Exostosis.
G. Exostose.

Ge. Beingewâchs; Knochenauswuchs; Knochengeschwulst.

VARIAT pro causa remota:

α. Traumatica, a contusione aliave vi externa illata.
β. Rheumatica.
γ. Podagrica.
δ. Syphilitica.
ε. Scrofulosa.
ζ. Scorbutica.
η. Steatomatosa.
ϑ. Ab Elephantiasi.
ι. Ab osteomalakia.
κ. Ab osteophthoria.
λ. A carie.

Vide etiam infra O. TUMORES. G. *Osteoncus.*

G. CCLXI. OSTEOSTEATOMA.

Gr. Ὀστεοστεάτωμα, ab οστεον os, et Στέαρ sebum; unde Στεάτωμα, tumor ossis, sebi consistentiam habens.

Tumor supra os ortus, consistentiæ sevi aut lardi, vel etiam substantiæ ossis duræ in massam molliorem informem degeneratio; sine carie, sæpe etiam sine ullo dolore.

Variat pro causa remota:

α. A contusione, fractura, aliave vi externa ossi illata.

β. A laceratione, contusione, phlogosi periostei prægressa.

γ. A metastasi varia.

δ. Ab elephantiasi.

Vide etiam infra O. Tumores G. *Steatoma.*

G. CCLXII. OSTEOPHTHORIA.

Gr. Ὀςεοφθορία, ab ὀςέον, et φθορὰ, corruptio.

Substantiæ internæ reticularis, aut etiam medullæ ossium, præcipue spongiosorum digitorum pedum vel manuum, tarsi, carpi; aut epiphysium ossium cylindricorum, maxime tibiæ, corruptio, cum dolore gravativo et immobilitate articulationis juncta, superficie cutis apparenter sana. Progressu morbi ossis tumor ac dolor continuus, phlogosis et decoloratio partis affectæ; atrophia localis et tandem universalis; tumor gradatim auctus, tandemque ruptus, per plura foraminula saniei exitum præbens. Morbus maxime junioribus,

præcipue scrofulosis infestus, rarius adultis, nisi a carie aut vi externa illata natus.

Syn. Arthrocace.
Pædarthrocace.
Spina ventosa.
Gangræna ossis.
Osteosteatoma.
Cancer ossis.
Degeneratio ossis.
Arthrocele.
Arthropuosis.
} *Auct.*

A. Spina ventosa.
G. Epine venteuse.
Ge. Beinkrebs; Winddorn.
Vide etiam infra *Arthroncus.*

Variat pro causa remota:

α. A contusione, lapsu aliave vi externa illata.
β. A carie.
γ. Ab osteomalakia.
δ. Ab elephantiasi.
ε. Scrofulosa.
ζ. Scorbutica
η. Syphilitica.
ϑ. A psora præpostere suppressa.
ι A metastasi varia, præcipue variolosa.

G. CCLXIII. TEREDON seu CARIES.

Gr. Τερηδών, caries *Lat.*

Substantiæ ossis externæ ac periostei corruptio, qua os fragile et friabile redditur, et specilli investigatione asperum sentitur, sicca, vel humida, tuncque cum ulcere cutis rebelli, et excretione saniei nigricantis, odoris fœtidi peculiaris, juncta.

A. Caries.
G. Carie.
Ge. Beinfrass; Beinfâule.

VARIAT pro causa remota:

α. A vi externa illata: vulnere, contusione, aut fractura ossis.

β. A corpore peregrino impacto.

γ. Ab applicatione acrium, aut spirituosorum.

δ. A phlogosi aut læsione, contusione vel abrasione periostei.

ε. Ab osteomalakia (Rhachitica *Auct.*)

ζ. Ab osteophthoria seu corruptione ossis interna.

η. Ab elephantiasi.

θ. Ab osphytide aut arthrodynia rheumatica prægressa.

ι. Ab artevrysmate, ulcere inveterato, carkinomate vicino.

κ. A vitio corporis syphilitico, scrofuloso, scorbutico.

λ. A metastasi varià.

Sp. 1. Caries *Sicca.*

Ossis corruptio seu mors sine excretione ulla humoris, in qua os denudatum, sæpe album, siccum, et læve apparens, vi vitæ privatum et incapax est cum partibus mollibus vicinis cohærendi; progressu morbi quandoque in cariem humidam abiens.

Sp. 2. Caries *Humida.*

Ossis substantiæ corruptio, cum tumore et dolore partis affectæ. Progressu morbi decoloratio et ulcus partium mollium vicinarum rebelle, fuscum, foraminulis pluribus, saniem acrem nigricantem, summe fœtidam, fundens; aut ulcus apertum tuberculis carnosis fungosis notatum; Os denudatum nigricans aut nigrum: Specilli introductione inæqualitas aut asperitas ossis plerumque evidens.

G. CCLXIV. OSTEONECROSIS.

Gr. Νέκρωσις, mors, et ὀστέον os: Mors ossis.

Ossis, maxime tibiæ, aliquando sine prævio tumore aut fœtore, exsiccatio,

induratio, et nigredo seu mors; non raro cum stupore, vel ardore et immobilitate membri affecti, aut etiam cum ulcere integumentorum rebelli, pluribus foraminulis saniem plorante, juncta.

Syn. Gangræna sicca ossium.
Mors ossium.

A. Dry mortification of the bone.
G. Necrose; gangrene sèche des os.
Ge. Trokner Knochenbrand.

Variat:

α. hæreditaria.
β. Spontanea.
γ. A dialeipyra præpostere suppressa.
δ. Ab erysipelate retrocedente.
ε. Ab arthritide rheumatica.
ζ. A myrmekiasi.
η. A gelu.

(*) Si medulla aut substantia ossis interna ex quacunque causa corrumpitur, circulatio cessat, et os necrosi afficitur; sed eodem tempore motus et quantitas humorum in superficie ossis externa augentur; unde rubor, tumor et sensibilitas periostei, et tandem ejusdem in osseam substantiam conversio, ita ut os mortuum sæpius in hoc novo osse, quasi in arca inclusum, repertum fuerit. Vide Weidman, *Comment. de Necrosi Ossium*. Francofurt. in fol. c. fig. 1793.

CL. V. MORBI TOPICI,

seu LOCALES.

Gr. ΤΟΠΙΚΑῚ ΝΌΣΟΙ.

ORDO I. DYSÆSTHETERIÆ.

II. DYSLALIÆ et DYSPHONIÆ.

III. DYSGENNESIÆ.

IV. EVRYANGEIÆ.

V. STENEANGEIÆ.

VI. ONCOSES.

VII. ECPHYSES.

VIII. ECTOPIÆ.

IX. DIALYSES.

X. AMORPHIÆ.

CL. V. O. I. DYSÆSTHETERIÆ.

Gr. ΔΥΣΑΙΣΘΗΤΗΡΊΑΙ, a δυς vitiose, et αἰσθητήρια sensus externi: Morbi seu vitia sensuum externorum.

CHAR. FUNCTIONES sensuum externorum abnormes; excessu, defectu, aut depravatione peccantes.

GENERA ad hunc Ordinem spectantia sunt:

SECT. I. DYSOPSIÆ.

GENUS I. OXYOPIA.
II. TYPHLOSIS.
III. AMBLYOPIA.
IV. PSEUDOPIA.

SECT. II. DYSECOIÆ.

V. OXYECOIA.
VI. COPHOSIS.
VII. BARYECOIA.
VIII. PSEUDECOIA.

SECT. III. DYSOSPHRESIÆ.

IX. OXYOSPHRESIA.
X. ANOSPHRESIA.
XI. PSEUDOSPHRESIA.

SECT. IV. DYSGEUSIÆ.

XII. OXYGEUSIA.
XIII. AGEUSIA.
XIV. PARAGEUSIA.

SECT. V. DYSHAPHIÆ.

XV. OXYHAPHIA.
XVI. ANHAPHIA.
XVII. PSEUDHAPHIA.

CL. V.

CL. V. O. I. DYSÆSTHETERIÆ.

SECT. I. DYSOPSIÆ.

Gr. Δυσοψίαι, a δὺς male, et ὄψις visus: Visus vitiatus.

Visus excessu, defectu, vel errore peccans.

G. CCLXV. OXYOPIA.

Gr. Ὀξυωπία, ab ὀξὺς acutus, et ὄψις visus: Visus morbose acutus.

Lucis intolerantia, seu sensibilitas oculorum tanta, ut lucem quamcunque etiam modicam nullo modo vel ægre ferant; hinc luce debiliore quidem videant, sed minime fortiore. (*)

(*) Hic morbus a quibusdam etiam satis bene *Photophobia* (Gr. φωτοφωβία a φωτος lumen, et φωβεω timeo) appellatur. Amblyopia meridiana, de qua infra egi, etiam jure huc pertinet. — Sensatio ingrata aut dolorifica à lumine nimis forti, transitoria, morbus non est.

Variat pro causa remota:

α. A vitio oculorum peculiari connato, præprimis in subjectis, vulgo *Albinos* dictis.

β. Ab ophthalmitide.

γ. A nimia sensibilitate nervi optici, ex quacunque causa orta.

δ. A pupillæ irritabilitate nimia.

ε. A pupillæ inirritabilitate aut immobilitate.

ζ. A vulnere, contusione, ulcere etc. oculi.

η. Ab operatione cataractæ, præcipue extractione ejusdem, prægressa.

ϑ. A desuetudine lucis.

ι. A nimia sensibilitate corporis, ex jactura virium generali inducta.

κ. A concussione aliisve vitiis variis cerebri.

λ. A congestione sanguinis versus caput.

μ. Ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis.

ν. A morbis cutis, præcipue achore, tinea etc. præpostere suppressis.

ξ. A blennorrhagia syphylitica genitalium incaute suppressa.

ο. A saburra primarum viarum.

π. Ab hyperkinesia.

ρ. A pyrexiis variis.

G. CCLXVI. TYPHLOSIS.

Gr. Τύφλωσις cæcitas, a τυφλὸς cæcus.

Visus impeditus vel abolitus.

A. Blindness.
G. Cécité, aveuglement.
Ge. Blindheit.

Sp. 1. Typhlosis *Nevrica* (Amaurosis).
Gr. Ἀμαύρωσις, ab ἀμαυρὸς obscurus.

Syn. Gutta serena. *Arabum.*

A. Amaurosis; Decay, or loss of sight.
G. Goutte sereine.
Ge. Schwarzer Staar.

Visus defectus, vel abolitio, sæpe sine vitio oculi externe apparente; plerumque tamen simul pupillæ dilatatio (*), vel etiam contractio abnormis; clausis palpebris, dein subito apertis, ex luce admissa pupillæ apparenter sanæ immobilitas. Morbus ab anæsthesia aut paralysi nervi optici; vel etiam ab anerethisia aut paralysi processuum ciliarium pupillæ oriundus.

(*) Pupillæ dilatatio abnormis Græcis Mydriasis (Μυδρίασις seu πλατυκορία) audit.

SUBSPECIES AMAUROSIS sunt:

1. AMAUROSIS *Eclytica*.

A debilitate aut paralysi nervi optici, vel pupillæ oculi, aut ab asthenia corporis generali oriunda.

VARIAT pro causa remota:

α. Ex inedia, labore nimio.
β. Ex intensione nimia oculorum.
γ. Ab evacuationibus sanguineis, aut mucosis profusis.
δ. Ab excessu veneris, anaphlasis, aselgotripsiæ.
ε. A spermacrasia.
ζ. Ab atrophia nervorum opticorum, præcipue in senio.
η. A kephalæa aliisve vitiis cerebri prægressis.

2. AMAUROSIS *Spasmodica*.

3. AMAUROSIS *Traumatica*.

VARIAT pro causa remota:

α. A læsione, vulnere aut concussione cerebri vel nervorum opticorum.
β. A fractura, fissura, contusione ossium cranii.

γ. A compressione nervi optici, ex sanguine, pure, aquā extravasatis, aut ex tumore vicino, exostosi etc.

4. Amaurosis *Plethorica.*

Variat pro causa remota:

α. A plethora generali.

β. A congestione sanguinis versus caput:

1. Ex studiis nimiis.
2. Ex emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.
3. Ex menstruorum vel hæmorrhoidum suppressione.

5. Amaurosis *Metastatica.*

Variat pro causa remota:

α. A variola, rubeola etc.

β. A tinea, achore, ulcere, psora, herpete etc. vel a fonticulo, aut sudore topico præpostere siccatis.

γ. Ab arthritide podagrica vel rheumatica, aut ab erysipelate retrocedente.

δ. A podagra aberrante.

ε. A viru syphilitico oculos occupante.

ζ. A blennorrhagia syphilitica genitalium suppressa.

6. Amaurosis *Venenata.*

A veneno ingesto vel oculis applicato.

Variat pro causa remota:

α. A venenis assumptis, præcipue narcoticis: datura-stramonio, atropa-belladonna etc.

β. Ab effluviis nocturnis, præcipue in locis maritimis, paludosis.

γ. A vaporibus venenatis variis.

7. Amaurosis *Periodica.*

8. Amaurosis *Sympathica.*

Variat pro causa remota:

α. A saburra primarum viarum.

β. A vermibus in ventriculo vel intestinis nidulantibus.

γ. A vitio sinuum frontalium.

Sp. 2. Typhlosis *Substantiæ vitreæ* (Glaucoma).

Gr. Γλαύκωμα, s. Γλαύκωσις *Hipp.* (*), a Γλαυκὸς subcæruleus, viridescens.

(*) Hippocrates aliique veteres, ex defectu cognitionis anatomicæ, Glaucoma cum cataracta confundunt, et pro uno eodemque morbo habent. Sed sedes morbi et color glaucus oculi, e corpore vitreo oculi vitiato oriundi, glaucoma a cataracta probe distinguunt.

Visus defectus, ex viridescente aut cærulescente, hinc minus transparente, corpore vitreo oculi.

SYN. Glaucedo. } *Auct.*
Glaucosis. }

VARIAT fere ut Amaurosis.

Sp. 3. Typhlosis *Lentis* (CATARACTA).

Gr. Καταῤῥάκτης, a καταράσσω confundere.

Visus defectus, seu confusio, ex opacitate lentis crystallinæ aut capsulæ ejusdem completa vel incompleta; aut ex humore lenti circumfuso, turbido oriunda; hinc color pupillæ cinereus, albicans.

SYN. Hypochyma *s.* Hypochysis (Ὑπόχυμα, seu ὑπόχυσις. *GAL.*)
Suffusio. *Lat.*
Cataracta. } *Auct.*
Cataracta lentis. }
——— membranacea. }

A. A Cataract.
G. Cataracte.
Ge. Grauer Staar.

VARIAT fere ut AMAUROSIS.

Sp. 4. Typhlosis *Cameræ oculi* (Hypopium).

Gr. Ὑπώπιον.

Cæcitas seu visus defectus, ex collectione puris aut materiæ puriformis in cavo seu camera oculi, anteriore vel posteriore, vel ex opacitate humoris aquei oriunda.

Variat:

α. Ab ophthalmitide prægressa.
β. A blennorrhagia syphilitica genitalium, præpostere suppressa.
γ. A variola.
δ. Ab arthritide rheumatica retrocedente.

Sp. 5. Typhlosis *Bulbi.*

Visus defectus, ex vitio bulbi oculi.

Variat pro causa remota:

α. Ab atrophia oculi.
β. Ab hydrope, aliove tumore oculi.
γ. A contusione, ictu, ecchymosi oculi.
δ. Ab ulcere aut carkinomate oculi.
ε. A staphylomate seu protuberantia corneæ.
ζ. Ab imperforatione pupillæ.
η. A concretione uveæ cum capsula lentis vel cum cornea (Συνισεσις *Græc.*).

ϑ. A constrictione pupillæ.
ι. A prolapsu uveæ, vel lentis.
κ. A prolapsu oculi.
λ. Ab inflammatione aut suppuratione capsulæ lentis.

Sp. 6. Typhlosis *Corneæ* (LEUCOMA).

Gr. Λεύκωμα s. Λευκὸς albus. *Lat.*

Visus defectus ex macula, opacitate, excrescentia, ulcere, aliisve vitiis corneæ transparentis.

SYN. Pannus. *Celsi.*
Albugo. *Auct.*
Pterygium (Gr. Πτερύγιον).
Macula corneæ. (*Gr.* Νεφέλιον s. Ἀχλύς).
Caligo corneæ. *Cull.*

VARIAT pro causa remota :

α. A variola prægressa.
β. Ab ophthalmitide violenta prægressa.
γ. A viru syphilitico oculo infantis, sub ejus per vaginam transitu in partu, applicato.
δ. Ab humore aut pure inter laminas corneæ effuso.
ε. A staphylomate.

Sp. 7. Typhlosis *Palpebrarum* (Ankyloblepharon).

Gr. Ἀγκυλοβλέφαρον, ab Ἀγκύλη, junctio *s.* concretio, et βλέφαρον palpebra.

Cæcitas a concretione palpebræ superioris cum inferiore, vel palpebrarum cum bulbo oculi. Vitium connatum vel acquisitum.

G. CCLXVII. AMBLYOPIA.

Gr. Ἀμβλυωπία *s.* Ἀμβλυωγμὸς, ab ἀμβλὺς hebes, et οψις visus: Visus hebes (*).

Visus hebetudo seu debilitas.

A. Dimness of Sight; dull sight.
G. Foiblesse de vue.
Ge. Blödes Gesicht; Gesichtsblödigkeit.

Amblyopia a Typhlosi nonnisi gradu differt; hinc *Species* et *Varietates* ejus eædem sunt ac Typhlosis.

Sp. 1. Amblyopia *Nevrica.*

Ab anæsthesia universali corporis, vel a debilitate aut vitio quocunque nervi optici,

---

(*) Amblyopia veteribus idem fere morbus est ac Amaurosis et Mydriasis. *Paulus Aegineta* et *Actuarius* sub nomine Amblyopiæ Cataractam intelligunt. Ego hic *Amblyopiam* in stricto sensu vocabuli assumpsi.

vel fibrarum motricium pupillæ oriunda. Vide *Amaurosis*, ejusque Subspecies et varietates.

Sp. 2. AMBLYOPIA *Vitrei.*

A vitio aut opacitate corporis vitrei oculi. Vide *Glaucoma.*

Sp. 3. AMBLYOPIA *Lentis.*

Ex vitio aut opacitate lentis incipiente. Vide *Cataracta.*

Sp. 4. AMBLYOPIA *Humoris aquei.*

A defectu, spissitudine aut obscuritate humoris aquei, ex sanguine, lacte, pure etc. in cameram oculi anteriorem effusis.

Sp. 5. AMBLYOPIA *Corneæ.*

Ex macula, albugine, cicatrice, hypersarcosi, pustula, ulcusculo, inflammatione, corneam transparentem pro parte obscurante, aut etiam a corrugatione, vel a protuberantia corneæ abnormi seu staphylomate. (Gr. *Σταφύλωμα*).

Sp. 6. AMBLYOPIA *Bulbi.*

A vitiis bulbi.

Sp. 7. AMBLYOPIA *Palpebrarum.*

A vitio palpebrarum oriunda.

Variat pro causa remota :

α. A blepharitide seu inflammatione acuta vel chronica palpebrarum.

β. A lippitudine.

γ. A paralysi vel a discissione levatoris palpebræ superioris. (Gr. πτωσις).

δ. Ab erosione aut ulcere palpebrarum.

ε. A contusione, ecchymosi, aut tumore quocunque, vel excrescentia palpebrarum.

ζ. A ciliorum inversione (Τριχίασις Græc.)

η. Ab hordeolo, phymate, phlyctæna palpebrarum.

ϑ. A tumore, ulcere, fistula, carkinomate carunculæ lacrymalis.

ι. Ab obstructione ductuum lacrymalium.

Ad Amblyopiam etiam proprie referri possunt :

Sp. 8. AMBLYOPIA *Crepuscularis.*

Visus difficilis aut confusus in crepusculo, aut luce debili : ægri objecta in tenebris male, et nonnisi de die aut luce plena bene distinguunt.

SYN. Hemeralopia (Græc. Ἡμεραλωπία, ab ἡμέρα dies, et ὄψις visus) : Visus diurnus.
Nyctalopia *Modernorum.*
Dysopia tenebrarum. *Cullen.*

A. Blindness in the night.
G. Héméralopie.
Ge. Nachtblindheit.

Variat pro causa remota :

α. Ab anæsthesia nervi optici.
β. Ab hyperethisia pupillæ.
γ. Ab effluviis paludosis aut maritimis nocturnis, præcipue regionum meridionalium.
δ. A vitiis corneæ, lentis, vel corporis vitrei.

Sp. 9. Amblyopia *Meridiana.*

Visus difficilis aut turbatus in plena luce, ita ut æger objecta de die vix aut male videat, sed vespere aut noctu eadem clare distinguat.

Syn. Nyctalopia (Gr. Νυκταλωπία, a νὺξ nox, et ὄψις visus) : Visus nocturnus.
Hemeralopia *Modernorum.*
Dysopia luminis. *Cull.*

A. Blindness in the day.
G. Nyctalopie ; vue de hihou ou de chat.
Ge. Tagblindheit.

Variat pro causa remota :

α. Ab hyperæsthesia nervi optici.
β. Ab anerethisia pupillæ.
γ. A nimia irritabilitate seu contractione spasmodica pupillæ.

δ. Ab ophthalmitide.
ε. Ab ophthalmodynia. Vide etiam *Oxyopia*.

Sp. 10. Amblyopia *Dissitorum* (Myopia).

Visio objectorum distantium confusa, difficilis; sed objectorum proximorum distincta.

Syn. Myopia (gr. Μυωπία a μύω claudo, et ὄψ oculus).
Myopiasis.
Myopes.
Visus juniorum.

A. Short Sight.
G. Vue courte; Myopie.
Ge. Kurzsichtigkeit; kurzes Gesicht.

Hoc vitio laborantes dum objectum attente videre desiderant, palpebras in genere contrahunt et oculos fere claudunt, ac objectum oculis appropinquant; nec legere nec distincte videre possunt objecta dissita sine vitris concavis, ob corneam transparentem aut lentem crystallinam nimis convexam.

Sp. 11. Amblyopia *Proximorum* (Presbyopia).

Visio objectorum proximorum difficilis, confusa; remotorum vero distincta.

Syn. Presbyopia s. Presbytia, Gr. Πρεσβυωπίαι, a πρέσβυς senex, et ὄψις visus: Visus senum.

A. Long Sight.
G. Vue longue.
Ge. Fernsichtigkeit.

Hoc vitio laborantes, dum objectum distincte videre capiunt, idem ab oculis ad quamdam distantiam (in genere ultra octo pollices) removent, et objecta dissita distincte vident. Myopes luce exigua; presbyopes e contra, ut distincte videant objectum, magna luce indigent, ob vitium oculi prioribus contrarium, videlicet ob corneam, aut lentem planiorem vel bulbum oculi minus convexum. Hinc ut objecta propinqua, præcipue minutiora, distincte videant, vitris primo planis, dein gradatim convexis opus habent.

Sp. 12. AMBLYOPIA *Luscorum* (STRABISMUS) (*).

Gr. Στραβισμὸς luscitas.

Visio objectorum directe oculis oppositorum confusa aut impedita, sed objectorum

(*) *Sauvages* Strabismum ad spasmos tonicos; *Cullen* eundem ad dyscinesias locales, refert, et ambo strabismum ut genus a dysopia luscorum distinctum, considerant. — Hoc vitio laborantes oculorum axes opticos divergentes, hinc oculum alterutrum vel utrumque contortum habent. In praxi luscitas cum strabismo vulgo confunditur; at strabismo affecti uno oculo vident distincte ob-

oblique aut lateraliter oblatorum distincta; oculis ipsis distortis aut inæqualiter motis, distorsione varia, introrsum, extrorsum, sursum, vel deorsum, unius vel utriusque oculi.

SYN. Amblyopia luscorum. *S.*
Strabismus, *s.* strabositas. *Auct.*
Lusciositas. *s.* Luscitas. *Boerhave.*
Dysopia lateralis. *Cull.*

A. Squinting.
G. Vue louche.
Ge. Schielen.

VARIAT pro causa remota:

α. A mala consuetudine, infantes in lecto lateraliter luci exponendi.

β. Ab educationis neglectu.

γ. A spasmo vel a contractura musculorum oculi.

δ. A paralysi unius vel alterius musculi oculorum.

ε. A læsione nervi optici in uno oculo.

---

jectum e directo oculis oblatum; lusci vero ut distinctius videant, objectum ipsum aut faciem et oculum ad alterutrum latus inclinant. Sed cum ambo vitia ab eadem causa oriantur, *Viz.* a contractione abnormi musculorum oculi unius vel utriusque, eademque methodo curentur, ea sejungere inutile censui.

ζ. A

ζ. A musculorum unius oculi læsione: ex vulnere, contusione, ulcere, pressione, contractione, adhæsione, ita ut ambo oculi æquabiliter dirigi nequeant.

η. A vitiis cerebri.

θ. A consuetudine, oblique aut uno tantum oculo videndi.

ι. A mala conformatione corneæ, pro parte opacæ.

κ. A situ lentis obliquo.

λ. Ab actione fibrarum motricium pupillæ, seu processuum ciliarium inæquali.

G. CCLXVIII. PSEUDOPIA.

Gr. Ψευδωπία, a ψευδὴς falsus *s.* erroneus et ὄψις visus.

Visus falsus seu erroneus, in quo æger objecta quasi oculis obversantia videre credit, quæ externe non existunt; aut eadem aliter videt, quam revera sunt. Morbus ex situ oculi peculiari oriundus, permanens vel transitorius.

Syn. Pseudoblepsis. *Cull.*
Phantasma. *L.* et *V.*

Ge. Gesichtstäuschung.

Variat sede ex vitio hærente :

1. In nervo optico.
2. In corpore vitreo.
3. In lente crystallina.
4. In humore aqueo.
5. In uvea vel in cornea transparente.
6. In musculis oculi.

Sp. 1. *Pseudopia phantastica.*

In qua æger oculis externe obversari credit objecta varia, ut muscas, scintillas, maculas aut colores varios etc. quæ eodem tempore ante oculos non existunt.

Syn. Pseudoblepsis imaginaria. *Cull.*
Suffusio. *Lat. et S.*
Hypochyma (Ὑπόχυμα Gr.).
Gall. La Berlue.

Sp. 2. *Pseudopia mutans.*

In qua objecta ante oculos præsentia aliter videntur, quam revera sunt.

Syn. Pseudoblepsis mutans. *Cull.*
Suffusio metamorphosis. *S.*
——— nutans. *S.*
——— objecta dimidians. *S.*

Sp. 3. *Pseudopia multiplicans.*

In qua objectum externum quodcunque duplex vel multoties repetitum apparet. Morbus a discrepantia axium nervorum opticorum, vel ab inæqualitate superficiei corneæ oriundus.

Syn. Suffusio multiplicans. *S.*
Diplopia. *S.*
Dysopia. *V.*
Polyopia.

Hæ Species *variant pro causa remota :*

α. A spasmo aut contractione inæquali musculorum oculi.

β. A debilitate aut paralysi nervorum opticorum.

γ. A staphylomate.

δ. A contusione.

ε. A terrore.

ζ. A temulentia.

η. A venenis, præcipue narcoticis.

ϑ. Ab ophthalmitide, nimia intensione visus, ophthalmodynia, aliisve vitiis oculorum. (Vide *Amblyopia*).

ι. Ab hyperkinesia.

κ. A contusione, aliisve vitiis cerebri.

λ. A vitiis gastricis.

μ. A fluxu hæmorrhoidum aut menstruorum suppresso.

ν. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.

ξ. A paracope; aut a mania instante.

ο. A pyrexiis variis.

π. Ab hæmorrhagia narium instante.

SECT. II. DYSECOIA.

Gr. Δυσηκοΐαι, a δὺς male et a ἀκοὴ auditus: Auditus vitiatus.

Auditus excessu, defectu, vel errore peccans.

G. CCLXIX. OXYECOIA.

Gr. Ὀξυηκοΐα, ab οξὺς acutus, et ἀκοὴ auditus: Soni intolerentia seu Auditus justo acutior.

Auditus nimia sensilitas, quæ vel levissimos sonos, aut sonos aliis imperceptibiles vix fere queat, quin dysphoria, dolor, convulsio, delirium, aut animi deliquium oriatur.

Syn. Paracusis oxycoïa. *S.*

A. Idiopathica.

Variat pro causa remota:

α. A nimia tensione, aut hyperæsthesia nervi acustici.

β. A siccitate membranarum, aliarumve partium mollium auris.

γ. Ab otitide, otalgia, otorrhœa.

B. Symptomatica.

Variat:

α. A vitiis variis cerebri.
β. Ab enkephalitide, kephalalgia.
γ. A mania, athymia, vel paracope.
δ. Ab odontalgia, aut prosopalgia.
ε. Ab hyperkinesia.
ζ. A pyrexiis variis.
η. A metastasi aut diadexi varia.

G. CCLXX. COPHOSIS.

Gr. Κώφωσις, a κωφός surdus et mutus.

Surditas, seu auditus defectus. Vitium sæpe connatum, tuncque semper cum mutitate junctum.

A. Deafness; deaf et dumb.
G. Surdité; sourd et muet.
Ge. Taubheit; stumm und taub; Gehörlosigkeit:

A. *Connata.*

Variat pro causa remota:

α. Ab atresia seu imperforatione meatus auditorii:

1. Ex membrana orificium meatus auditorii claudente.
2. Ex concretione meatus ipsius.

β. Ab auriculæ defectu.

γ. A defectu, concretione aut stenosi tubarum Eustachii.

δ. A defectu, læsione, fractura, carie, tumore, aut concretione ossium auris.

ε. A defectu, læsione, destructione, compressione aut concretione partium mollium organi auditus.

ζ. A læsione, compressione, atrophia, aut paralysi nervi acustici.

B. *Acquisita:*

In prima juventute, antequam organum loquelæ evolutum est.

Variat pro causa remota:

α. A læsione, aut destructione ossium vel partium mollium auris.

β. A læsione, compressione aut paralysi nervi acustici ante ejus ingressum in aurem.

γ. A fulmine, tonitru aut sono violento.

δ. A vitiis variis cerebri.

ε. A metastasi.

G. CCLXXI. BARYECOIA.

Gr. Βαρυηκοΐα, a βαρὺς gravis, et ἀκοὴ auditus: gravitas auditus.

Auditus difficultas ob sonorum obscuritatem.

Syn. Subsurditas. *Lat.*

A. Difficulty of hearing; half deaf.
G. Ouïe dure; dureté d'oreille.
Ge. Schweres gehör.

A. Idiopathica.

A vitio organi auditus in aure una vel utraque oriunda.

1. *A vitio auris externæ.*

Variat pro causa remota:

α. A defectu auris externæ.

β. Ab tumoribus, in aure externa.

γ. Ab inflammatione, suppuratione aut ulcere ejusdem.

δ. A stenosi seu obstructione meatus auditorii:

1. A cerumine accumulato.
2. A cerumine concreto.
3. Ab apostemate, pure, ichore.
4. A polypo, phymate, fungo etc.
5. A corporibus extraneis illapsis, au tintrusis, vel à vermibus aut insectis irrepentibus.

ε. Ab ariditate, aut defectu secretionis ceruminis.

2. *A vitiis tympani et ejus ossiculorum.*

Variat pro causa remota:

α. A læsione vel ruptura tympani aut ossiculorum ejusdem : ex nisu violento, sternutatione, vomitu, partu.
β. A luxatione, carie, concretione, immobilitate, dissolutione aut absentia ossiculorum tympani.
γ. A musculorum ossiculorum auris paralysi.
δ. A membranæ tympani relaxatione, rigiditate, callositate, ossescentia.
ε. Ab eadem sordibus obsessa.
ζ. Ab excrescentia carnosa ejusdem.
η A ruptura, aut erosione ejusdem.

3. *A vitiis auris internæ.*

Variat:

α. Ab inflammatione, aut apostemate in cavo tympani.

β. A cavea tympani, sanguine, pure, ichore, sero, pituita, aut aqua repleta.

γ. A defectu, aut conformatione perversa, læsione, infarctu aliisve vitiis vestibuli, cochleæ, labyrinthi, aliarumve partium auris internæ.

δ. A læsione, fractura, tumore ossium auris.

ε. A læsione, compressione, debilitate aut atrophia nervi auditorii.

ζ. A membranæ, per aurem internam expansæ, laxitate, siccitate, inflammatione, induratione, degeneratione, destructione.

η. A nervis auris compressis, marcidis, paralyticis, rigidis, destructis.

4. *A vitiis tubarum Eustachii.*

Variat:

α. A defectu tubarum.

β. A stenosi earundem.

γ. Ab erosione, compressione aut concretione tubarum, vel orificiorum tubarum in faucibus.

Sp. 1. Baryecoïa *Rheumatica.*

Variat :

α. A refrigerio corporis generali.
β. A refrigerio capitis vel auris.
γ. A lotione aut immersione capitis in frigidam.

Sp. 2. Baryecoïa *Metastatica.*

Variat pro causa remota :

α. A febre prægressa.
β. A viru syphilitico, tubas Eustachii vel ossa capitis afficiente.
γ. A blennorrhagia syphilitica genitalium suppressa.
δ. Ab exsudatione retro aures, aut ab otorrhœa suppressa.
ε. A materia variolosa, rubeolosa, erysipelate, rheumate, podagra aberrante.
ζ Ab herpete, psora, tinea, achoribus male suppressis.
η. Ab ulcere, fonticulo, sudore pedum vel manuum aut axillarum præpostere siccatis.
ϑ. A trichomate resecto ?

II. Symptomatica.

Variat :

α. A febre, enkephalitide, paracope etc.
β. Ab apoplexia, epilepsia, kephalalgia.

γ. A vulnere, contusione, concussione capitis.
δ. A fractura, aut fissura ossium capitis.
ε. A sanguine, sero, pure in cavo cranii extravasato.
ζ. Ab hydrokephalo.
η. A congestione sanguinis vel seri in capite.
ϑ. A tumoribus ossium capitis vel partium mollium cerebri, nervum auditorium vel vasa in cavo cranii ante eorum ingressum in aurem comprimentibus.
ι. Ab hæmorrhagia narium instante.
κ. A polypo narium.
λ. A tumore parotidum.
μ. A vitio dentium.
ν. Ab exostosi aut carie ossium cranii.
ξ. A plethora.
ο. Ab evacuationibus sanguinis nimiis.
π. Ab excessu veneris, aselgotripsiæ, anaphlasis.
ρ. Ab asthenia corporis universali, ex morbis acutis vel chronicis.

G. CCLXXII. PSEUDECOIA.

Gr. Ψευδηκοΐα, a ψευδὴς erroneus et ἀκοή, auditus.

Auditus erroneus seu depravatus, cum perceptione tinnitus, susurri,

strepitus, aut echo in aure una vel utraque, transitorius vel permanens.

Syn. Paracoïa (Παρακοια. *Hipp.*)
Paracusis (παρακουσις gr.)
Phthongodysphoria. *Ploucq.*
Paracusis duplicata. *S.*
Paracusis imaginaria. *Cull.*
Syrigmus *s.* (gr. Συριγμος).
Syringmos. *L.*

A. Noise in the ear; ringing in the ear; False, or faulty hearing.

G. Tintouin, sifflement, brouissement des oreilles; fausse ouïe.

Ge. Ohrensingen; Ohrensausen; Gehörtäuschung.

I. Idiopathica.

Variat pro causa remota:

α. A nervis auditoriis varie affectis, compressis, irritatis.

β. A relaxatione aut tensione abnormi partium ad organum auditus pertinentium.

γ. A plenitudine, obstructione, compressione, inflammatione vasorum auris.

δ. A congestione sanguinis in capite, præcipue in pyrexiis variis, enkephalitide, parotitide.

ε. A vermibus aut insectis in aurem irrepentibus.

ζ. A perspiratione auris externæ suppressa.

η. A vitiis tubæ Eustachii unius vel utriusque, erosione, obstructione etc.

II. Symptomatica.

Variat:

α. A pyrexiis variis, præcipue enkephalitide, parotitide, isthmitide etc.

β. Ab hæmorrhagia narium instante.

γ. A congestione sanguinis versus caput, ex infarctu vasorum aut viscerum abdominalium, vel ex evacuationibus sanguineis, aut mucosis consuetis suppressis.

δ. Metastatica: a metastasi febrili, lactea, herpetica, syphilitica etc.

ε. Catharrhalis, rheumatica.

ζ. Ab hyperkinesia, mania, athymia, paracope.

η. A vitiis cerebri: cataphora, epilepsia, kephalalgia, vertigine, etc.

ϑ. A vitiis gastricis (gastrica).

ι. A keneangeia, seu evacuationibus sanguinis nimiis.

SECT. III. DYSOSPHRESIÆ.

Gr. Δυσοσφρησίαι, a δὺς male et ὄσφρησις olfactus : Olfactus vitiatus.

Olfactus excessu, defectu, vel errore peccans.

G. CCLXXIII. OXYOSPHRESIA.

Gr. Ὀξυοσφρησία, ab ὀξὺς acutus et ὄσφρησις olfactus.

Olfactus nimis acutus, ita ut odorifera ad solito majorem distantiam, aut longe fortius percipiantur; hinc quandoque dysphoria, ptarmus, convulsiones, vel etiam animi deliquia.

I. Idiopathica.

Variat pro causa remota :

α. Ab excoratione membranæ mucosæ narium.

β. A nimia ejusdem tensione.

γ. Ab hyperæsthesia generali, vel topica nervorum olfactoriorum.

II. Symptomatica.

Variat :

α. Ab inflammatione aliisve vitiis cerebri.

β. A paracope, mania.
γ. Ab hyperkinesia.
δ. Ab hydrophobia.

G. CCLXXIV. ANOSPHRESIA.

Gr. Ἀνοσφρησία, ab αν neg. et ὄσφρησις odoratus : Odoratus defectus.

Odoratus seu Olfactus imminutus vel abolitus.

Syn. Anosmia. *Auct.*

A. Loss of smelling.
G. Perte d'odorat.
Ge. Geruchlosigkeit ; mangel des geruchs.

Variat pro causa remota :

α. Ab anæsthesia , atrophia, aut paralysi nervorum olfactoriorum.
β. A gravedine.
γ. A muci nimia abundantia, aut crassitie.
δ. Ab heterogeneis in nasum admissis aut intrusis : capillis , pisis , gypso etc.
ε. A vermibus aliisve sordibus narium.
ζ. A polypo narium.
η. Ab ozæna.
ϑ. A skirrho aut carkinomate nasi.
κ. Ab exostosi , aut carie ossium nasi , vel maxillæ superioris.

ι. A vulnere, contusione.

λ. A callositate membranæ pituitariæ.

μ. A siccitate narium seu muci defectu.

ν. Ab atresia seu alarum nasi concretione.

ξ. A stenosi narium.

ο. A vitiis cerebri: apoplexia, epilepsia, catalepsi etc.

G. CCLXXV. PSEUDOSPHRESIA.

Gr. Ψευδοσφρησία, a ψευδής falsus, erroneus, et ὄσφρησις olfactus: Olfactus erroneus.

Perceptio odoris in naribus sine effluviis odoriferis externe applicatis; aut perceptio odoris alieni ab eo, quem substantiæ odoriferæ actu exhalant.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab ulcere, carkinomate, aut polypo narium.

β. Ab ozæna, vel carie ossium aut sinus maxillaris.

γ. A vitiis oris vel dentium.

δ. A vitiis faucium vel gutturis.

ε. Ab ulcere, aliisve vitiis pulmonum.

ζ. A vitiis ventriculi variis.

η. A muco, saliva, pure, ichore, sordibus corruptis, putridis etc. in cavernis narium, ore,

ore, dentibus, gingivis, lingua, faucibus, œsophago, trachea, pulmonibus, stagnantibus aut hærentibus.

ϑ. A vaporibus aut gazibus mephiticis variis e ventriculo in nares ascendentibus, nidorosis, putridis etc.

ι. A vitiis sensorii communis variis.

SECT. IV. DYSGEUSIÆ.

Gr. Δυσγευσίαι, a δὺς male et Γεῦσις gustus: Gustus vitiatus.

Sensus gustus excessu, defectu, aut errore peccans.

G. CCLXXVI. OXYGEUSIA.

Gr. Ὀξυγευσία, ab ὀξὺς acutus et Γεῦσις gustus.

Sensus gustus justo acutior.

G. CCLXXVII. AGEUSIA.

Gr. Ἀγευσία, ab α neg. et Γεῦσις gustus.

Gustus imminutus vel abolitus; seu perceptionis saporis in lingua, principali gustus instrumento, amissio.

Syn. Agheustia. *S. L. C.*
Ageustia. *Ploucq.*

A. Defect or loss of taste.

G. Défaut ou perte du goût.

Ge. Geschmaklosigkeit ; Mangel des geschmaks.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab anæsthesia aut paralysi nervorum gustus.

β. A læsione linguæ.

γ. A sordibus, muco, crusta, linguam obducentibus.

δ. A callositate linguæ, vel palati.

ε. A siccitate oris, vel a defectu aut vitiosa qualitate salivæ, aut muci oris.

ζ. Ab aphthis.

η. A vitiis cerebri.

θ. Ab anorexia, apositia.

ι. A pyrexiis variis.

G. CCLXXVIII. PARAGEUSIA.

Gr. Παραγευσια, a παρα prave *s.* perverse, et Γεῦσις gustus : Gustus depravatus.

Perceptio saporis in lingua a vero et solito alieni : Salsi, amari, acidi, dulcis, rancidi, metallici, æruginosi, urinosi, putridi, cadaverosi, quo imbuta esse videntur quæcunque saporata ore as-

sumpta; vel etiam saporis cujuscunque in ore perceptio absque ullo saporato linguæ applicato.

SYN. Apogeusia. *V.*
Parageusthia. *Ploucq.*

I. IDIOPATHICA.

VARIAT pro causa remota :

α. A vitio salivæ aut muci oris et faucium.
β. Ab ulcere vel carkinomate linguæ.
γ. A sordibus, aphthis, crustis, ulceribus oris, linguæ, gingivarum, palati, maxillarum, narium, faucium, œsophagi.
δ. A vitiis dentium.
ε. A vitio quocunque noni paris nervorum.

II. SYMPTOMATICA.

VARIAT :

α. A saburra acida, putrida, biliosa, rancida, salsa etc. ventriculi.
β. A dyspepsia.
γ. A vitio cerebri, aut perturbationc sensorii communis in delirio, mania etc.
δ. A pyrexiis variis.
ε. Ab hyperkinesia.
ζ. Ab helminthiasi.
η. A vitiis pulmonum.
ϑ. A dysosphresia varia.

SECT. V. DYSHAPHIÆ s. DYSAPSIÆ.

Gr. Δυσαφίαι s. Δυσαψίαι, a δὺς vitiose, et Ἁφὴ tactus: Tactus vitiatus.

Sensus tactus abnormis: Excessu, defectu, vel errore peccans.

Tactus præ reliquis sensibus latissime per corpus diffusus, non solum comprehendit tactum proprie sic dictum, quo objecta externa, mollia vel dura, aspera vel lævia, calida vel frigida, humida vel sicca, variæ figuræ, latitudinis et distantiæ nervis digitorum vel superficiei cutis applicata percipimus, sed etiam sensationes in internis corporis partibus a variis causis excitatas includit; quæ perceptiones gratæ vel molestæ, ad sensorium commune propagatæ, ideam titillationis, voluptatis, dysphoriæ, alysmi, vel torporem, inquietem, cnesmum, aut dolorem generant.

Vide etiam vol. I., p. 280 et seq. DYSAESTHESIAE.

G. CCLXXIX. OXYHAPHIA.

Gr. Ὀξυαφία, ab ὀξὺς acutus et Ἁφὴ tactus: Tactus justo acutior.

Tactus ultra modum acutus, ita ut objecta, extremitatibus nervorum in su-

perficie externa vel interna corporis oblata, sensationem molestam dysphoriæ, alysmi, cnesmi, vel doloris plus minusve vehementis, imo etiam metum ab attactu externo inducant.

I. Universalis.

II. Particularis.

Variant pro causa remota:

α. Ab intertrigine seu excoriatione epidermidis.

β. A nimia teneritudine, aut a tensione fortiore epidermidis.

γ. A vulnere, ulcere, inflammatione, erysipelate, abscessu, contusione.

δ. Ab hyperkinesia.

ε. A podagra.

ζ. A febre.

Vide vol. I., p. 366 et seq. O. Algemata.

G. *Hyperæsthesia*, et *Cnesmus*.

G. CCLXXX. ANHAPHIA.

Gr. Ἀναψία, ab α neg. et ἁφὴ tactus.

Tactus imminutus vel abolitus.

Syn. Anæsthesia. *S. L. Cull.*
Amblyhaphia. *Ploucq.*
Anodynia. *V.*

A. Numbness, or loss of feeling by the touch.

G. Perte du tact ou du toucher.

Ge. Mangel des gefühls, der Fühlung.

I. Universalis.

II. Particularis.

Variant:

α. A stupore nervorum, aut anæsthesia universali.

β. Ab asthenia generali aut paralysi varia.

γ. A vulnere, læsione, discissione aut compressione nervorum.

δ. A nervis in eorum origine, progressu aut extremitatibus suis, pressione, vulnere, contusione, erosione, callositate, exsiccatione, extenuatione, ligatura aut compressione affectis.

ε. A vitiis cerebri, aut medullæ spinalis:

1. A læsione, contusione, compressione etc.
2. Ab apoplexia, cataphora, paralysi.
3. Ab epilepsia, catalepsi.

ζ. A cacochymia aut cachexia.

η. Ab apnœasphyxia, syncope.

ϑ. Ab abusu narcoticorum.

ι. Ab inopia boni sanguinis.

κ. Ab infarctu aquoso aut mucoso cutis.

λ. A gangræna.

μ. A cuticula aut cute rigida, contracta.

ν. Ab epidermide tactus organum contegente, crassa, dura, callosa.

ξ. A squammis aut excrescentiis corneis in cute.

ο. Ab ecchymosi, vesiculis, pustulis; aut sanguine, sero, pure, etc. inter cutem et epidermidem effusis.

π. A metastasi varia.

ρ. A frigore vel calore intenso, gelu, igne.

σ. A cute relaxata, macerata hydropicorum.

τ. A psora præpostere suppressa.

υ. A lepra, elephantiasi, aliisve morbis cutis.

G. CCLXXXI. PSEUDHAPHIA.

Gr. Ψευδάφια, a Ψεῦδος error, et ἀφὴ tactus: Tactus falsus seu erroneus.

Perceptio tactus quasi ab impressionibus externis producta, dum nullæ tales revera existunt; vel sensatio tactus ad perversam corporis partem ab ægro relata: Sic sæpe percipitur sensatio doloris in brachio quod amputatione ablatum fuit; sic etiam sæpe in morbis ab ægro sentitur calor, aut frigus, ubi nec manu

applicata, nec thermometro gradum caloris vel frigoris a normali diversum percipimus. Plethoricus robustus sæpe languorem et lassitudinem sentit a nimia quantitate sanguinis vim vitæ obruente. Febre affecti, phthisici sæpe vigore virium pollent, dum morti proximi sunt. Vide Vol. I, p. 5.

CL. V. O. II. DYSLALIÆ,

et DYSPHONIÆ.

Gr. ΔΥΣΛΑΛΊΑΙ et ΔΥΣΦΩΝΊΑΙ, a Δὺς vitiose, et Λαλιὰ loquela, atque φωνὴ vox.

CHAR. VITIA loquelæ ac vocis.

GENERA ad hunc Ordinem spectantia sunt:

I. DYSLALIÆ.

GENUS I. ALALIA.
II. PSELLISMUS.

II. DYSPHONIÆ.

III. APHONIA.
IV. PARAPHONIA.

CL. V. O. II. DYSLALIÆ, et DYSPHONIÆ.

I. DYSLALIÆ.

Vitia loquelæ.

G. CCLXXXII. ALALIA.

Gr. Ἀλαλία, ab α neg. et Λαλιά loquela: Loquelæ defectus.

Mutitas, seu verba articulandi impotentia.

A. Dumbness.
G. La mutité.
Ge. Stummheit; sprachlosigkeit.

Sp. 1. Alalia *a Cophosi.*

1. Connata.
2. Acquisita in prima juventute.

Sp. 2. Alalia *Lingualis.*

A vitiis linguæ aut ossis hyoidei oriunda.

Variat pro causa remota:

α. A defectu aut mutilatione linguæ.
β. A tumore aut nimia magnitudine linguæ.

γ. A paralysi linguæ.
δ. A calculo in glandula sublinguali.
ε. Ab atheromate sub lingua.
ζ. Ab hypoglossi seu tumore ductuum salivalium sub lingua.
η. A sarcomate.
θ. A frænulo linguæ nimis brevi.
ι. A linguæ accretione.
κ. A læsione, luxatione, fractura ossis hyoidei.
λ. A siccitate linguæ.

Sp. 3. Alalia *Palatina.*

Variat:

α. A velo pendulo fisso.
β. Ab uvula fissa aut deficiente.
γ. Ab ossibus palati fissis.

Sp. 4. Alalia *Nevrica.*

Variat:

α. A læsione nervorum recurrentium.
β. A paralysi nervorum recurrentium.
γ. A spasmo colli, vulnere, ligatura.

Sp. 5. Alalia *Sympathica.*

Variat:

α. A vulnere aut contusione colli, spinæ dorsi, thoracis.

β. A tortura, aut dolore violento.
γ. A glandulis colli excisis.
δ. A læsione capitis.
ε. A venenis narcoticis: opio, datura-strammonio, atropa-belladonna, hyosciamo etc.
ζ. A vermibus.
η. A febre.

G. CCLXXXIII. PSELLISMUS.

G. Ψελλισμὸς, balbuties, a ψελλίζω balbutio.

Difficultas seu impotentia quasdam syllabas aut litteras, more aliorum recte pronunciandi.

Syn. Blæsitas. *Lat.*

A. Stammering; Stuttering.
G. Bégayement.
Ge. Das Stammeln.

Variat pro causa remota:

α. A consuetudine, aut neglecta educatione.
β. A terrore aut timore.
γ. A paralysi aliove vitio organorum loquelæ.
δ. A paralysi aliove vitio organorum vocis.
ε. A defectu, fissura aliove vitio labiorum.
ζ. A defectu dentium.

η. A palato fisso, perforato.

ϑ. Ab ulcere veli, glottidis.

ι. A tumore, polypo, aut obstructione narium.

κ. Ab hypoglossi.

λ. A venenis metallicis.

μ. A vermibus.

ν. Ab ebrietate.

Sp. 1. Psellismus *Hæsitans.*

Gr. Ἴσχοφονια, ab ἴσχω retineo.

Vitium pronunciationis, in quo verba præsertim prima, difficulter pronunciantur, ac nonnisi syllaba prima sæpius cum celeritate repetitur.

SYN. Ischnophonia. } *Vog.*
Battarismus. }

Gall. Bégayement.

Sp. 2. Psellismus *Ringens.*

Vitium pronunciationis, quo littera R vel repetitur, vel cum stridore et asperitate profertur.

SYN. Psellismus Rottacismus. *S.*
Traulosis *s.* Blæsitas. *V.*

Gall. Grasseyement; parler gras.

Sp. 3. Psellismus *Lallans.*

Vitium in quo littera L mollius, vel loco litteræ R, pronunciatur.

Syn. Lallatio. *L.*
Psellismus lamdacismus. *S.*

Sp. 4. Psellismus *Emolliens.*

Vitium pronunciationis, in quo certæ consonantes ex duris in molles vertuntur, ut ita S pro G; C pro T; aut D pro K pronuncietur.

Syn. Psellismus Traulotes. *S.*
Blæsitas. *Lat.*
Traulotes. *V.*
Syrigmus (Συριγμὸς. *Gr.*)

Gall. Parler blés.

Sp. 5. Psellismus *Balbutiens.*

Vitiosa pronunciatio verborum ex litteris labialibus conflatorum, ut B, M, P.

Syn. Ψελλισμα. *Gr.*
Platejasma *Quintiliani.*
Psellismus balbuties et lagostomatum. *S.*

Sp. 6. Psellismus *Labialis.*

Impotentia litteras labiales pronunciandi,

præcipue ex defectu labii alterutrius vel dentium.

Syn. Psellismus mogilalia. *S.*

Sp. 7. Psellismus *Gutturalis.*

Difficultas pronunciandi litteras gutturales, præcipue ex foramine aut fissura palati.

Syn. Psellismus jotacismus. *S.*

Sp. 8. Psellismus *Nasalis.*

Difficultas pronunciandi litteras nasales; vel vitium in tono vocis, quasi per nasum loquentium. Vide etiam *Paraphonia Nasalis.*

II. DYSPHONIÆ.

Vitia vocis.

G. CCLXXXIV. APHONIA.

Gr. Ἀφωνία, ab α neg. et φωνὴ vox.

Vocis sonoræ privatio aut suppressio completa.

A. Loss of voice.
G. Extinction de voix; perte de voix.
Ge. Stimmlosigkeit.

Variat sede a vitio hærente:

1. In ore, faucibus, pharynge.
2. In larynge.
3. In trachea..
4. In pulmonibus.
5. In abdomine.

Sp. 1. Aphonia *Traumatica.*

Variat pro causa remota:

α. A læsione, resectione, vel ligatura aut compressione nervorum recurrentium.
β. A venæ sublingualis sectione.
γ. A capitis læsione, percussione.
δ. A vulnere faciei.
ε. A vulnere colli, aut operatione chirurgica.
ζ. A lapsu.
η. A contusione musculi temporalis.
ϑ. A læsione spinæ dorsi.
ι. A vulnere tracheæ.

Sp. 2. Aphonia *Phlogistica.*

Variat:

α. Ab inflammatione faucium.
β. ——————— glottidis, laryngis, tracheæ.
γ. A catarrho.
δ. Ab apostemate faucium.

Sp. 3. Aphonia *Asthenica.*

Variat:

Variat:

α. A debilitate, paralysi, vel a compressione aut discissione nervorum recurrentium.

β. Ab asthenopyra vel septorrhepyra.

γ. Ab exhalationibus noxiis.

δ. A spasmo.

ε. Ab hyosciamo assumpto.

ζ. Ab ebrietate.

η. A frigida deglutita.

Sp. 4. Aphonia *Metastatica*.

Variat:

α. A diadexi lactea.

β. A podagra aberrante, retrocedente.

γ. A variola, rubeola, etc. retrocedentibus.

δ. Ab ischæmia, ischolochia, ischomenia.

ε. A morbis cutis, ulcere, fonticulo, sudore etc. suppressis.

ζ. A refrigerio capitis, colli.

Sp. 5. Aphonia *Stenotica*.

Variat:

α. Ab apostemate faucium aliove tumore, glottidem vel tracheam comprimente.

β. A calculo tracheæ.

γ. A tumore glandulæ thyroideæ, vel thymi.

δ. Ab anevrismate aortæ.

Sp. 6. Aphonia *Sympathica.*

Variat pro causa remota:

α. Ab acido in ventriculo.
β. Ab enteralgia.
γ. A cholerrhagia.
δ. A dysenteria.
ε. A vermibus intestinorum.
ζ. A spasmo laryngis, ex hyperkinesia hysterica, aut ex pnigalio.
η. A terrore, ira.
ϑ. A graviditate.
ι. A puerperio.
κ. A vitiis capitis, cerebri, faciei, colli:
 1. Ex læsione aut percussione capitis.
 2. Ex inflammatione aut apostemate cerebri.
 3. Ex hemicrania, apoplexia, cataphora.
 4. Ex refrigerio.
λ. A vitiis pulmonum:
 1. Ex læsione, apostemate, steatomate etc. pulmonum.
 2. Ex phthisi pulmonali.

G. CCLXXXV. PARAPHONIA.

A Gr. Παρὰ vitiose, et φωνὴ vox.

Vocis sonus vitiatus aut depravatus.

Syn. Cacophonia. *Sagar* et *S.*
Trachophonia. *Menjot.*

A. Depraved voice.
G. Vice de la voix.
Ge. Fehler der Stimme.

Variat sede:

1. A vitiis glottidis aut tracheæ.
2. ——— linguæ, palati, uvulæ.
3. ——— nasi.

Sp. 1. Paraphonia *Puberum.*

Vocis acutæ et suavis puerorum tempore pubertatis in graviorem mutatio.

Syn. Τραγισμὸς *Aristot.*

Gall. Mue de la voix.

Sp. 2. Paraphonia *Rauca.*

Vox rauca, a vitio laryngis aut uvulæ.

Syn. Paraphonia catarrhalis. *S.*
Raucedo *s.* raucitas. *Lat.*

A. Hoarseness.
G. Enrouëment.
Ge. Heiserkeit.

VARIAT pro causa remota:

α. A catarrho.
β. A vulnere, ulcere faucium, vel glottidis.
γ. Ab inflammatione, siccitate aut secretione muci impedita.

Sp. 3. Paraphonia *Nasalis*.

Vitium vocis, quo litteræ nasales cum sonitu per nares sibilante pronunciantur.

SYN. Paraphonia resonans. *C.*
Rhinophonia. *V.*
Mycterophonia. *Ploucq.*
Vox nasalis. *Auct.*

G. Parler du nez.
Ge. Nasenstimme.

VARIAT pro causa remota:

α. A coryza.
β. A polypo narium.
γ. Ab uvula aut velo pendulo destructo, eroso, ulcerato.
δ. A mala consuetudine.

Sp. 4. Paraphonia *Gutturalis*.

Vox rauca, acuta, clangens, aut sibilans.

SYN. *Συριγμα. Græc.*

Paraphonia palatina. } *Cull.*
——— clangens. }

Syrigmophonia. } *Ploucq.*
Bronchophonia. }

Paraphonia ulcerosa. } *S.*
——— sibilans. }

Clangor. } *Vog.*
Leptophonia. }
Oxyphonia. }
Asaphia. }

VARIAT pro causa remota:

α. Ab inflammatione, aut ulcere pharyngis, laryngis, tracheæ.

β. A phthisi pulmonali.

γ. A foramine aut fissura palati.

δ. Ab erosione, aut ulcere syphilitico veli penduli, uvulæ, tonsillarum.

Sp. 5. Paraphonia *Stertens.*

Vocis strepitus raucus et asper, inter inspirandum et exspirandum editus.

SYN. Paraphonia comatosa. *C.*
Rhonchus. (Ῥέγχος. *Gr.*)
Stertor. *Lat.*

G. Ronflement, Râlement, le Râle.
Ge. Schnarchen.

CL. V. O. III. DYSGENNESIÆ.

Gr. ΔΥΣΓΕΝΝΗΣΊΑΙ, a Δὺς male, difficulter, et Γέννησις generatio.

CHAR. FUNCTIONES organorum generationis abnormes, nimis auctæ, vel deficientes, aut omnino impeditæ.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt:

SECT. I. DYSGENNESIÆ VIRORUM.

GENUS I. HYPERORGOSIS.
II. PRIAPISMUS.
III. ASTYSIA.
IV. DYSPERMASIA.
V. SPERMACRASIA.

SECT. II. DYSGENNESIÆ FŒMINARUM.

VI. MACHLOSYNE.
VII. DYSSYNUSIA.
VIII. STEIROSIS.
IX. ECTROSIS.
X. DYSTOKIA.
XI. PARAKYESIS.
XII. PSEUDOKYESIS.

CL. V. O. III. DYSGENNESIÆ.

SECT. I. DYSGENNESIÆ VIRORUM.

G. CCXXXVI. HYPERORGOSIS.

Gr. Ὑπερόργωσις s. Ὑπερόργανσις, ab ὑπὲρ nimium, et ὀργᾷν venere turgere, incitari: Inexplebilis salacitas.

In maribus effrænatum coitus desiderium, cum erectione colis solito fortiore et frequentiore, ac tumore et tensione summe molesta testiculorum. Morbus sæpe acutus et dysphoria generali ac pulsu accelerato stipatus; frequens quoque maniæ comes. (*)

Syn. Catopheria Gr. Κατωφέρια, a κάτω deorsum, et φέρω ferre).

Lagnea (Gr. Λαγνεία lascivia, salacitas, a Λαγνεύω libidinosus sum). } *Auct.*
Satyriasis (Gr. Σατυρίασις). }

(*) Morbus hic non confundendus est cum morbo colis spasmodico, molesto, dolorifico, sine veneris desiderio. Vide *Priapismus*.

I. Idiopathica.

Variat pro causa remota:

α. A castitate severa.

β. A coitus frequentis et consueti interruptione.

γ. A copiosiore secretione seminis, ex arteriis spermatici, solito majoribus.

δ. A testiculo tertio extraordinario.

ε. A quantitate vel qualitate seminis peccante.

ζ. Ab irritabilitate aut sensibilitate partium genitalium morbosa.

η. A medicamentis entaticis interne vel externe adhibitis.

ϑ. A testiculis in ventre locatis.

ι. Ab amputatione membri cujusdam majoris, præcipue femoris.

κ. A vita lauta, otiosa.

II. Sympathica.

Variat:

α. A cerebello solito majori.

β. A congestione sanguinis in eodem.

γ. A mania.

δ. Ab amore frustrato, vel secreto, celato.

ε. Ab imaginatione lasciva.

ζ. A lectura librorum, aut visu picturarum vel objectorum lascivorum.

III. Symptomatica.

Variat:

α. Ab herpete, lepra, elephantiasi.
β. A vitiis gastricis, flatibus.
γ. A congestione sanguinis in vasis hæmorrhoidalibus.
δ. Ab ascaridibus in recto nidulantibus.
ε. A morpionibus.

G. CCLXXXVII. PRIAPISMUS.

Gr. Πριαπισμος.

Colis erectio violenta permanens; vel frequentius recurrens, ingrata, dolorifica, citra veneris appetentiam.

Vide V. I. p. 340. *Spasmus colis.*

A. Idiopathicus.

Variat pro causa remota:

α. A semine acri.
β. A phlogosi urethræ.
γ. Ab ulcere colis.
δ. Ab acribus externe applicatis.
ε. Ab acribus, entaticis interne assumptis.

B. Sympathicus.

Variat pro causa remota :

α. Ab irritatione in vesica urinaria :
 1. Ex inflammatione, erosione, vel ulcere vesicæ.
 2. Ex calculo.
 3. Ex medicamentis irritantibus assumptis et ad vesicam delatis.
 4. Ex podagra aberrante.

β. Ab irritatione in intestino recto :
 1. Ex inflammatione recti.
 2. Ex ulcere, erosione.
 3. Ex vermibus.
 4. Ex medicamentis irritantibus interne assumptis et ad rectum delatis.
 5. Ex medicamentis acribus in rectum injectis vel ano applicatis.
 6. Ex vasis hæmorrhoidalibus turgentibus, aut irritatis.

γ. A pneumatosi.

δ. Ab inflammatione cerebelli.

ε. A deliriis lascivis, aut erotomania, mania.

ζ. A strangulatione.

η. Ab hydrophobia.

ϑ. Ab epilepsia, convulsione.

G. CCLXXXVIII. ASTYSIA.

Gr. Ἀστυσια, ab α neg. et στύω s. στύσιω tentigine laboro : Defectus tentiginis, *seu* Impotentia virilis (*).

Incapacitas viri coitum rite exercendi et sobolem procreandi, ex defectu erectionis, vel ex defectu aut vitio seminis, vel ex defectu ejaculationis debitæ ejusdem (**).

Syn. Anaphrodisia. *S.* et *Cull.*
Agenesia. *V.*
Atechnia. *L.*
Agonia. *Ploucq.*
Impotentia virilis *Auct.*

(*) Nomen *Astysiæ*, utpote defectum primarii ad coitum ex parte maris requisiti exprimens, aliis nominibus diversis, hactenus ab auctoribus usitatis, præferendum esse judicavi.

(**) Ad coitum fœcundum ex parte viri rite exercendum requiritur :

1.° Objectum amabile desiderium veneris excitans.

2.° Erectio penis perfecta et vigorosa.

3°. Penis erecti in vaginam immissio, ita ut ejus orificium orificio uteri respondeat.

4.° Seminis bene elaborati ejaculatio celeris, fortis et libera, quæ recta in uterum tendat. — Si itaque penis erectio nulla vel incompleta sit, aut seminis ejaculatio nulla vel tarda, debilis aut impedita, aut si semen ipsum vitio laboret, fœcundatio fieri nequit.

A. Impotency.
G. Impuissance virile.
Ge. Männliches Unvermögen.

I. Idiopathica, *s.* Organica.

Sp. 1. Astysia *Psolica.*

Astysia a vitio colis seu penis, aut partium ad illum pertinentium oriunda.

Variat pro causa remota :

α. A defectu colis connato.
β. A mutilatione, castratione seu resectione colis aut portionis ejusdem.
γ. A nimia colis crassitie aut longitudine, proportione data vaginæ.
δ. A nimia ejusdem tenuitate aut brevitate.
ε. Ab atrophia colis, aut ab ejusdem retractione versus abdomen (*).
ζ. A læsione aliisve vitiis cerebelli.

(*) Hujus vitii duo exempla, a medico fide digno mihi communicata novi, ubi viris, cæterum perfecta sanitate gaudentibus, coles paulatim emarcescere cœpit, ita ut post aliquot tempus nullum ejus vestigium, et nonnisi portio præputii cum orificio urethræ in ventre remaneret, quasi alterum umbilicum mentiens, testiculis interea perfecte sanis et desiderio veneris ut antea integro. Unde hic leptismus colis ortus fuerit, discere non potui, an ab atrophia nervorum? an ex

η. A cole in erectione incurvo, aut erectionis debitæ incapaci:

1. Ex inflammatione, callo, nodo, varice, aneuvrismate.
2. Ex frænulo nimis brevi.
3. Ex musculo erectore alterutro, vel utroque læso, dissecto.
4. Ex contractione majori musculi erectoris unius lateris.
5. Ex vitio membranæ fibrosæ corpora cavernosa cingente (*).

ϑ. A tumore colis abnormi:

1. Ex aneuvrismate, aut ex varice corporum cavernosorum etc.
2. Ex sycosi, phymate, verruca, aut excrescentia cornea colis.
3. Ex ulcere phagedænico, cacoëthe.
4. Ex hydrope.
5. Ex emphysemate.

ι. A vitio præputii:

---

obliteratione arteriæ nutrientis? an ex vasorum absorbentium actione abnomi? Cæterum simile vitium quandoque ipsis testiculis contingere, in praxi sæpius observavi, ideoque ambos hos morbos supra p. 118 sub G. *Melatrophia* notavi.

(*) Erectio colis pro parte dependet ab elasticitate membranæ fibrosæ, corpora cavernosa circumdantis.

1. A stenosi orificii præputii connata,
2. Ab orificio ejusdem contracto.
3. A præputio nimis crasso aut longo.
4. A concretione præputii cum glande.

κ. A vitio urethræ:

1. Ab inflammatione.
2. Ab ulcere phagedænico, cacoëthe.
3. A defectu turgoris corporis cavernosi urethræ.
4. Ab orificio, seu apertura urethræ abnormi.
5. A stenosi urethræ.

λ. A vitio musculorum erectorum, aut acceleratorum urinæ:

1. Ab eorum læsione.
2. A debilitate aut paralysi.

μ. A læsione aliisve vitiis membranæ fibrosæ, colem circumdantis.

ν. A vitio prostatæ aut vesicularum seminalium:

1. Ex inflammatione, apostemate, skirrho, calculo, ulcere.
2. Ex stenosi, concretione aut erosione ductuum eorum excretoriorum.

Vide etiam *Dyspermasia*.

Sp. 2. Astysia *Orchica.*

Astysia a vitio testiculorum, vel seminis oriunda.

Variat pro causa remota:

α. A defectu testiculorum connato (*).

β. A castratione aut excisione testiculorum.

γ. A testiculorum comminunutione, contusione, structura vitiata etc.

δ. Ab atrophia testiculorum ex læsione cerebelli, aut sponte nata.

ε. Ab inflammatione, suppuratione, sclerosi, aut ulcere testiculorum.

ζ. Ab ictu, contusione aliave læsione cerebelli, occipitis, cervicis (**).

η. A tumore testiculorum vario. Vide *Orchioncus.*

ϑ. Ab asthenia testiculorum.

(*) Defectus verus testiculorum rite distinguendus est a defectu quandoque apparente, ubi testiculi in ventre latentes, aut hærentes in inguine in scrotum non descenderunt, uti in prima juventute consuete fieri solet. — Hic defectus apparens testiculorum, æque ac defectus verus unius testiculi impotentiam non infert.

(**) Notabilia exempla plura bene stabilita novi, ubi ex contusione aut læsione occipitis et cerebelli in viris robustis pauco post tempore atrophia testiculorum et astysia colis completa supervenerunt.

ι. A testiculorum functione nondum evoluta, in juventute ante tempus pubertatis.

κ. Ab eorum functione cessante in senio.

λ. Ab hernia inguinali, scrotali, sarcomate, steatomate aliisve tumoribus, testiculos aut vasa spermatica in alterutro latere comprimentibus.

μ. A defectu seminis aut ejusdem mala elaboratione, vel a secretione aut excretione ejusdem vitiata:

1. A castitate habituali.
2. Ab arteriæ aut venæ spermaticæ emphraxi.
3. A tumore vicino vasa spermatica comprimente.
4. Ab excessu veneris, anaphlasis.

ν. A vitiis scroti. Vide *Oscheoncus*.

Sp. 3. Astysia *Ejaculationis*.

Astysia ex incapacitate viri, semen rite ejaculandi.

VARIAT:

α. A defectu seminis.

β. Ab impedimento meatuum:

1. Ex vitiis testiculorum aut vasorum spermaticorum.

2. Ex

2. Ex vitiis vasorum deferentium.
3. Ex vitiis vesicularum seminalium.
4. Ex vitiis prostatæ.
5. Ex vitiis ductuum excretoriorum vesicularum seminalium, aut prostatæ.
6. Ex vitiis urethræ.

γ. A vitiis colis.
δ. A vitiis scroti.
ε. A vitiis inguinum.
ζ. A defectu erectionis.
η. A paralysi aut debilitate musculorum acceleratorum, cremasterum, sphincteris ani.
ϑ. A nimia seminis abundantia?

Sp. 4. Astysia *Nevrica.*

Variat pro causa remota:

α. Ab asthenia corporis generali:
1. Ex morbis prægressis.
2. Ex evacuationibus sanguinis vel muci nimiis prægressis.
3. Ex cachexia aut cacochymia præsente.
4. Ex inedia, labore, studiis nimiis.
5. Ex senio.

β. Ab asthenia aut paralysi organorum generationi inservientium topica.
γ. A nimia eorumdem irritabilitate vel sensibilitate.

δ. A spermacrasia.

ε. Ab excessu veneris, anaphlasis.

ζ. A nimio veneris desiderio.

η. Ab impotentia imaginaria. (Vide V. I, pag. 564, *Athymia phantastica.*)

θ. A frigore aut calore atmosphæræ nimio.

ι. A corpore quocunque frigido genitalibus admoto (*)

κ. A frigore pedum.

λ. Ab ebrietate aut abusu liquorum spirituosorum habituali.

μ. Ab equitatione constanti.

ν. A viru syphilitico latente.

ξ. A venenis aut medicamentis quibusdam interne vel externe corpori applicatis, quæ qualitate peculiari organum generationis enervant (**).

II. Sympathica.

Variat:

α. Ab animi affectibus tristibus, curis, mœrore, timore, metu.

(*) Fœminam pulcherrimam novi, cujus cutis semper frigida, et caloris consueti normalis incapax esse videbatur, quæ viros robustissimos glaciavit.

(**) In insula *Java* fœminæ sunt, quæ medicamenta sibi solis cognita quandoque ex zelotypia viris adminis-

β. A modestia, pudore, metu falso impotentiæ.

γ. Ab amore nimio, aut hyperæsthesia.

δ. Ab imaginatione male affecta. Vide *Athymia Phantastica*.

ε. Ab idæa religiosa.

ζ. A fastidio coitus.

η. A Mysogynia, aut propensitate mentis vitiosa.

ϑ. A mentis intensione nimia ad objecta aliena.

ι. Ab antipathia aut aversione objecti.

κ. Ab ingluvie, ebrietate.

λ. A dolore violento in quavis corporis parte.

μ. A vitiis cerebelli.

ν. A frigore externo, præcipue pedum.

III. Symptomatica.

Variat:

α. A morbo in alia corporis parte præsente.

---

trant, unde non solum erectio, sed, ut videtur, etiam secretio seminis pro aliquo tempore impeditur. Hoc factum a *Kaempfero* memoratum, nuper a *Stavorino* et *Jong* confirmatum lego. — Semina sterilitatem inducentia, ex arbore hactenus ignota desumpta, vulgo pro pecoribus ab incolis in *Gujana* (Cayenne) adhiberi didici.-Camphoram incaute externe aut interne adhibitam, æque ac plumbum, eundem effectum in hominibus sæpe producere vulgo notum est.

β. A dyspepsia, aut ingestis quantitate aut qualitate ventriculum gravantibus.
γ. A nimia sanguinis versus caput congestione.
δ. A vitio syphilitico in corpore látente.
ε. A skirrho aut carkinomate intestini recti.
ζ. Ab hernia prægrandi.
η. A nimia pinguedine abdominis.

DYSSPERMASIA.

Seminis in coitu tarda, difficilis, vel impedita excretio. (Vide V. I. p. 268.)

Sp. 1. Dysspermasia *Orchica*.

A vitiis testiculorum aut defectu seminis oriunda.

VARIAT pro causa remota:

α. A debilitate corporis generali.
ϐ. A morbis prægressis.
γ. A labore, inedia.
δ. A curis, mœrore aut intensione mentis nimia.
ε. A senio provecto.
ζ. A juventute ante pubertatem.
η. A defectu, tumore, aliove vitio testiculorum.

ϑ. Ab obstructione, aut compressione vasorum spermaticorum.

Vide etiam supra g. *Oligospermia* et *Dysspermia*.

Sp. 2. Dysspermasia *Urethralis*.

VARIAT *pro causa remota* :

α. A stenosi urethræ. (Vide *Sthenosis*).

β. Ab ectopisi seu orificio urethræ in loco alieno.

γ. Ab inflammatione, aut ulcere urethræ.

δ. A defectu erectionis. (Vide *Astysia*).

ε. A defectu turgoris corporis cavernosi urethræ simultanei cum turgore corporum cavernosorum penis.

ζ. Ab excrescentiis verrucosis aut sarcomatosis, orificium aut canalem urethræ obtruentibus.

Sp. 3. Dysspermasia *Psolica*.

A vitiis membri virilis oriunda.

VARIAT *pro sede vel causa remota* :

α. A præputio nimis crasso aut longo; vel ab orificio ejus nimis contracto.

β. A vitiis urethræ variis.

γ. A defectu erectionis debitæ :

1. Ex vitiis corporum cavernosorum penis.
2. Ex inflammatione, tumore, læsione, discissione, contractione spasmodica, aut paralysi musculorum erectorum penis vel acceleratorum urinæ, in uno vel utroque latere.

δ. A morbis variis prostatæ.

ε. A vitiis aut morbis vesicularum seminalium:

1. Ex inflammatione, tumore, calculo.
2. Ex spasmo aut nimia earum irritabilitate.
3. Ex anæsthesia, aut paralysi earundem.
4. Ex ulcere, erosione, concretione, obstructione, aut compressione ductuum excretoriorum prostatæ aut vesicularum seminalium.

Vide etiam supra Vol. I. p. 229. SPERMACRASIA.

SECT. II. DYSGENNESIÆ MULIERUM.

G. CCLXXXIX. MACHLOSYNE.

Gr. Μαχλοσύνη spermacrasia, a Μάχλος fœmina lasciva.

In fœminis effrænum coitus desiderium, frequenter cum tumore, calore et pruritu immani genitalium; inquies generalis; agrypnia; constans propensitas partes genitales attrectandi; sæpe

simul pulsus et respiratio accelerata; hyperkinesia; paracope, aut erotomania cum pudicitiæ consuetæ oblivione.

Syn. Nymphomania. *S.*
Furor uterinus. *Auct.*
Hysterocnesmus.
Hysteromania.
Œstromania.
Œstrophoria.
Œstroplegia.

I. Idiopathica *s.* Organica.

Sp. 1. Machlosyne *Ovarica.*

Variat:

α. A castitate severa habituali.
β. A vita lauta, otiosa.
γ. A medicamentis irritantibus, acribus, entaticis assumptis.
δ. A coitus consueti abstinentia aut interruptione, præcipue viduarum juniorum.
ε. Ab ovariorum orgasmo morboso.
ζ. A congestione sanguinis in ovariis.

Sp. 2. Machlosyne *Uterina.*

Variat:

α. Ab inflammatione aut congestione sanguinis in utero.

β. Ab ischomenia.
γ. A medicamentis acribus, entaticis assumptis.
δ. A pessariis aut unguentis irritantibus in vaginam immissis.
ε. A secretione abnormi humoris acris.
ζ. Ab ascaridibus aliisve vermibus in vulva vel utero nidulantibus.

Sp. 3. Machlosyne *Clitorica*.

Variat:

α. A clitoride prægrandi.
β. Ab aselgotripsia, sive digito sive olisbo facta.
γ. A sensibilitate clitoridis morbosa.

II. Sympathica.

α. Ab amore frustrato, aut secreto celato.
β. A cerebello prægrandi.
γ. A lectura, picturis aut objectis lascivis visui oblatis.
δ. A sanguinis in cerebello congestione.
ε. Ab imaginatione lasciva.
ζ. Ab inflammatione cerebelli, aut partium colli cerebello vicinarum.

III. Symptomatica.

α. A vitio herpetico, aut syphilitico genitalia irritante.

β. A lepra, elephanthiasi.

γ. A morpionibus.

δ. Ab ascaridibus aliisve vermibus, in intestino recto nidulantibus.

ε. A turgore vasorum hæmorrhoidalium.

ζ. Ab applicatione hirudinum ad anum consueta neglecta.

η. A fluxu vasorum hæmorrhoidalium consueto suppresso.

ϑ. Ab humore acri vasa abdominalia vel anum irritante.

G. CCXC. DYSSYNUSIA.

Gr. Δυσσυνουσία, a δὺς, difficulter, et Συνουσία, coitus.

Difficultas aut incapacitas fœminæ virum admittendi, vel coitum cum eo rite exercendi.

A. Idiopathica s. organica.

Variat pro causa remota :

α. Ab atresia seu concretione connata :
1. Labiorum vulvæ.
2. Nympharum.
3. Vaginæ partialis vel totalis.

β. Ab atresia artificiali. (*)

γ. Ab hymene imperforato.

δ. A defectu vaginæ.

ε. A vagina nimis brevi.

ζ. A stenosi, aut contractione vaginæ vel orificii ejusdem.

η. Ab inflammatione, ulcere vaginæ.

ϑ. A tumore, polypo, aliisve excrescentiis vaginæ.

ι. A prolapsu vaginæ, vel uteri ipsius ex vulva.

κ. A compressione vaginæ ex tumoribus vicinis.

λ. A vagina in intestinum rectum desinente.

μ. A vagina callosa, indurata.

ν. A tumore, sycosi, ulcere labiorum vulvæ, aut nympharum.

ξ. A clitoride prægrandi.

ο. A tumore, ecphysi, aut ulcere phagedænico etc. clitoridis.

π A nimia sensibilitate clitoridis, vaginæ, uteri etc.

B. Symptomatica.

Variat:

α. A nimia pinguedine abdominis.

(*) In Ægypto aliisve Africæ provinciis, matronæ marginem labiorum vulvæ puellarum neonatarum exco-

β. Ab hernia inguinali, umbilicali, vaginali etc.

γ. A morbis intestini recti.

δ. A morbis vesicæ, phlogosi, calculo etc.

ε. Ab hyperkinesia.

G. CCXCI. STEIROSIS.

Gr. Στείρωσις, sterilitas muliebris.

Facultas concipiendi, aut fœtum debito tempore in utero gestandi impedita.

Syn. Sterilitas *Lat.*

Acyesis. *V.*

Agone *s.* Agonia. } *Auct.*
Atocia. }

Aphoria *Ploucq.*

A. Barrenness; Sterility.

G. Stérilité.

Ge. Weibliche Unfruchtbarkeit.

I. Idiopathica seu *Organica.*

Sp. 1. Steirosis *Vaginalis.*

Variat:

α. A Dyssynusia.

---

riant, deinde consuunt, et sic relinquunt, donec labiorum limbus concrescat. Hæc atresia artificialis tempore pubertatis, quando opus est, levi incisione facile tollitur.

β. A vagina nimis ampla, relaxata, disrupta.
γ. A rhexi aut dilaceratione raphis vel perinæi, præcipue in partu.
δ. A vagina nimis brevi.
ε. A vagina in rectum desinente.
ζ. A pessario in vaginam astute immisso.
η. A vagina duplici?
θ. A medicamentis vaginæ vel utero applicatis.
ι. A nimia irritabilitate aut sensibilitate vaginæ.
κ. Ab insensibilitate ejusdem.
λ. A consensu inter clitoridem aut vaginam cum ovariis interrupto, vel deficiente.

Sp 2. Steirosis *Uterina*.

A vitiis variis orificii, cervicis, aut substantiæ uteri.

VARIAT:

α. Ab orificio uteri concreto aut clauso, vel ex quacunque causa obstructo.
β. A relaxatione nimia aut dilaceratione.
γ. A collo uteri nimis longo.
δ. Ab atonia aut ab asthenia uteri, ex hæmorrhagia vel hæmorrhœa profusa, aut ex blennorrhagia vel blennorrhœa chronica.
ε. A defectu uteri.

ζ. A cavitate ejusdem concreta, abolita.

η. A tumore uteri abnormi. Vide *Hysteroncus*.

ϑ. A prolapsu aut inversione uteri.

ι. Ab hernia uteri.

κ. A coitu nimis frequente, vel a coitu dolorifico.

λ. A nimia uteri irritabilitate aut sensibilitate.

μ. Ab inirritabilitate aut insensibilitate ejusdem.

ν. A defectu consensus nervorum uteri cum ovariis et tubis.

ξ. Ab ischomenia vel pausimenia.

ο. A fluxu menstruorum nimio.

π. A mola, vel hydatidibus uteri.

ρ. A vermibus, calculo, aliisve corporibus extraneis in utero.

σ. A polypo, steatomate, aliisve excrescentiis uteri.

τ. Ab hysteroloxia, aut uteri situ obliquo.

υ. A vulnere, sclerosi, ulcere, ossificatione, skirrho, aut carkinomate uteri.

χ. A spasmo, aut dolore uteri.

ψ. Ab orificiis tubarum ambobus obstructis, concretis, aut deficientibus.

Sp. 3. Steirosis *Ovarica.*

Variat:

α. A defectu ovariorum vel tubarum connato.

β. Ab excisione aut extirpatione eorundem.

γ. A tubis ambabus imperviis, concretis.

δ. A rigiditate tubarum.

ε. A sclerosi ovariorum vel tubarum.

ζ. Ab accretione fimbriarum tubarum cum ovariis.

η. A defectu consensus ovariorum et tubarum cum utero, vagina, aut clitoride.

ϑ. Ab ætate præmatura aut nimis adulta.

ι. A venere præmatura.

κ. Ab excessu veneris aut aselgotripsiæ.

λ. A constitutione corporis viraginum.

μ. Ab irritabilitate vel sensibilitate ovariorum nimia.

ν. Ab inirritabilitate vel insensibilitate tubarum vel ovariorum.

ξ. A coitu dolorifico.

ο. A vitiis coitui naturali aversis, consuetudine contractis.

π. A medicamentis aut venenis, internis vel externis, sterilitatem inducentibus, aut fertilitati aversis: Camphora, plumbo etc.

ρ. Ab atrophia ovariorum.

σ. A tumoribus variis ovariorum. (Vide *Ovarioncus*).

τ. A defectu orgasmi ovariorum simultanei cum ejaculatione seminis in viro.

II. Sympathica.

Variat pro causa remota :

α. Ab antipatia aut aversione contra virum ex causis variis.

β. Ab habitu pravo, coitui cum viro averso, contracto.

γ. A mœrore, curis, timore.

δ. A læsione, contusione, ictu, aliisve vitiis cerebelli.

III. Symptomatica.

α. Ab asthenia corporis universali ex morbis prægressis, inedia, labore nimio, aut evacuationibus variis profusis.

β. A dyschymia serosa, mucosa, acida etc. Vide Dyschymiae.

γ. A cachexia varia. Vide Cachexiae.

δ. Ab ebrietate habituali.

ε. Ab polypiote, steatomate, aliisve tumoribus omenti vel abdominis.

ζ. A dolore, spasmo.

η. A vitiis vesicæ variis.

ϑ. A vitiis intestini recti.

G. CCXCII. ECTROSIS.

Gr. Ἔκτρωσις, s. ἔκτρωμα, s. ἐκβολὴ, s. Ἄμβλωσις, s. Ἄμβλωμα, Abortus s. Abortio.

Foetus immaturi, id est ante novem mensium lunarium spatium, exclusio cum doloribus lumborum, ex hypogastrio et abdomine ad pubem tendentibus, ac hæmorrhagia uteri plus minusve violenta juncta.

Syn. Abortus s. partus præmaturus *Auct.*

A. Abortion; miscarriage.

G. Avortement; accouchement prématuré; fausse couche.

Ge. Missfall; unzeitige, oder frühzeitige geburt.

I. Idiopathica seu *Organica.*

Sp. 1. Ectrosis *Biastica.*

A vi utero illata (a gr. Βιαζω vim infero).

Variat pro causa remota:

α. A læsione, vulnere, lapsu, concussione, contusione, percussione violenta uteri, abdominis, lumborum.

β. A

β. A violenta corporis concussione, maxime ad uterum determinata, in saltatione, cursu, exercitatione, vectione, lapsu, tussi, vomitu, risu, sternutatione, singultu, vociferatione, coitu immoderato, petulantiore etc.

γ. A nisu aut nixu violento in elevatione ponderum, extensione artuum, excretione alvi vel urinæ, tenesmo.

δ. Ab uteri compressione ex constricto ventre, aut ex vicinis tumoribus.

ε. A compressione abdominis violenta.

ζ. A fulminis ictu aut concussione electrica.

η. Ab orificio uteri vi aperto, aut perforato.

ϑ. Ab injectionibus irritantibus in cavum uteri.

ι. A pessariis acribus, venenis aut medicamentis variis, externe applicatis.

κ. A venenis aut medicamentis acribus, irritantibus etc. interne assumptis.

λ. A vomitu, tussi violenta, sternutatione frequenti, convulsione epileptica.

Sp. 2. Ectrosis *Uterina.*

Variat pro causa remota:

α. A debilitate, laxitate, inflammatione, spasmo, dolore aliisve uteri morbis.

β. Ab hyperæsthesia uteri.

γ. A coitu nimis frequenti, aut dolorifico.

δ. Ab impraegnatione nimis frequenti.

ε. Ab abortu saepius praegresso, et hinc habitu certo tempore abortiendi contracto.

ζ. Ab utero nimis parvo, angusto vel rigido.

η. A venaesectione aut sanguinis evacuatione consueta intermissa.

ϑ. A mola, hydatidibus etc. in utero.

ι. A convulsione, laxitate, humiditate mucosa uteri.

κ. Ab hysteronco vario. Vide *Hysteroncus*.

λ. A debilitate generali vel topica uteri.

μ. Ab irritabilitate nimia uteri.

ν. A partu difficili praegresso.

Sp. 3. Ectrosis *Kyematica*.

A vitio foetus (gr. Κύημα), placentae, vel funiculi umbilicalis.

Variat pro causa remota:

α. A foetu praegrandi, hydropico vel alio modo morboso.

β. A situ foetus vitioso in utero.

γ. A placenta vi integre vel pro parte soluta.

δ. Ab ejusdem accretione ad orificium uteri.

ε. A funiculo umbilicali nimis brevi, aut ejusdem situ vitioso.

ζ. A placentæ atrophia, obstructione, degeneratione etc.

η. A separatione seu solutione nexus placentæ cum utero ex quacunque causa orta.

ϑ. A distorsione, nodis, aut stenosi placentæ.

ι. A vitiis aliis quibusve placentæ.

κ. A fœtu numerosiore.

λ. A fœtu ex morbo inquieto, languente, vel mortuo.

μ. A motu fœtus violento:

1. Ex congestione sanguinis in placenta immodica.
2. Ex defectu sanguinis, et nutrimenti debiti fœtus ex variis causis inducta.

II. Sympathica.

Variat:

α. A terrore, ira, aliis animi pathematibus violentis.

β. A læsione aut vitiis cerebelli.

γ. A leipothymia, syncope.

δ. A spasmis, convulsionibus.

III. Symptomatica.

Variat pro causa remota:

α. Ab asthenia corporis universali, ex morbis prægressis, aut ex labore nimio, inedia.

β. Ab evacuationibus sanguinis profusis.

γ. A plethora.

δ. Ab ebrietate.

ε. A pyrexiis variis; aut dysenteria, diarrhœa, tenesmo, aliisve morbis gravioribus variis gravidarum.

η. Ab epidemia peculiari regnante.

ϑ. A morbis variis vesicæ.

ι. A vitiis intestini recti.

κ. A vitiis gastricis.

λ. A vermibus.

G. CCXCIII. DYSTOKIA.

Gr. Δυστοκία, a Δὺς difficulter, et τίκτω parere; unde τόκος partus.

Partus seu parturitio difficilis.

Syn. Dystochia *s.* dystocia *Auct.*

A. Difficulty in labour or childbirth.
G. Accouchement difficile et laborieux.
Ge. Schwere Niederkunft; schwere Geburt.

Variat:

α. A prægnante justo juniore, annosiore, primipara, delicatiore, debiliore, animo fracta, impatiente.

β. A sensibilitate vel irritabilitate nimia aut deficiente prægnantis.
γ. A plethora,
δ. A polypiote.
ε. Ab asthenia universali corporis.
ζ. A statu morboso quocunque prægnantis.

I. Idiopathica seu *Organica*.

Sp. 1. Dystokia *Pelvica*.

Variat:

α. Ab angustia aut deformitate ossium pelvis.
β. A rigiditate aut inflexibilitate ossium pelvis, eorumve ligamentorum, ut præcipue in fœminis adultis, quæ ante trigesimum ætatis annum utero non gesserunt.

Sp. 2. Dystokia *Uterina*.

Variat:

α. Ab orificio uteri indurato, calloso, cartilagineo, skirrhoso.
β. Ab orificio uteri angustato, contracto, distorto, tumore occluso, compresso, nimis sensili.
γ. Ab atonia vel rigiditate nimia uteri.
δ. Ab asthenia, vel anerethisia uteri.
ε. A prolapsu, vel hernia uteri.

ζ. A situ uteri obliquo.

η. A compressione uteri aut orificii ejusdem a tumoribus vicinis.

ϑ. A doloribus spuriis, seu contractione spasmodica uteri.

ι. A debilitate aut inirritabilitate uteri.

κ. A læsione uteri quacunque.

Sp. 3. Dystokia *Vaginalis.*

VARIAT:

α. A stenosi vaginæ vel orificii ejusdem.

β. A compressione vaginæ:

1. Ex vesica urina repleta.
2. Ex accumulatione fæcum induratarum in recto.
3. Ex vasis hæmorrhoidalibus infarctis.
4. Ex tumoribus partium vicinarum.

γ. A prolapsu vaginæ.

δ. Ab inflammatione, aut tumore sanguineo vel hydropico labiorum vulvæ.

ε. A sycosi, aliisve excrescentiis eorundem.

Sp. 4. Dystokia *Kyematica.*

A vitiis fœtus, placentæ vel funiculi umbilicalis.

VARIAT:

α. A fœtu prægrandi.

β. A nimia magnitudine capitis, aut hydrope ejusdem.

γ. A deformitate fœtus monstrosa, gemellis concretis etc.

δ. A fœtu languido, mortuo.

ε. A fœtu extrauterino.

ζ. A situ fœtus perverso.

η. A situ placentæ abnormi, seu placenta incongruo uteri loco adhærente, aut fœtum prævertente.

ϑ. A placenta avulsa.

ι. A funiculo umbilicali nimis brevi, prolapso, vel circa collum fœtus contorto.

κ. A præmatura liquoris amnios evacuatione.

II. Dystokia Symptomatica.

Variat:

α. A debilitate generali: Ex inedia, evacuationibus nimiis etc.

β. A morbis prægressis.

γ. A plethora.

δ. Ab hyperæsthesia, spasmis.

ε. Ab animi affectibus: metu, timore.

ζ. A repletione, aliisve tumoribus, aut morbis vesicæ.

η. Ab intestino recto fæcibus duris distento.

ϑ. A tumore vasorum hæmorrhoidalium.

ι. A tumoribus aliisve morbis intestini recti.

G. CCXCIV. PSEUDOKYESIS.

Gr. Ψευδοκύησις, a ψευδὴς falsus, et κύησις gestatio in utero : Graviditas spuria.

Tumor uteri et abdominis cum symptomatibus variis graviditatis ex monstro, mola (gr. Μυλη), hydatidibus, hydrope aliove tumore ortus, graviditatem mentiens. Plerumque secundo aut tertio mense exclusio ejusdem, vel etiam gestatio durans ultra periodum graviditatis consuetam; nullus motus in utero post quartum gestationis mensem; situs uteri cum positura corporis fœminæ mutans; venter plerumque æquabiliter tumens, sine ulla prominentia particulari, ut in graviditate vera contingere solet.

Vide etiam infra *Hysteroncus* et *Ovarioncus*.

A. False conception.
G. Grossesse fausse.
Ge. Missgeburt.

G. CCXCV. PARAKYESIS.

Gr. Παρακύησις, s. παρασύλλιψις, a παρὰ, extra, et κύησις s. σύλληψις, graviditas vel conceptio extrauterina.

Tumor abdominis cum symptomatibus graviditatis variis, plerumque ultra periodum graviditatis consuetam durantibus, ex fœtu extra uterum, in tuba Fallopii, ovario, aut in cavo abdominis locato.

De reliquis partium genitalium utriusque sexus morbis præcipuis vide:

I. Orchitis.
Orchioncus.
Oscheitis.
Oscheoncus.
Posthoncus.
Psoloncus.

II. Hysteritis.
Hysteralgia.
Hysteroncus.
Hæmorrhagia et Hæmorrhœa uterina.

Blennorrhagia vel Blennorrhœa uterina.
Ovaritis.
Ovarioncus.
Cremnoncus.
Polypus uteri.
Sclerosis uteri.
Skirrhus uteri.
Carkinoma uteri.

NOVI
NOSOLOGIÆ METHODICÆ
SYSTEMATIS,

VOLUMINIS II. PARS I.

CL. V. O. IV. EVRYANGEIÆ.

Gr. Εὐρυαγγεῖαι, ab εὐρύς amplus, latus, et Ἄγγος, vas *s.* canalis corporis humani, liquorem seu humorem continens.

CHAR. VASORUM dilatatio, seu amplitudo abnormis.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt:

GENUS I. CARDIEVRYSMA.
II. AORTEVRYSMA.
III. ARTEREVRYSMA.
IV. ARTERIOCHALASIS.
V. PHLEBEVRYSMA.
VI. LYMPHEVRYSMA.
VII. SPLANCHNEVRYSMA.

CL. V. O. IV. EVRYANGEIÆ.

G. CCXCVI. CARDIEVRYSMA.

Gr. Καρδιεύρυσμα, ab καρδία, cor, et εὐρὺς amplus, dilatatus; unde Εὔρυσμα dilatatio: Dilatatio cordis abnormis, aut pars cordis in saccum extensa.

Palpitatio cordis præcipue ex motu corporis ascendendo auctus, ac sæpe adeo violenta, ut ab adstantibus audiri possit; sensatio pulsationis in capite; plerumque pulsus arteriarum irregularis, inæqualis, tremulus, parvus, debilis, remittens aut intermittens; alysmus ingens; quandoque sensatio peculiaris in corde, quasi ex aura calida afflante aut ex pluma molli super cor ducta; oppressio pectoris; dyspnoea, orthopnoea, asthma; syncope, aut leipothymiæ frequentes; sensatio suffocationis cum tussi: Sæpe etiam color et rubor præcipue faciei insolitus, transitorius, sed in genere pallor cutis et frigus extremitatum; de-

cubitus in latus sinistrum aut in dorsum difficilis, vel etiam ob anxietatem impossibilis; tussis sicca, rebellis, hæmoptoica; quandoque pulsatio venarum jugularium; hydrops pericardii, thoracis, œdema extremitatum; ultimo suffocatio subita, apoplexia, aut ruptura cordis.

Syn. Anevrisma cordis *Auct.*

A. Anevrism of the heart.

G. Anevrisme du cœur.

Ge. Widernatürliche Erweiterung des Herzens.

Variat pro causa remota:

α. Ab atonia fibrarum cordis.

β. A plethora generali aut rarefactione sanguinis prægrandi.

γ. Ab accumulatione sanguinis locali versus cor, fibras ejus nimium extendente.

δ. A vitio hæreditario cordis.

ε. A sanguinis per pulmones transitu impedito; huc submersio in aqua, strangulatio, defectus oxygenii in aëre inspirato.

ζ. A vitio pulmonum; concretione, induratione, hydrope.

η. Ab induratione aut ossificatione aortæ, vel valvularum cordis.

ϑ. A concretione portionis sanguinis albuminosæ vel fibrinæ, vulgo polyposa dicta, in corde, aorta, vena cava.

ι. A stenosi aortæ prope cor.

κ. Ab exercitio corporis violento, præprimis portando pondera gravia.

λ. A spasmis aut convulsionibus.

μ. Ab animi pathematibus vehementibus.

ν. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.

ξ. A polypiote generali, sed potissimum a polypiote cordis locali.

ο. A morbis cutis retropulsis.

π. Ab erosione aut ulcere cordis.

ρ. A subito et violento frigore.

σ. A contusione violenta, ictu, lapsu.

τ. A pertussi, tussi vehemente.

υ. A compressione arteriarum permanente ex causa quacunque, præcipue ex positura corporis habituali perversa.

G. CCXCVII. AORTEVRYSMA.

Gr. Ἀορτέυρυσμα.

Arcus aortæ dilatatio abnormis; palpitatio, præcipue ex motu, summe violenta; alysmus; oppressio pectoris;

sensatio suffocationis, aliave symptomata, fere ut in *Cardievrysmate*.

ARTERIOCHALASIS.

Vide supra p. 174, CACHEXIAE.

G. CCXCVIII. ARTEREVRYSMA.

Gr. Ἀρτηρεύρυσμα s. Ἀνεύρυσμα.

Arteriæ aut portionis arteriæ dilatatio abnormis et permanens cum pulsatione in parte affecta solito fortiore, et ex motu corporis aucta.

De dilatatione arteriæ, tumorem in externa corporis superficie visibilem causante, vide infra O. TUMORES SANGUINEI. G. *Anevrysma*.

VARIAT pro causa remota, fere ut Cardievrysma.

G. CCXCIX. PHLEBEVRYSMA.

Gr. Φλεβεύρυσμα a Φλεψ, vena.

Venæ aut portionis ejusdem dilatatio abnormis et permanens (*).

(*) Venæ in genere structuræ laxioris quam arteriæ, frequentius dilatationibus subjectæ sunt, sæpe ad ingentem molem increscentibus. Huc præprimis pertinent di-

De dilatatione venæ, in externa corporis parte, tumorem aut tubercula causante, vide infra O. Tumores sanguinei. G. *Kyrsos* s. *Varix*.

G. CCC. LYMPHEVRYSMA.

Vasis lymphatici seu absorbentis, aut portionis ejusdem dilatatio abnormis, et permanens (*).

G. CCCI. SPLANCHNEVRYSMA.

Gr. Σπλαγχνεύρυσμα, a Σπλάγχνον viscus, et εὐρὺς dilatatus.

Visceris cujusvis cavi dilatatio abnormis et permanens.

Variat sede :

1. Evrysma intestini cujusvis.
2. ———— ventriculi.

---

latationes venarum hæmorrhoidalium et totius systematis venæ portarum, et sinuum diversorum enkephâli, ac dilatationes venarum pulmonalium, sæpe in hæmoptoën lethalem abeuntes.

(*) Huc etiam pertinet Ductus thoracici dilatatio abnormis, quæ sæpius in cadaveribus reperta fuit, sine ullo symptomate morbifico in corpore durante vita apparente.

3.

3. Evrysma ductus choledochi.
4. ——— vesiculæ felleæ, ejusve ductus excretorii.
5. ——— ureteris unius vel utriusque.
6. ——— vesicæ urinariæ.
7. ——— urethræ.
8. ——— uteri.
9. ——— vaginæ uteri.
10. ——— recti.

Variat pro causa remota :

α. A vi externa.
β. Ab aëre aut gaze elastico.
γ. Ab aqua, fæcibus, urina, aliove liquido in cavo contento, accumulato.
δ. A calculo, vel tumore in cavo nato.

CL. V. O. V. STENEANGEIÆ.

Gr. Στενεαγγεῖαι, a Στενὸς angustus, et Ἄγγος vas, aut canalis.

CHAR. DIAMETRI vasorum, canalium, aut organorum cavorum angustatio abnormis, permanens, et functiones lædens.

GENERA ad hunc Ordinem spectantia sunt:

GENUS I. STENOSIS.
II. ANXIS.

CL. V. O. V. STENEANGEIÆ.

G. CCCII. STENOSIS.

Gr. Στένωσις, seu Στενοχωρία, coarctatio.

Vasorum, aut canalium seu meatuum naturalium angustia, aut coarctatio abnormis (*). Morbus plerumque chronicus, sed quandoque etiam acutus.

SYN. Angustatio. Arctatio. Coarctatio. Constrictio. } *Auct.*

A. Stricture.
G. Retrecissement; constriction; coarctation.
Ge. Verrengerung.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab emphraxi seu obstructione aut occlusione canalium ex calculo, sanguine grummoso, muco, aliove humore coagulato aut concreto, eorum cavum replente.

β. Ab excrescentiis aut corporibus alienis cavum obstruentibus.

γ. A cicatrice, callo, aut induratione membranarum.

δ. Ab infiltratione aut stagnatione humorum in membranis, vasa aut canales constituentibus.

ε. A systasi, aut contractione spasmodica.

ζ. A thlipsi seu compressione ex tumoribus vicinis.

η. A synizesi seu collapsu, ex vasorum depletione.

ϑ. A symphysi seu concretione partiali parietum, maxime ex vulnere aut ulcere prægresso.

ι. Ab anxi seu strangulatione.

Sp. 1. Stenosis *Narium* (*Rhinostenosis*).

Cavi narium angustatio, ita ut æger ore aperto respirare cogatur.

Variat:

α. A coryza aut phlogosi membranæ mucosæ, cavum narium investientis.

β. Ab incrassatione aut tumore chronico membranæ mucosæ.

γ. A tumore periostei, aut ossium narium vel sinus maxillaris.

δ. Ab ulcere narium.

ε. A polypo narium.

Sp. 2. Stenosis *Ductus lacrymalis* vel *Sacci nasalis*. Vide infra *Fistula lacrymalis*.

Sp. 3. Stenosis *Faucium* (*Pharyngostenosis*).

Dyscataposia; alysmus; sæpe etiam dyspnœa; pnigophobia; bulimia; leptismus seu extenuatio corporis, ex defectu nutritionis.

Variat:

α. A phlogosi aut apostemate faucium, tonsillarum, parotidum etc.
β. A polypo faucium.
γ. A corpore extraneo deglutito, in faucibus hærente.
δ. A compressione ex tumoribus vicinis.
ε. A constrictione spasmodica.
ζ. Ab anxi.

Sp. 4. Stenosis *Œsophagi* (*Œsophagostenosis*).

Eadem fere symptomata ac speciei præcedentis.

Variat:

α. Ab extraneis deglutitis in eo hærentibus.
β. A tumore glandularum œsophagi.
γ. A contractione spasmodica.
δ. Ab anxi, compressione.

Sp. 5. Stenosis *Ventriculi* (*Gastrostenosis*).

Sp. 6. Stenosis *Pylori* (*Pylorostenosis*).

Gasteralgia; anorexia; apositia; nausea; alysmus; lygmus; hyperemesia; leipothymia; leptismus.

Variat:

α. Ab inflammatione, tumore, skirrho, ulcere pylori.
β. Ab intropressione cartilaginis xyphoidei.
γ. A tumore, sclerosi, steatomate hepatis.

Sp. 7. Stenosis *Intestinorum* (*Enterostenosis*).

Chronica vel acuta, præcipue in intestinis tenuibus cum enteralgia, dyscoilia, ischocoilia, hyperemesia: Non raro tumor durus intestini, digito palpanti instar chordæ perceptibilis. Vide etiam infra *Anxis intestinorum*.

Syn. Chordapsus (χορδαψὸς, gr.) } *Auct.*
Ileus seu Volvulus. }

Variat:

α. A phlogosi.
β. A constrictione spasmodica.
γ. A volvulo seu introsusceptione.

δ. Ab excrescentiis aut corporibus alienis, calculo etc. cavum obstruentibus.
ε. A compressione per tumores vicinos.

Sp. 8. Stenosis *Ductus kystici* vel *choledochi* (*Choledochostenosis.*)

α. A constrictione spasmodica.
β. A calculo impacto.
γ. A compressione ex tumore vicino.

Sp. 9. Stenosis *Ureterum.*

Variat:

α. A calculo e rene delapso, et in uretere impacto.
β. A grummis sanguinis, aut muco.
γ. A spasmo ureteris.
δ. A compressione aut induratione ureteris.

Sp. 10. Stenosis *Colli Vesicæ.*

Kystalgia; ischuria; dysuria; tenesmus; alysmus ingens; rhexis vesicæ; indeque ex urina in cellulosam effusa, gangræna sæpe lethalis.

Variat:

α. A calculo impacto.
β. A phlogosi, sclerosi, aut ulcere colli vesicæ.

γ. A phlogosi, sclerosi aut skirrho prostatæ.

δ. A contractione spasmodica.

ε. Ab utero gravido, aliisve tumoribus vicinis, collum vesicæ comprimentibus.

Sp. 11. Stenosis *Urethræ* (*Urethrostenosis*).

Urinæ missio solito frequentior, et diuturnior; urina filo tenui aut bifurcato prodiens; dysuria; ischuria; alysmus gravis et constans. Progressu morbi tumor urethræ retro stenosin ex urina acri ibidem retenta, unde frequenter ulcera in glande aut præputio rebellia, sæpius redeuntia; phlogosis urethræ, apostema, fistula in perinæo; vel erosio aut rhexis urethræ, et infiltratio urinæ in membranam cellulosam, partesque vicinas, præcipue in scrotum, cito in gangrænam lethalem abiens; vel ex urina in massam sanguinis absorpta metastases in variis corporis partibus, et non raro delirium ac mors subita. Morbus præcipue viris declinante ætate, minus æstate, maxime hyeme flante Euro-aquilone infestus, præprimis post exercitium violentum, aut post excessum potuum spirituosorum, aut usum aromaticorum stimulantium ingravescens; plerumque prope verumontanum, quandoque etiam in pluribus aliis urethræ locis simul occurrens.

Variat, ut stenosis in genere, præterea:

α. A tumore prostatæ, aliarumve glandularum urethræ.
β. Ab induratione aut incrassatione corporis cavernosi, aut membranarum urethræ.
γ. A verrucis aut excrescentiis in urethra.
δ. A sclerosi aut cicatrice urethræ ex phlogosi prægressa.
ε. A tumore varicoso in urethra vel in collo vesicæ, plerumque ex fluxu hæmorrhoidum suppresso, orto.

Sp. 12. Stenosis *Præputii* (*Posthostenosis.*)

Orificii præputii angustia abnormis, seu constrictio tanta, ut præputium retrorsum super glandem trahi, et hinc glans denudari nequeat. Phimosis *Recentiorum.* (*)

Variat:

α. A vitio connato.
β. A phlogosi aut tumore præputii vel glandis.

(*) *Phimosis* (φίμωσις) Galeno est meatuum naturalium præclusio, hinc ei idem fere, ac nobis Stenosis, significat. Sed recentiores nomen *Phimosis* sensu strictiore pro coarctatione præputii adhibent, et strangulationem balani ex præputio retro glandem constricto *Paraphimosin* appellant. Vide *Anxis.*

γ. Ab ulcere præputii aut glandis, præcipue syphilitico.

δ. Ab hydrope præputii.

Sp. 13. Stenosis *Vulvæ aut Vaginæ uteri* (*Kysthostenosis*).

Variat fere, ut *Urethrostenosis.*

Sp. 14. Stenosis *Intestini Recti* (*Archostenosis*).

Variat:

α A scybalis induratis, aut corporibus extraneis deglutitis vel per anum introductis, et in cavo recti hærentibus.

β. A sclerosi aut excrescentia fungosa in recto.

γ. A skirrho aut carkinomate.

δ. Ab inflammatione recti, aut tumore vasorum hæmorrhoidalium.

ε. Ab utero gravido aut tumoribus quibusvis vicinis, rectum comprimentibus.

ζ. A polypo, sycosi, etc.

η. A incrassatione aut tumore membranæ mucosæ recti.

Sp. 15. Stenosis *Ani* (*Proctostenosis.*)

Variat:

α. Ab inflammatione, apostemate.

β. A sycosi, condylomate, verruca, aut cicatrice ad anum.

γ. A tumoribus aut excrescentiis vicinis.

δ. A constrictione musculorum ani spasmodica.

ε. Ab infarctu vasorum hæmorrhoidalium.

ζ. Ab ecchymosi seu extravasatione sanguinis aut puris in membranam cellulosam ani.

G. CCCIII. ANXIS.

A gr. Ἄγξις, strangulatio, seu constrictio partis violenta.

Membranæ fibrosæ, aut fibrarum motricium contractio violenta, ab earum extensione subita prægressa orta, partem prolapsam aut introsusceptam strangulans; aut partis cujusvis compressio mechanica violenta, unde, ex sanguinis circulo in parte impedito, obstructio, phlogosis, dolor violentus, atque sæpe cito gangræna et mors (*).

(*) Anxes, seu Strangulationes partium, in praxi adeo frequenter occurrentes, plerumque oriuntur ex tumefactione magna et subita partium prolapsarum, aut e loco suo dimotarum, qua membrana fibrosa, aut fibræ

Sp. 1. Anxis *Herniæ*.

Intestini, omenti, aliarumve partium in hernia inguinali, umbilicali, femorali, aut foraminis ovalis etc. contentarum, strangulatio, reductionem recusans. Tumor et dolor sæpe immanes; hyperemesia; singultus; gangræna; aut etiam immediate sphakelus.

Syn. Hernia incarcerata. *Auct.*
Strangulatio herniæ.

Sp. 2. Anxis *Intestini*.

Portionis intestini aut appendicum ejusdem, præcipue Ilei vel coli constricti, in idem vel in aliud intestinum dilatatum immersio, quandoque ad magnam longitudinem; plerumque cum dolore plus minusve violento, ischocoilia, nausea vel hyperemesia rebelli stipata.

Syn. Ileus
Volvulus.
Introsusceptio intestinorum. } *Auct.*

Sp. 3. Anxis *Recti*.

Intestini recti ex ano prolapsi strangulatio,

---

musculares, partem superiorem herniæ vel prolapsus cingentes, ultra quam sequi possunt, distenduntur; vel etiam ex vi mechanica externe partem comprimente, aut constringente.

tumore enormi, summe dolorifico, et phlogosi sæpe cito gangrænescente stipata.

Sp. 4. Anxis *Uteri* aut *Vaginæ uteri*.

Vaginæ uteri, aut uteri ipsius ex vulva prolapsi strangulatio, insequente tumore, dolore, phlogosi et quandoque gangræna, aut sphakelo cito lethali.

Sp. 5. Anxis *Balani*.

Balani seu glandis penis strangulatio, ex præputio retro glandem denudatam retracto et violenter constricto, ita ut antrorsum supra glandem verti nequeat; unde tumor balani sæpe immanis, summe dolorificus, coloris e rubro-fusci aut lividi, sæpe cito in gangrænam aut sphakelum abiens.

Syn. Paraphimosis. *Auct.*

Sp. 6. Anxis *Digiti* etc.

Strangulatio digiti, aliusve membri cujusvis corporis ex annulo, fune, aut ligatura violenter constringente; unde tumor partium constrictarum prægrandis, dolentissimus, cito in gangrænam abiens.

CL. V. O. VI. ONCOSES,

seu TUMORES.

Gr. ὌΓΚΟΙ s. ΟΓΚΏΣΕΙΣ, ab ὄγκος s. ὄγκοσις tumor.

Char. Partis externæ magnitudo aucta, seu volumen abnorme, functiones impediens.

A. Tumors.
G. Tumeurs.
Ge. Geschwülste.

SECT. I. TUMORES INFLAMMATORII.

SECT. II. TUMORES SEQUELÆ PHLOGOSIS.

SECT. III. TUMORES SANGUINEI.

SECT. IV. TUMORES AQUOSI.

SECT. V. TUMORES AËREI.

SECT. VI. TUMORES GLANDULOSI.

SECT. VII. TUMORES ORGANICI.

SECT. VIII. TUMORES SACCATI.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt:

SECT. I. TUMORES INFLAMMATORII.

A. PHLOGISMATA.

Genus I. PHLEGMONE.
II. DOTHIEN.
III. DACTYLITIS.
IV. ULITIS.
V. ADENITIS.

B. EPIPHLOGISMATA.

Genus VI. ERYTHEMA.
VII. CAUMA.
VIII. CHIMETLON.
IX. THELITIS.
X. KYSTHITIS.
XI. POSTHITIS.
XII. BALANITIS.
XIII. URETHRITIS.
XIV. OSCHEITIS.
XV. PROCTITIS.

Γ. INOPHLOGISMATA.

Genus XVI. ARTHROPHLOGOSIS.
XVII. PERIOSTITIS.

SECT. II. SEQUELÆ PHLOGOSIS.

Genus XVIII. APOSTEMA.
XIX. EMPYEMA.
XX. DIADEXIS.
XXI. SCLEROSIS.
XXII. GANGRÆNA, et SPHAKELUS.
XXIII. ANTHRAX.

SECT. III. TUMORES SANGUINEI.

Genus XXIV. ANEVRYSMA.
XXV. KIRSOS *s.* VARIX.
XXVI. ECCHYMOSIS.

SECT. IV. TUMORES AQUOSI.

Genus XXVII. HYDERONCUS.

SECT. V. TUMORES AËREI.

Genus XXVIII. PHYSEONCUS.

SECT. VI. TUMORES GLANDULOSI.

A. Universales.

ADENITIS.
ANTHRAX.
XXIX. ADENOSCLEROSIS.
XXX. SKIRRHUS.
XXXI. CARKINOMA.
XXXII. CHOIRAS *s.* SCROFULA.

B.

B. Particulares.

Genus XXXIII. PHYMA.
XXXIV. PHYGETHLON.
XXXV. HYPOGLOSSIS.
XXXVI. PAROTONCUS.
XXXVII. ANTIADONCUS.
XXXVIII. THYRONCUS.
XXXIX. MASTONCUS.
XL. MASCHALONCUS.
XLI. PROSTATONCUS.

SECT. VII. TUMORES ORGANICI.

Genus XLII. OPHTHALMONCUS.
XLIII. BLEPHARONCUS.
XLIV. CHEILONCUS.
XLV. ULONCUS.
XLVI. GLOSSONCUS.
XLVII. STAPHYLONCUS.
XLVIII. DEIRONCUS.
XLIX. HEPATONCUS.
L. SPLENONCUS.
LI. NEPHRONCUS.
LII. KYSTONCUS.
LIII. OMPHALONCUS.
LIV. ETRONCUS.
LV. BUBONONCUS.
LVI. ORCHIONCUS.

LVII. OSCHEONCUS.
LVIII. PSOLONCUS.
LIX. POSTHONCUS.
LX. OVARIONCUS.
LXI. HYSTERONCUS.
LXII. CREMNONCUS.
LXIII. BRACHIONCUS.
LXIV. SKELONCUS.
LXV. GONONCUS.
LXVI. ARTHRONCUS.
LXVII. OSTEONCUS.

SECT. VIII. TUMORES SACCATI.

Genus LXVIII. ATHEROMA.
LXIX. LIPOMA.
LXX. STEATOMA.
LXXI. SPONGOSIS.
LXXII. GANGLION.
LXXIII. HYDROKYSTIS.
LXXIV. HYDATIS.

THEORIA TUMORUM GENERALIS.

Tumores in corpore humano ex quadruplici fonte oriri videntur:

1°. Ex incitata actione seu aucto motu vasorum secernentium in parte. 2°. Ex diminuta actione vasorum absorbentium. 3°. Ex mutatione actionis vasorum secernentium et absorbentium reciprocæ. 4°. Ex vitio humoris ad partem allati.

Si actio vasorum secernentium in parte quacunque corporis augetur, aut actio vasorum absorbentium in eadem diminuitur, accumulationem humorum in parte, seu tumorem oriri debere facile patet. Sed tumor etiam oritur, si vasorum secernentium motus augetur, absque quod actio vasorum absorbentium simul augeatur; vel si motus vasorum secernentium in parte quacunque normalis est, sed motus vasorum absorbentium in eadem torpet. Præterea accumulatio humorum in parte etiam fieri potest, sub motu vasorum arteriosorum in eadem parte normali, ex suspensa aut abolita actione seu pa-

ralysi vasorum absorbentium ; vel ex eorum compressione mechanica, aut demum etiam ex strangulatione partis affectæ. Accumulationem humorum in parte quacunque præterea etiam oriri posse sub statu vasorum secernentium et absorbentium cæterum sano, ex qualitate humoris ad partem advecti vitiosa, indeque nata irritatione aut obstructione, quotidie observamus :

Hinc distinctio essentialis tumorum prodit :

1°. In eos, qui ex accumulatione materiæ similis, qualis in statu normali constanter secerni solet, oriuntur. 2°. In eos, qui ex materia aliena, aut vitiosa qualitate peccante ad partem allata : ex lacte coagulato, urina etc, aut metastasi, vel ex humore spisso, crasso, terrestri, acri, salino etc. ad partem deposito ; ac 3°. demum in eos, qui ex accumulatione humoris initio sani, sed progressu temporis crasi sua normali mutati et degenerati, locum habere solent.

Tumores præterea differunt :

1°. Pro organisatione aut structura et numero vasorum partis affectæ. 2°. Pro irritabilitate aut sensibilitate ejusdem majore vel minore. 3°. Pro materia contenta. 4°. Pro ætate ægri. 5°. Pro constitutione seu habitu corporis ægri peculiari.

Tumores etiam differunt characteribus externis :

1°. Forma. 2°. Consistentia. 3°. Colore. 4°. Elasticitate. 5°. Duritie. 6°. Mutatione coloris in eorum superficie. 7°. Gradu adhæsionis cuti vel partibus vicinis 8°. Dolore. 9°. Celeritate aut tarditate eorum incrementi. 10°. Ulceratione.

Auctores etiam tumores divisione generali in *calidos* et *frigidos* distinxerunt.

Ad Tumores etiam referri possent *Excrescentiæ* ac *Herniæ* et *Prolapsus*, quos ad ordines separatos relegavimus.

SECT. I. TUMORES INFLAMMATORII, seu PHLOGISTICI.

Partis externæ tumor, calor, rubor et tensio dolens.

Syn. Tumores phlogostici.
Inflammationes externæ. } *Auct.*
Phlogoses (Gr. Φλωγοσεις).

A. External inflammations.
G. Tumeurs inflammatoires.
Ge. Entzündungsgeschwülste.

THEORIA TUMORUM INFLAMMATORIORUM.

Phlogoses seu inflammationes in parte corporis quacunque externe visibili oriundæ inter

se differunt, ut Phlegmasiæ, de quibus V. I. p. 49 et seq. egimus. Ex hac ratione tumores inflammatorios externos distinguimus in

1°. *Phlogismata* seu tumores inflammatorios, qui sedem suam in membrana cellulari vel tunica adiposa cutis, vel in glandula quacunque subcutanea habent, et plerumque in suppurationem seu apostema, sed quandoque etiam in sclerosin seu tumorem durum, aut in gangrænam abeunt.

2°. *Epiphlogismata* seu phlogoses, quæ in membrana mucosa, in externa corporis superficie, vel in naribus, faucibus aut in urethra vel vagina etc. sedem habent, et plerumque magno tumore, colore flammeo, et ardore intenso, ac pro ratione loci etiam frequenter secretione muci puriformis copiosa stipantur; per se nunquam, nisi cum phlogosi membranæ cellularis junctæ, in suppurationem, sed quandoque in desquammationem epidermidis, vel in ulcera, aut etiam in gangrænam abeunt.

3°. *Inophlogismata* seu phlogoses membranæ fibrosæ, quæ sedem suam in vaginis musculorum aut in tendinibus, ligamentis, capsulis articulorum, bursis synovialibus, aut in periosteo habent, nunquam, nisi cum phlogosi membranæ cellularis junctæ, suppu-

rant, sed plerumque calore et dolore violento ex distensione hujus membranæ, non raro etiam tumore et rubore partis affectæ stipantur; quandoque immobilitatem membri, vel extravasatione materiæ peculiaris in articulis nodos duros, aut etiam parvas concretiones duras et mobiles post se relinquunt.

Ex mox dictis elucet, hos tumores inflammatorios non solum sede, sed et natura sua, essentialiter inter se differre, hincque methodum medendi omnino diversam requirere, ut jam supra loco citato innuimus. Vide Cl. I. O. II. Phlegmasiae.

Causa *proxima* tumorum inflammatoriorum est:

1°. Irritatio partis ex stimulo chemico vel mechanico, externe vel interne applicato, contractionem spasmodicam et oscillationem fibrarum irritabilium et sensibilium, seu actionem vasorum secernentium in parte affecta plus minusve validam excitans, et hinc affluxum humorum et circulationem in eadem augens.

2°. Obstructio vasorum in parte affecta, ex debilitate aut torpore vasorum oriunda, ut fit in contusione, concussione violenta, constrictione, compressione, ligatura etc.; vel ex spissitudine aliove vitio chemico hu-

moris ad partem allati, unde accumulatio et congestio ejusdem in vasis debilitatis, sæpe cum extravasatione juncta, irritationem ac inde inflammationem excitans.

Tumores inflammatorii sæpe ex causa externa evidente, vel etiam latente, apparent sine ulla febre; vel ex febre prægressa, aut ex migratione seu translatione humoris ex una parte corporis in aliam, sæpe longe dissitam; vel etiam ex humore heterogeneo in massa sanguinis generato et ad partem deposito oriuntur. Quandoque etiam ex inflammatione vehementiore in parte prægressa febris accedit: In priori casu febris morbus primarius est; in secundo ut morbus secundarius seu symptomaticus considerari debet.

Phlogoses externæ præterea sæpe cum saburra gastrica complicantur, quæ originem suam ex vitiis diætæ, ebrietate, ingluvie, ingestis crudis indigestibilibus; aut ex bile, quantitate vel qualitate peccante; quandoque etiam ex animi pathematibus, timore, terrore etc ducit, quæ omnia attentionem medici peculiarem requirunt. Cæterum in genere, quo irritamentum seu stimulus major, aut quo pars affecta irritabilior aut sensibilior, eo vehementior est inflammatio.

CL. V. O. VI. ONCOSES, seu TUMORES.

SECT. I. TUMORES INFLAMMATORII.

A. Phlogismata. (Gr. Φλογίσματα *Hipp.*).

Phlogoses, seu Tumores inflammatorii membranæ cellularis, vel glandulæ, aut visceris cujuscunque, in externa corporis superficie apparentes.

G. CCCIII. PHLEGMONE.

Gr. Φλεγμονή, a φλεγω incendo, inflammo: Phlogosis *s.* inflammatio.

Tumor inflammatorius in corio seu tunica adiposa cutis, durus, plerumque sphæroideus et in fastigium elevatus; quandoque late per totum membrum diffusus, cum calore et rubore intenso, dolore pulsatili, pungente vel tensivo; sponte et facile in apostema, sæpe etiam in sclerosin, aut in gangrænam abiens.

SYN. Tumor inflammatorius verus. *Auct.*
Inflammatio. *Boerhave.*
Phlogosis phlegmone. *Cullen.*

A. Phlegmon.
G. Tumeur inflammatoire.
Ge. Aechte Entzündungsgeschwulst; Fetthautentzündung.

Sp. 1. Phlegmone *Sthenica.*

Phlegmone contractione et oscillatione fibrarum irritabilium ac sensibilium, et actione vasorum secernentium valida stipata; cito in apostema, aut etiam quandoque in gangrænam abiens.

VARIAT pro causa remota:

α. A vulnere majore inflicto.
β. Ab operatione chirurgica prægressa.
γ. Ab actione ignis aut frigoris violenti.
δ. Ab acri externe applicato.
ε. Ab humore acri in corpore nato, et ad partem affectam deposito.
ζ. A metastasi febrili.
η. A saburra biliosa, aut ingestis crudis, acribus, stimulantibus, partem externam sympathice afficientibus.

Sp. 2. Phlegmone *Asthenica.*

Phlegmone actione vasorum secernentium, vel vasorum absorbentium torpida aut debili stipata; unde accumulatio et congestio humorum in parte affecta, difficilius in apostema, sæpe in sclerosin, aut etiam in gangrænam abiens.

VARIAT pro causa remota :

α. Ab inflammatione violenta prægressa.
β. A metastasi febrili, lactea etc.
γ. A concussione, vel contusione violenta.
δ. A constrictione, strangulatione, ligatura, compressione vasorum: ut in hernia incarcerata, prolapsu vaginæ, ani etc.
ε. A frigore aut calore violento.
ζ. Ab extravasatione sanguinis vel lymphæ in tela cellulosa.
η. A spissitudine, aliove vitio chemico humorum ad partem advectorum.

Huc etiam referendæ sunt :

DERMATITIS.
ORCHITIS.
OVARITIS.
HYSTERITIS.

Vide V. I. p. 68 et seq.

G. CCCIV. DOTHIEN.

Gr. Δοθιὴν, Furunculus *Celsi.*

Tumor in corio seu cute proprie sic dicta, tuberculosus, rotundus, circumscriptus, durus, profunde ruber; plerumque, maxime in junioribus aut delicatulis, summe dolorificus, in fastigium altum elevatus, nucis avellanæ, rarius ovi columbini magnitudine, modo cito, modo lente et difficulter suppurans. Apostema pluribus foraminulis ruptum primo materiem puriformem multo sanguine mixtam fundit, nucleo, ex fibris densis et crassis, subalbidis, subrubris compacto, in centro tumoris remanente, qui in pus verti recusat, et quandiu ibi hæret formationem cicatricis impedit; sed eodem separato aut arte educto, ulcus plerumque cito sanatur. Quandoque furunculo uno sanato alius in vicinia, vel etiam plures alii in variis corporis partibus apparent (*).

(*) Hic tumor solitarius utplurimum morbus mere localis est; sed si majoris voluminis, vel si partem valde

Syn. Furunculus. }
Abcessus nucleatus. } *Auct.*
——— sanguineus. }

A. A Boil.
G. Clou ; furoncle.
Ge. Blutschwär ; Blutbeule.

Sp. 1. Dothien *Idiopathicus.*

A vitio locali dependens.

Sp. 2. Dothien *Symptomaticus.*

A vitio sanguinis generali, aut morbo alio corporis oriundus; tuncque plerumque in pluribus locis simul apparens.

Variant pro causa remota:

α. A spissitudine aliove vitio humorum.
β. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.
γ. A metastasi febrili aut diadexi lactea etc.
δ. A vitio syphilitico, scrofuloso etc.

---

sensibilem aut subjectum irritabile afficit, vel si plures tales tumores simultanee in cute erumpunt, sæpe dysphoria generalis adest cum febre primaria vel secundaria. — An sedes hujus mali semper sit in glandula mucosa, an in tunica adiposa cutis, an modo in illa, modo in altera, nondum exacte determinatum est.

G. CCCV. DACTYLITIS.

A Gr. Δάκτυλος digitus : Inflammatio digiti.

Tumor inflammatorius, præprimis ultimam phalangem digiti cujusdam manus aut pedis occupans, plerumque summe dolorificus, pulsans, cito in apostema abiens. Quandoque, si sedes mali profundior, tumor vix ullus, sed dolor et phlogosis violenta, cito cariem ossiculi phalangis inducens.

Syn. Paronychia (Gr. Παρονοχία, a παρά prope, et ὄνυξ unguis).
Panaritium. *Auct.*

A. Witloe; Withlow.
G. Panaris; le mal d'aventure.
Ge. Fingerentzündung; Wurm am finger.

Variat sede :

1. In cute vel tunica adiposa sub aut prope unguem.
2. In vagina tendinum.
3. In periosteo phalangis.

Variat pro causa remota :

α. A punctura, contusione, aliave vi externa illata.

β. A pressione aut incurvatione unguis.
γ. Ab acri externe applicato.
δ. Ab insectis aut vermibus in corio, aut sub ungue nidulantibus.
ε. A frigore violento.
ζ. Ab osteophtoria.
η. A metastasi.

G. CCCVI. ULITIS.

A Gr. Οὖλον gingiva : Inflammatio gingivæ.

Tumor tuberculosus in quacunque parte gingivæ, calidus, ruber, dolens, sæpe accedente tumore, calore, ac rubore genæ lateris affecti, cito in apostema abiens; plerumque ex inflammatione periostei aut carie radicis dentis vicini oriundus. Vide etiam infra *Uloncus*.

Syn. Parulis (Gr. παρουλίς, a παρὰ juxta et οὖλον gingiva).

A. Boil or abscess in the gums.
G. Parulis, ou Parulie.
Ge. Zahnfleischgeschwulst; Zahngeschwür.

G. CCCVII. ADENITIS.

A Gr. Ἀδὴν glandula : Inflammatio glandulæ.

Tumor inflammatorius glandulæ cujusvis corporis humani, durus, dolens, calore et rubore stipatus, sæpe in apostema, aut in gangrænam, vel sclerosin, et quandoque etiam in skirrhum et carkinoma abiens.

Sp. 1. Adenitis *Mucosa.*

Tumor inflammatorius glandulæ cujusvis mucosæ corporis. Vide *Dothien.*

Sp. 2. Adenitis *Sebacea.*

Glandulæ cujusvis sebaceæ tumor inflammatorius in superficie corporis, maxime in facie, palpebris, scroto et labiis vulvæ, frequenter in apostema vel sclerosin abiens. Vide infra *Phyma.*

Sp. 3. Adenitis *Lymphatica.*

Glandulæ cujusvis lymphaticæ corporis tumor inflammatorius, sæpe cito in apostema, sed quandoque etiam in gangrænam aut sclerosin abiens. Vide infra *Phygethlon.*

Sp. 4.

Sp. 4. Adenitis *Salivalis*.

Glandulæ cujusvis salivalis tumor inflammatorius, plerumque in apostema, quandoque etiam in gangrænam terminans.

Vide etiam V. I, p. 74 et seq. *Parotitis*, *Antiaditis*, *Pancreatitis*, et infra : Tumores glandulosi.

Variant pro causa remota, ut *Phlegmone*.

B. Epiphlogismata (Gr. Ἐπιφλογίσματα. *Hipp.*).

Phlogoses, seu Tumores inflammatorii, membranæ mucosæ in quacunque corporis parte externe visibili ortæ, ardore et rubore flammeo stipati.

Syn. Tumores erysipelatosi. } *Auct.*
——— inflammatorii spurii. }
Inflammationes externæ spuriæ. }

G. CCCVIII. ERYTHEMA.
Gr. Ἐρύθημα rubor.

Tumor in superficie corporis sub epidermide diffusus coloris rubri rosei, pressione evanescentis, plerumque ca-

lore et dolore ardente stipatus; per se nunquam suppurans, sed plerumque re-lutione simplici, vel exsudatione humoris limpidi et desquammatione epidermidis terminans; quandoque in vesiculas et ulcuscula, aut etiam in gangrænam abiens.

SYN. Phlogosis Erythema. *Cull.*
Erysipelas. *Auct.* (*).

A. Erysipelatous Swellings, or Inflammations.
G. Tumeur érysipelateuse.
Ge. Unächte Entzündung; Rosenartige Geschwulst; Rothlaufgeschwulst.

Sp. 1. Erythema *Simplex*.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab acri aut stimulo chemico externe applicato.
β. A spina infixa, aliove stimulo mechanico irritante.
γ. A punctura insectorum, apium, vesparum, scorpionum, formicarum, cimicum etc.

(*) Erythema febre stipatum. Vide supra V. I. p. 144. G. *Erysipelas.*

δ. A morsura serpentum aliorumve animalium venenatorum.

ε. Ab acri quocunque in loco alieno, vel in massa sanguinis generato, aut retento, absorpto, et ad partem externam cutis deposito.

ζ. A saburra biliosa primarum viarum.

η. A venenis aut acribus peculiaribus ingestis.

ϑ. A percussione radiorum solarium aut calore violentiore applicato. Vide *Cauma.*

ι. A gelu. Vide *Chimetlon.*

Sp. 2. Erythema *Pustulosum.*

Maculæ et pustulæ rubræ, guttatæ in facie, parum prominentes, asperæ, chronicæ.

Syn. Gutta rosea.
———— hepatica. } *Auct.*
———— symptomatica. }

Variat:

α. A potu aquæ frigidæ, præcipue æstuante corpore.

β. Ab ingestis insipidis vegetabilibus.

γ. Ab ingestis quibusdam acribus.

δ. Ab ebrietate habituali.

ε. A vitio ventriculi.

ζ. A vitio hepatis.

η. Ab animi pathematibus, præcipue tristibus.

ϑ. A Dysmenia aut ischomenia.

Sp. 3. Erythema *Paratrimma*.

A Gr. Παράτριμμα, intertrigo. *Lat.*

Phlogosis membranæ mucosæ in superficie corporis, ab attritu aut compressione ex decubitu, equitatione, vel frictione violentiore, aut etiam ex transudatione materiæ acris irritantis orta, sæpe cum excoriatione epidermidis juncta. Vide etiam *Ecdarsis*.

G. CCCIX. CAUMA.

Gr. Καῦμα adustio, a καίω urere; vel etiam Καῦσις, Ἔγκαυσις s. Συγκαυσις, s. Κατάκαυσις s. Περίκαυσις ambustio, combustura, unde etiam Ἔγκαυμα pustula ex combustione.

Phlogosis in superficie corporis externa, summe dolorifica, ardens, ex ignis gradu violento applicato orta (*).

(*) Calor moderatus corpori organico applicatus, illud lenitur irritando, sensationem gratam causat; major inflammationem in parte excitat, violentior summam inflammationem cito gangrænescentem, vel mortificationem partis perfectam subito inducit.

Syn. Adustio.
Loca adusta. } *Lat.*
Ambustio.

A. Burns, Scalds.
G. Brûlure.
Ge. Verbrennung; Brandschaden.

Sp. 1. Cauma *Simplex.*

Phlogosis membranæ mucosæ in quacunque corporis parte externa, ex igne aut caloris gradu vehementiore, vel etiam ex caustico quocunque acri, urente applicato orta.

Sp. 2. Cauma *Ulcerosum.*

Inflammatio membranæ mucosæ, simul ac corii substrati, tumore et dolore violento stipata; sæpe cum vesiculis aut separatione epidermidis et febre juncta, ex ignis aut caloris gradu violento vel caustico quovis applicato orta, cito in suppurationem abiens.

Sp. 3. Cauma *Gangrœnosum.*

Inflammatio cutis plus minusve profunda ex violento ignis gradu, cito in gangrænam, vel etiam mox in sphakelum terminans.

G. CCCX. CHIMETLON.

Gr. Χίμετλον, a Χεῖμα hiems.

Tumor inflammatorius membranæ mucosæ, profunde ruber vel purpureus, in quacunque parte externa corporis, præcipue in pedibus, manibus, auribus, et naso, ex intenso frigoris gradu diutius applicato ortus; noctu præcipue cnesmum summe molestum aut etiam dolorem excitans (*).

Syn. Pernio. *Auct.*

A. Chilblain; kibe.
G. Engelure.
Ge. Frostbeule; Winterbeule; Erfrorne Glieder; Erfrierungen.

(*) Lenis frigoris gradus corpus humanum leviter stimulans, actionem cordis et systematis arteriosi auget, major constrictionem vasorum cutaneorum spasticam, rigorem musculorum, ac oppressionem pectoris et anxietatem inducit; violentior gradus primo somnolentiam, dein apoplexiam et mortem inducit; fluida in glaciem vertit, et partes omnes molles inflexiles reddit.

Sp. 1. Chimetlon *Simplex.*

Tumor et rubor cum sensu caloris, et cnesmo plus minusve violento, ac immobilitate partis affectæ junctus.

Sp. 2. Chimetlon *Ulcerosum.*

Rubor et tumor partis cum excoratione epidermidis aut phlyctænis cito in ulcera abeuntibus : Ulcus asthenicum sæpe rebelle et ichorem acrem fundens ; quandoque ad os usque penetrans et cariem inducens.

Sp. 3. Chimetlon *Gangrœnosum.*

Phlogosis partis externæ ex frigore intenso, præcipue diutius applicato orta, cito in gangrænam abiens ; quandoque etiam, sine inflammatione prægressa, sphakelus, seu mors partis subita, ex gelu intenso applicato.

G. CCCXI. THELITIS.

A Gr. Θηλὴ papilla.

Tumor inflammatorius papillæ seu mamillæ, aut areolæ mammæ.

Sp. 1. Thelitis *Simplex.*

Phlogosis membranæ mucosæ mamillæ.

Sp. 2. Thelitis *Complicata.*

Phlogosis membranæ mucosæ, simul ac corii substrati, aut glandulæ sebaceæ papillæ, plerumque ulcere stipata.

Variant pro causa remota:

α. A frictione aut attritu externo.
β. A saliva acri infantis.
γ. A viru syphilitico applicato.
δ. A frigore.
ε. Ab inflammatione mammarum.
ζ. A menstruorum suppressione.
η. A saburra gastrica.
ϑ. A læsione externa.

G. CCCXII. KYSTHITIS.

Gr. Κυσθῖτις, a Κύσθος vulva: Inflammatio vulvæ, aut vaginæ uteri.

Tumor inflammatorius, potissimum ex phlogosi membranæ mucosæ vaginæ uteri aut labiorum vulvæ, vel orificii uteri ortus, rubore, calore et dolore ardente vel gravativo circa genitalia, in hypogastrio, aut etiam in lumbis stipatus, sæpe cum blennorrhagia junctus,

aut etiam cum inflammatione membranæ cellularis substratæ complicatus.

Vide etiam V. I. p. 190, *Blennorrhagia Vaginalis.*

Syn. Colpitis *Auct.*

Sp. 1. Kysthitis *Simplex.*

Phlogosis membranæ mucosæ, labia vulvæ, vaginam uteri, aut collum uteri interne investientis.

Sp. 2. Kysthitis *Complicata.*

Phlogosis membranæ mucosæ, simul ac membranæ cellularis substratæ, aut glandularum vulvæ, plerumque cum ulcere juncta.

Variant pro causa remota:

α. A viru syphilitico, aliove acri quocunque externe applicato.

β. A diadexi, seu ab humore acri quocunque sedem mutante, et ex alia parte, vel etiam ex massa humorum ad vulvam deposito.

γ. A metastasi febrili, parotidum.

δ. A pessario, vel injectione, aut lotione acri.

ε. Ab ascaridibus in vulva nidulantibus.

ζ. Ab humore acri, ex utero destillante.

η. Ab irritatione vasorum hæmorrhoidalium.

G. CCCXIII. POSTHITIS.

Gr. Ποσθῖτις, a πόσθη præputium : Phlogosis præputii.

Tumor inflammatorius membranæ mucosæ, superficiem internam et externam præputii investientis, cum calore, rubore et dolore præputii, ita ut sæpe glans denudari nequeat; quandoque etiam cum excretione materiæ puriformis ex orificio præputii junctus.

Syn. Phimosis. *Auct.* (*).

Vide etiam infra *Posthoncus*.

Sp. 1. Posthitis *Simplex*.

Tumor præputii, ex inflammatione membranæ mucosæ ejusdem.

Sp. 2. Posthitis *Complicata*.

Tumor præputii ex inflammatione mem-

(*) Nomen *Phimosis*, ut supra notavi, Græcis significat meatuum naturalium præclusio. Hinc æque convenit ano, urethræ, vulvæ, ac præputio. Recentiores hoc nomen improprie applicarunt vitio præputii glandem ita tegentis, ut denudari nequeat. Alii etiam sub nomine *Phimosis* capistrationem intellexerunt. Vide supra *Stenosis*.

branæ mucosæ, simul ac membranæ cellularis substratæ, aut glandulæ subcutaneæ, mucosæ vel sebaceæ, plerumque ulcere aut ulcusculis pluribus stipatus.

VARIANT pro causa remota :

α. Ab acri quocunque externe applicato.
β. A viru syphilitico.
γ. A læsione quacunque : vulnere, punctura, contusione etc.
δ. A diadexi, seu ab humore acri ex massa humorum ad præputium deposito : herpetico, syphilitico, leproso, podagrico etc.
ε. Ab irritatione in quadàm urethræ parte, aut etiam in vasis hæmorrhoidalibus.

G. CCCXIV. BALANITIS.

Gr. Βαλανῖτις, a Βάλανος Balanus *s.* glans penis : Inflammatio balani.

Tumor inflammatorius balani, sæpe cum blennorrhagia aut ulcere glandis complicatus, quandoque cito in gangrænam abiens.

Vide V. I. p. 100, *Blennorrhagia Balani* et infra *Anthrax*.

Variat pro causa remota:

α. A viru syphilitico, aliove acri externe applicato.
β. Ab humore acri quocunque, ex massa humorum ad glandem deposito.
γ. A stenosi urethræ.
δ. Ab irritatione quacunque violentiori in quadam urethræ parte.
ε. Ab irritatione in vesica vel in vasis hæmorrhoidalibus.
ζ. A præputio retro glandem colis revulso, coronam glandis violenter constringente (*).

G. CCCXV. URETHRITIS.

Gr. Οὐρηθρῖτις, ab Οὐρήθρα urethra seu meatus urinarius: Inflammatio urethræ.

Tumor et rubor orificii urethræ utriusque sexus, cum calore et dolore in quadam parte urethræ; ardor, præcipue inter mingendum intensus, dysuria et

---

(*) Si hic tumor a constrictione præputii retro glandem retracti pendet, a recentioribus vulgo *Paraphimosis* appellatur. Hic morbus neglectus vel male tractatus, sæpe ex strangulatione violenta cito in gangrænam balani abit. Vide *Anxis balani.*

stranguria, accedente plerumque excretione materiæ puriformis copiosa ex urethra (*). — In viris præterea tumor et rubor balani abnormis; erectiones, præcipue noctu, solito frequentiores et summe dolorificæ.

Vide etiam V. I. p. 189, *Blennorrhagia urethralis.*

Sp. 1. Urethritis *Simplex.*

Phlogosis membranæ mucosæ, urethræ cavum interne investientis.

Variat pro causa remota:

α. A viru syphilitico aut acri quocunque externe applicato.

β. Ab acribus interne assumptis, præcipue lytta vesicatoria etc.

γ. Ab acri herpetico, leproso, podagrico etc ex massa humorum metastatice ad urethram deposito.

(*) In inflammatione urethræ violenta, ex constrictione spasmodica vasorum membranæ mucosæ secernentium, sæpe omnis secretio muci sistitur, et nulla ejusdem ex urethra excretio locum habet. Hunc morbi statum auctores vulgo et improprie *Gonorrhœam siccam* appellarunt.

δ. A calculo ex vesica propulso et in urethra impacto.

ε. A lapillis, nucleis, pisis, cereolis medicatis acribus, aliisve heterogeneis in urethram immissis aut intrusis.

ζ. A tumore vel irritatione vasorum hæmorrhoidalium.

η. A fluxu vasorum hæmorrhoidalium consueto suppresso.

Sp. 2. Urethritis *Complicata* :

1. Cum phlogosi membranæ cellularis aut glandularum urethræ, plerumque erosione aut ulcere stipata
2. Cum phlogosi membranæ fibrosæ penis.

G. CCCXVI. OSCHITIS.

Gr. Ὀσχῖτις, ab Ὄσχη scrotum : Phlogosis scroti.

Tumor inflammatorius scroti, cum calore, rubore et dolore partis affectæ.

Sp.. 1. Oschitis *Simplex*.

Phlogosis membranæ mucosæ scroti.

Sp. 2. Oschitis *Complicata*.

Phlogosis membranæ mucosæ, simul ac co-

rii substrati aut glandularum scroti, sæpe cum ecdarsi aut ulcere juncta.

VARIANT ut Posthitis, Balanitis, etc.

G. CCCXVII. PROCTITIS.

A Gr. Πρωκτῖτις, a πρωκτὸς anus : Phlogosis ani.

Tumor inflammatorius membranæ mucosæ ani, vel extremitatis intestini recti prope anum; plerumque tenesmo frequenti, dysuria, quandoque etiam excretione materiæ mucosæ, limpidæ, vel albæ lactescentis aut puriformis, ex ano stipata, quandoque cum ulcere complicata.

Vide etiam V. I. p. 181 et seq. *Blennorrhagia ani*, et *Proctalgia*.

VARIAT pro causa remota :

α. A læsione, ictu, contusione aliave vi externa illata.

β. A tumore vasorum hæmorrhoidalium.

γ. A prolapsu recti.

δ. A vermibus, præcipue ascaridibus.

ε. A corpore extraneo intruso, vel deglutito et cum fæcibus ad anum allato, irritante, impacto.

ζ. Ab accumulatione aut duritie fæcum.

η. Ab viru syphilitico.

ϑ. Ab humore herpetico aliove acri huc deposito.

ι. Ab enemate acri, aliisve acribus applicatis.

κ. A pure aut ichore, ex osphytide prægressa, aut ex apostemate visceris cujusdam abdominalis rupto, ad anum delato.

Huc etiam recte pertinent :

Ophthalmitis Blennodes.
Otitis ———
Isthmitis ———
Kystitis ———

Vide V. I. p. 116, Phlegmasiae Blennodes.

Γ. Inophlogismata. (Gr. Ἰνοφλογίσματα, ab Ις ἰνὸς fibra, et φλόγωσις : Phlogosis membranæ fibrosæ.

Phlogoses, seu tumores inflammatorii membranæ fibrosæ, in quacunque corporis parte externa visibiles; calore, dolore sæpe acutissimo, et non raro etiam rubore roseo stipati.

G. CCCXVIII.

G. CCCXVIII. ARTHROPHLOGOSIS.

Gr. Ἀρθροφλόγωσις ab Ἄρθρον articulus, et φλόγωσις inflammatio: Phlogosis articuli.

Tumor inflammatorius membranæ fibrosæ articulorum, musculorum eorumque aponevrosium, tendinum eorumque vaginarum, capsularum articularium, vel bursarum seu sacculorum synovialium, in quacunque corporis parte.

Sp. 1. Arthrophlogosis *Simplex.*

Sp. 2. Arthrophlogosis *Complicata.*

Phlogosis membranæ fibrosæ, simul ac glandularum articuli, aut membranæ cellularis, cavitates articulorum investientis, sæpe in suppurationem, aut etiam in cariem ossis abiens (*).

VARIAT pro causa remota :

α. A transpiratione aut sudore frigore suppressis.

(*) Membrana synovialis, cavitates articulorum, coxæ, genu, humeri etc. investiens, texturæ cellularis est, non fibrosæ. Suppuratio, in cavo articulorum nata, sedem suam præcipue in membrana cellulari habet.

β. A vitio podagrico.
γ. A vitio scrofuloso.
δ. A vitio syphilitico.
ε. Ab osteophthoria seu corruptione ossis interna, aut a vitio medullæ.
ζ. A læsione aut vi quacunque externe illata.

Vide V. I. 148. *Arthritis*, et p. 440 etc. *Osphyalgia; Ischialgia; Arthrodynia.*

G. CCCXIX. PERIOSTITIS.

Gr. Περιοστῖτις a περὶ super et ὀστέον os: Phlogosis periostei.

Tumor inflammatorius membranæ fibrosæ, externam ossium superficiem, sub nomine *Periostei*, undique investientis.

Sp. 1. Periostitis *Simplex.*

Sp. 2. Periostitis *Complicata.*

Inflammatio periostei, simul ac membranæ mucosæ, aut etiam membranæ cellularis contiguæ, in quacunque parte externa corporis.

Huc etiam recte pertinent:

1. Ophthalmitis fibrosa.
2. Otitis fibrosa.

3. Orchitis fibrosa.
4. Urethritis fibrosa.
5. Psolitis fibrosa.

SECT. II. TUMORES SEQUELÆ PHLOGOSIS.

G. CCCXX. APOSTEMA.

A Gr. Ἀπόςημα s. Ἀπόςασις *Hipp.* Tumor inflammatorius in suppurationem abiens.

Tumor phlegmonodeus, sub cute situs, durus, paulatim crescens, et post dolorem vehementiorem, pulsatilem, in fastigium prominens; tandem accedentibus horripilationibus repetitis, remissio doloris acuti, et sensatio ponderis vel doloris obtusi, aut etiam frigoris in parte affecta; fastigium tumoris pallidum, molle, pressione fluctuans, eoque sponte rupto, ex foraminulo uno aut pluribus excretio puris (*), cum levamine om-

(*) Sub nomine *Puris* (gr. πύον) intelligimus liquidum mediæ consistentiæ, coloris ex albo flavescentis, odoris et acrimoniæ expers. Si tenuius, mali odoris et acre, *Sanies* (gr. ἰχώρ) audit. Ambi hi liquores sollicite distinguendi sunt a muco, qui in pluribus casibus

nium symptomatum. — In inflammationibus profundius sitis, vel in ipsis visceribus internis natis, hæc symptomata minus evidentia sunt, sed non raro febre hectica stipata; et pus sæpe sacco suo inclusum manens, *Vomicam* format, aut rupto apostemate excernitur; vel in cavo corporis vario effusum *Empyema* creat, eventu non raro lethali.

A. Abscess; maturation.

G. Abcès; apostème.

Ge. Eitergeschwür; Eitergeschwulst; Eiterbeule; Eitersack.

---

formam puris vel ichoris assumit. Materia purulenta a muco puriformi præcipue differt 1°. quod pus in aqua fundum petat; mucus in ea forma filamentorum suspensus natet; 2°. pus cum aqua mixtum, initio cum ea liquidum turbidum, pallidum, apparenter homogoneum constituit, deinde ad fundum cadit; 3°. mucus acido sulfurico diluto cito dissolvitur, pus nonnisi lente; 4°. si solutio mox dicta aqua diluitur, pus fundum vasis petit, mucus e contra sic separatus filamenta in aqua natantia exhibet; 5°. pus potassa liquida solutum, addita aqua, præcipitatur; mucus puriformis vero in liquido suspensus manet.

A. Idiopathicum.

Apostema ex phlogismate partis cujusvis prægresso ortum.

B. Metastaticum.

Tumor ex pure alibi formato et ad locum alienum translato oriundus.

Species *Apostematis* præcipuæ sunt :

Sp. 1. Apostema *Enkephali.*

Collectio puris in cavo enkephali a phlogosi prægressa sponte nata, aut ex læsione, contusione, ictu, concussione aliave vi externa cerebro illata oriunda. Vide *Enkephalitis.*

Sp. 2. Apostema *Auris.*

Vide *Otitis.*

Sp. 3. Apostema *Oculi.*

Vide *Ophthalmitis*, et infra *Ophthalmoncus.*

Sp. 4. Apostema *Sinuum frontalium.*

Collectio puris, aut materiæ puriformis in sinu frontali uno vel utroque ex phlogosi prægressa; plerumque febre, kephalgia violenta, aut etiam dolore obtuso, siccitate narium,

ac amblyopia vel amaurosi lateris affecti stipata; pure tandem per os cribosum integrum, vel cariosum ex naso excreto, aut ex corrosa lamina posteriore sinus in cavum enkephali effuso. Quandoque etiam tumor palpebræ ingens, ex pure per laminam sinus anteriorem corrosam in membranam cellularum palpebræ effuso.

Variat pro causa remota:

α. A vulnere, contusione, ictu.
β. Ab obstructione orificiorum ossis ethmoidei, ex muco inspissato aut ex pulvere nicotiona-tabaci etc. ibidem accumulato.
γ. A polypo narium.
δ. A vermibus vel insectis variis, in sinu frontali nidulantibus.
ε. A viru syphilitico.
ζ. A vitio scrofuloso.
η. A tinea, achoribus etc. incaute retropulsis.

Sp. 5. Apostema *Sinus maxillaris.*

Collectio puris, aut materiæ puriformis in alterutro sinu maxillari superiore ex phlogosi prægressa; plerumque dolore obtuso, urente vel pulsante, pressione partis affectæ, aut mungendo nares vel concussione corporis aucto;

quandoque etiam excretione puris vel ichoris, præcipue mungendo nares, stipata. Progressu morbi tumor ossium sinus maxillaris externus, mollis pressioni quodammodo cedens, aut fluctuans ; vel internus cavum naris in eodem latere aut cavum oris obstruens; vel etiam oculum foras protrudens, aut figuram faciei fœde deformans : Tandem, accedente carie, erosio et excretio puris vel ichoris ex orbita oculi inferiore, gena, palato, aut ex alveolis dentium molarium superiorum lateris affecti, cum odontalgia continua violenta, et fistula in una alterave parte mox relata, juncta.

Variat pro causa remota :

α. A læsione, vulnere, contusione, aliave vi externe genæ, vel ossibus aut gingivis illata.

β. Ab accumulatione aut dyscrasia muci, ex stenosi seu obstructione ductus excretorii sinus in naso.

γ. A carie ossis maxillaris, vel radicum dentium molarium superiorum.

δ. A vermibus in sinu maxillari nidulantibus.

ε. A corporibus peregrinis in cavum sinus penetrantibus; ut globulis aut granis sclopetariis, linteo carpto etc.

ζ. Ab alimentis aut potulentis in cavum sinus penetrantibus ex dentis molaris extractione, cujus radix in cavum sinus antea penetraverat.

η. Ab apostemate gingivæ.

ϑ. A fistula lacrymali inveterata.

ι. A viru syphilitico.

κ. A vitio scrofuloso vel scorbutico.

λ. A variola prægressa.

μ. A coryza violenta prægressa.

ν. A diadexi varia, præcipue ex achoribus, tinea, psora, ulceribus etc. incaute suppressis.

ξ. A polypo in sinu maxillari nato.

ο. Ab exostosi.

Sp. 6. Apostema *Labiorum oris.*

Tumor purulentus, utplurimum summe dolorificus, ex contusione aut phlogosi prægressa ortus.

Sp. 7. Apostema *Gingivarum.*

Syn. Parulis *Auct.*

Tumor gingivarum suppurans, ab ulitide, sæpius etiam sine phlogosi apparente prægressa; quandoque ex suppressione hæmorrhoidum

vel menstruorum natus. Vide etiam infra G. *Uloncus* (*).

Sp. 8. Apostema *Glandularum.*

Tumor purulentus, ex phlogosi glandularum parotidum, tonsillarum, glandularum submaxillarium, sublingualium, vel subaxillarium, aut inguinalium prægressa, ortus. Vide *Parotitis*, *Tonsillitis*, *Adenitis* etc.

Sp. 9. Apostema *Mammarum.*

Vide *Mastitis*, et infra etiam *Mastoncus.*

Sp. 10. Apostema *Thoracis.*

In pleura, ex pleuritide prægressa, non raro tumor purulentus, aut etiam œdema in loco prævie dolore affecto; vel in mediastino anterius sub sterno; aut in ipsis pulmonibus ortum. Vide *Pleuritis* et *Pneumonitis.*

Sp. 11. Apostema *Abdominis.*

Tumor purulentus, quandoque evidens, quandoque vix perceptibilis, maxime in puer-

(*) Virum nuper vidi cæterum sanissimum, qui ex suppressione fluxus hæmorrhoidalis consueti suppuratione gingivarum cum vacillatione dentium incisorum et caninorum pessime laboravit. Plures fœminas eodem vitio, ex Pausimenia orto, laborantes novi.

peris, plerumque summe dolorificus, in variis partibus abdominis inter musculos abdominales et peritonæum, vel sub linea alba, aut circa ligamentum Poupartii, ex phlogosi peritonæi, omenti, aut mesenterii prægressa ortus. Vide PHLEGMASIAE.

Sp. 12. Apostema *Hepatis.*

Post hepatitidem acutam vel chronicam, præcipue in zona torrida, apostema internum, sæpe nullo signo externo dignoscendum, plerumque ruptum cito lethale; vel tumor purulentus fluctuans externus ad marginem costarum spuriarum, aut etiam sub scrobiculo evidens, incisione mature peracta sæpe sanandus: Quandoque etiam ex calculo in vesicula fellea, in ductu Kystico vel choledocho hærente oriundus. Vide *Hepatitis* et *Cholelithiasis.*

Sp. 13. Apostema *Renum.*

Ex nephritide prægressa ortum; quandoque cum tumore in regione renis, eoque sponte vel arte aperto evacuatio puris; sæpius ex rupto apostemate excretio puris cum urina (*Pyuria*), aut eroso intestino vicino per alvum. Quandoque rupto eodem effusio puris in cavum abdominis lethalis; aut pure ex aposte-

mate gradatim in massam sanguinis absorpto Phthisis renalis. Vide *Nephritis.*

Sp. 14. Apostema *Lumbare.*

Ex carie vertebrarum vel ex osphytide prægressa ortum, dolore obtuso et debilitate musculi Psoæ majoris stipatum. Pus sub ligamento Poupartii penetrans sæpe tumorem causat, herniam femoralem mentientem, a qua sollicite distinguendus est. Vide Vol. I. p. 106, *Osphytis suppurans.*

Sp. 15. Apostema *Ischiadicum.*

Ex inflammatione coxendicis ortum; sæpe, præcipue neglectum, cum erosione ligamentorum ac carie condyli et colli femoris, acetabuli, imo etiam ossium vicinorum complicatum. Morbus sæpe, maxime infantibus scrofulosis, lethalis. Vide. I. p. 107. *Osphytis suppurans.*

Sp. 16. Apostema *Ani.*

Frequenter ex phlogosi membranæ cellularis intestinum rectum circumdantis, aut ex tumore vasorum hæmorrhoidalium, vel ex fæcibus induratis ortum, dolore violento, et profunde sito stipatum; plerumque simul varices ani internæ vel externæ tumentes; ischuria,

dysuria aut stranguria; dyscoilia, ischocoilia, tenesmus; sed quandoque etiam diarrhoea. — Apostema seu tumor purulentus ad anum non raro etiam oritur ex apostemate lumbari aut apostemate hepatis, renum, ovariorum etc. rupto, ac pure ad anum delato; sæpe etiam ex metastasi febrili ad anum.

Sp. 17. Apostema *Perinœi.*

Ex iisdem causis ac apostema ani, aut etiam ex phlogosi vel stenosi urethræ ortum; tuncque sæpe effusione urinæ in scrotum vel in membranam cutis cellulosam stipatum, lethale.

Sp. 18. Apostema *Inguinum.*

Ex apostemate glandulæ inguinalis, vel ex hernia incarcerata, aut ex empyemate quocunque abdominis ortum. Vide infra *Bubononcus.*

Sp. 19. Apostema *Prostatæ.*

Vide infra *Prostatoncus.*

Sp. 20. Apostema *Testiculi.*

Potissimum ex phlogosi prægressa; quandoque etiam ex metastasi ortum, insequente plerumque jactura testiculi.

Vide *Orchitis*, et infra *Orchioncus.*

Sp. 21. Apostema *Vaginæ*, vel *Labiorum Vulvæ*.

Ex phlogosi prægressa aut ex metastasi ortum. Vide infra *Cremnoncus*.

Sp. 22. Apostema *Articulorum*.

Ex phlogosi articuli cujusvis prægressa, sæpe etiam ex metastasi varia ortum; plerumque concretione ossium immobili, vel carie, aut marasmo lethali stipatum. Vide *Arthrononcus*.

Sp. 23. Apostema *Digitorum*.

Vide *Dactylitis*.

Sp. 24. Apostema *Cutis*.

Vide *Dermatitis*.

Varietates Apostematum, ab auctoribus notatæ, pro materia contenta, sunt:

1. Apostema purulentum.
2. ——— metastaticum.
3. ——— lacteum.
4. ——— nucleatum *s.* sanguineum.
5. ——— grangrænosum *s.* pestilentiale.
7. ——— lymphaticum.
8. ——— verminosum.
9. ——— pilosum.

SEQUELA APOSTEMATIS est:

G. CCCXXXI. EMPYEMA.

Gr. Ἔμπύημα Empyema

Pus ex rupto apostemate, in quacunque corporis parte effusum et collectum (*).

A. Empyema.
G. Empyéme.
Ge. Eitererergiessung.

Sp. 1. Empyema *Enkephali.*

Puris in cavitate cranii effusio ex apostemate enkephali rupto; aut quandoque etiam ex pure etc. in alia corporis parte formato, ad caput delato, et in cavum enkephali effuso.

Sp. 2. Empyema *Oculi.*

Puris in cameram anteriorem vel posteriorem oculi effusio ex ophthalmitide prægressa; aut ex translatione puris ex loco alieno ad oculum.

(*) GALENUS sensu strictiore Empyema appellat collectionem puris in cavo thoracis aut in pulmonibus ex apostemate rupto.

Sp. 3. Empyema *Thoracis.*

Puris ex apostemate pleuræ vel pulmonum rupto, in cavum thoracis effusio.

Sp. 4. Empyema *Abdominis.*

Puris ex apostemate hepatis, intestinorum, peritonæi ejusque appendicum, aut pancreatis, uteri, ovariorum; vel etiam ex osphytide apostematosa prægressa, in cavum abdominis effusio.

G. CCCXXII. DIADEXIS.

Gr. Διάδεξις. *Hipp.* Humoris cujusvis ex una corporis parte in aliam migratio aut translatio abnormis (*).

Tumor ex translatione humoris cujusvis ex una in aliam corporis partem oriundus: Materia præcipue translata ad oculos, aures, parotides, glandulas

(*) Vocabulum *Diadexis*, tumorem ab humore ex alieno loco in partem sanam corporis translato recte exprimens, hic adoptavi; cœterum bene conscius, hanc vocem synonymam fere esse cum Metastasi, de qua supra V. I. p. 270 et seq. egi. — Theoria diadexium seu metastasium adhuc multum obscuri habet; etsi systema vasorum absorbentium hodie melius cognitum aliquam huic rei lucem affundat.

submaxillares vel sublinguales, tonsillas, glandulas colli vel cervicis, glandulas subaxillares vel inguinales, aut ad mammas, vulvam, testiculos, vel etiam ad articulos extremitatum.

SPECIES vel VARIETATES Diadexis sunt :

1. Diadexis purulenta.
2. ——— ichorosa.
3. ——— mucosa.
4. ——— serosa (hydropica).
5. ——— lymphatica.
6. ——— lactea (*).
7. ——— sanguinea.
8. ——— urinosa.
9. ——— rheumatica.
10. ——— podagrica.
11. ——— erysipelatosa.
12. ——— febrilis.
13. ——— exanthematica varia.
14. ——— scrofulosa.

(*) Ex diadexi lactea, in puerperis præcipue non lactantibus, sæpe Epiploitis, Mesenteritis, Empyemata abdominis lethalia, aut delirium; mania, aphonia summe dolorifica, tumores extremitatum, emphraxis viscerum abdominalium, aut vitia cutis varia oriuntur.

15.

15. Diadexis syphilitica.
15. ——— herpetica, psorica etc.

Vide infra : TUMORES GLANDULOSI, et TUMORES OGANICI.

G. CCCXXIII. SCLEROSIS.

Gr. Σκλήρωσις, s. Σκληρότης durities, à σκληρὸς durus.

Partis mollis cujusve durities abnormis, plerumque ex phlogosi prægressa, aut a vi externe illata, quandoque etiam sponte oriunda, tumorem in externa parte corporis causans.

Sp. 1. Sclerosis *Membranosa* (*Hymenosclerosis*, a gr. Ὑμὴν membrana).

Induratio membranarum, tendinum vel ligamentorum in quacunque parte corporis.

Sp. 2. Sclerosis *Glandulosa* (*Adenosclerosis*).

Vide infra *Tumores glandulosi*.

Sp. 3. Sclerosis *Vasorum* vel *Canalium*. (*Angiosclerosis*).

Sp. 4. Sclerosis *Viscerum* (*Splanchnosclerosis*. Vide supra G. *Emphraxis*.

Variant pro causa remota:

α. A phlogosi prægressa.
β. A contusione, compressione etc.
γ. A lacte accumulato et coagulato, vel a metastasi lactea.
δ. Ab adipe indurato.
ε. A vitio scrofuloso, syphilitico etc.
ζ. A steatomate.

G. CCCXXIV. GANGRÆNA.

Gr. Γάγγραινα, Mortificatio partis cujusvis corporis incipiens.

Plerumque post phlogosin, maxime phlogisma vel epiphlogisma, partis internæ vel externæ corporis remissio aut cessatio doloris subita; asthenia universalis; frequens horripilatio; frigus extremitatum, aliave symptomata dyscrasiæ putridæ humorum: Præterea, si pars externa affecta est, subsidentia tumoris, ejusque ex colore rubro vivido, in colorem cinereum, lividum, fuscum aut nigrum mutatio.

A. Gangrene ; Beginning mortification.
G. Gangrène.
Ge. Heisser Brand.

Sp. 1. Gangræna *Humida.*

Post phlogosin partis internæ vel externæ violentam symptomata gangrænæ ; sudor generalis vel topicus, viscidus, glutinosus, frigidus ; odor ab ægro exhalans peculiaris, fracidus ; sudoris, urinæ, fæcum odor cadaverosus ; quandoque subsultus tendinum, convulsiones, sæpe etiam ex remissione doloris aliorumve symptomatum apparens levamen, et fallax amelioratio ægri. — In gangræna externa præterea functio partis abolita ; anæsthesia ; pars frigida, mollis, atonica, impressionem digiti servans ; coloris antea normalis, vel rubri inflammatorii in fuscum, lividum, nigrum, vel cinereum mutatio ; epidermis soluta in squammas secedens, vel phlyctænas formans, ex quibus ruptis ichor cruentus, flavescens, vel etiam niger exsudat. Odor partis fœtidus, nauseosus, putridus, cadaverosus. Vide etiam supra p. 42. *Dyshæmia putrida.*

Sp. 2. Gangræna *Sicca.*

Prægresso dolore, stupore, aut myrmekiasi, sæpe sine ullo tumore partis affectæ,

exsiccatio et extenuatio ejusdem, tandemque post sensibilitatis et motus jacturam pars sponte a corpore decidens. Morbus chronicus, extremitates corporis, maxime pedes aut manus afficiens; plerumque a venenis aut alimentis pravæ qualitatis assumptis, a myrmekiasi, ab elephantopo, elephantiasi, aut etiam senio oriundus (*).

Varietas, aut ultimus gradus gangrænæ est:

SPHAKELUS.

Gr. Σφάκελος s. Σφακελισμὸς: Corruptio seu mortificatio partis cujusvis corporis humani.(*)

Mortificatio partis, plerumque ad os usque progrediens, ex gangræna serpente orta; vel etiam pars sine phlogosi aut gangræna prægressa, per se sponte nigrescens, livida, frigida, flaccida, irritabilitate et sensibilitate privata, odorem fœtidum, putridum spargens.

(*) *Gangræna* sicca Celso *Cancer* audit, eique est ulcus nigrum vel lividum, sed siccum et aridum, gradatim serpens in carne vicina pallida vel livida, fereque rugosa et insensili, plerumque cum pustulis subnigris.

(*) Mors completa partis a Græcis etiam Νέκρωσις appellatur.

SYN. Sideratio. *Lat.*
Sphacelus. *Auct.*

A. Mortification ; Sphacelus.
G. Mortification ; Sphacèle.
Ge. Kalter Brand.

Huc etiam pertinet :

SPHAKELUS pedum aut digitorum pedis.
Græc. Μέλασμα *Melasma.*

Initio utplurimum, prægresso dolore obtuso in pede, talo et circa malleolos, macula nigra in extremitate aut ad latus unius vel plurium digitorum pedis, accedente solutione epidermidis et colore cutis substratæ purpureo. — Morbus quandoque lente, quandoque cito progrediens, dolore aucto cum sensu caloris urentis, de digito in digitum, et quandoque subito super totum pedem ad malleolum usque sese diffundens, ibique plerumque aliquamdiu sistens, mortem partis, et non raro mortem, inducens.

VARIANT pro causa remota :

α. A phlogosi quacunque violenta externa vel interna prægressa.
β. Ab adustione violenta.

γ. A gelu intenso.

δ. A decubitu.

ε. A compressione vel ligatura vasorum vel nervorum.

ζ. A strangulatione partis.

η. Ab obstructione vasorum.

ϑ. Ab ossificatione vasorum.

ι. A magna extravasatione sanguinis.

κ. A contusione violenta, aliave vi externe illata

λ. Ab elephantiasi.

μ. Ab ingestis noxiis, venenatis peculiaribus. (Vide *Myrmekiasis*).

ν. A materia animali putrida, cadaverosa, præcipue per loca vulnerata, excoriata, ulcerata absorpta; hinc sæpe gangræna laniorum, aliorumque opificum, substantias animalis putridas manibus tractantium.

ξ. Ab applicatione sedativorum aut aliorum venenorum.

ο. A saburra putrida primarum viarum.

π. Ab asthenia virium vitalium, senio.

ρ. A septorrhepyra, ochropyra, aut loimopyra.

σ. A morbis cutis suppressis.

τ. Ab urina in telam cellulosam extravasata.

υ. A metastasi.

G. CCCXXV. ANTHRAX.

Gr. Ἄνθραξ, Carbunculus *Celsi.*

Tumor phlogisticus membranæ cellulosæ cutis, vel glandulæ mucosæ subcutaneæ, aut glandulæ lymphaticæ in variis corporis partibus, durus, rotundus, dolentissimus, urens quasi a carbone ardente applicato, plerumque cito in gangrænam abiens; quandoque phlyctæna in centro tumoris rubra lenticularis, vel pustulæ circumcirca tumorem plures summe ardentes, cito livescentes, vel in crustam cineream aut nigram abeuntes, ambitu indurato, livido, splendente; tandem rupto intra paucos dies tumore, excretioichoris sanguinolenti putridi, et lobo corruptæ et gangrænescentis substantiæ excusso, ulcus cavum sordidumque remanens. Quandoque phlyctæna seu vesicula in cute cito in maculam latam, nigricantem abiens, tumore vix perceptibili; sæpe etiam pustula cnesmo summe molesto stipata, et circulo rubro, flammeo circumdata, cito insequenti-

bus tuberculis pluribus lividis, nigrescentibus et gangrænescentibus. Morbus plerumque summe acutus, quandoque, præcipue in senioribus, cachecticis, ebrietati deditis, lentior, tumore duro, rotundo, fusco, late extenso stipatus, loboque in medio excusso, in ulcus putridum abiens, sæpe lethale.

Syn.	Carbunculus *s.* Carbo. Gangræna faucium. Abscessus gangrænosus. Ulcera gangrænosa. Furunculus gangrænescens.	*Auct.*
	Carbunculus Colis. ——— Faucium.	*Celsi.*
	Pruna. Ignis Persicus (*).	*Ebn-Sina.*

(*) Sub nomine ignis Persici Arabes vulgo intelligunt gangrænam, seu carbunculum colis. Morbus jam a Celso notatus, et ut videtur, olim frequentior; apud nos hodie rarissimus, potissimum ex coitu impuro oriundus. Casus Heronis a Palladio in *Hist. Lausiaca* notatus, cujus in tractatu meo *de Morb. syphil.* Edit. Gallic. T. I. p. 6., memini, huc pertinere videtur. An ignis Persicus ab eodem viru ac syphilis nostra, an a diverso oriatur, nescio. An forsan idem morbus sit, ac *Malum Soudan* dictum, (vide supra p. 184), ob defectum observationum asserere non audeo.

A. Anthrax; Carbuncle.
G. Charbon; Carbuncle.
Ge. Brandbeule; Karfunkel.

Sp. 1. Anthrax *Idiopathicus.*

Anthrax sine ullo symptomate febrili vel orto tumore febris secundaria, plerumque asthenica, accedens.

VARIAT pro causa remota:

α. A punctura aut morsura insectorum, ut Furiæ infernalis etc.
β. Ab acri peculiari, aut veneno, vel miasmate putrido externe applicato.
γ. A contactu carnium, aliarumve substantiarum animalium putridarum longiore.
δ. A phlogosi locali violenta prægressa.
ε. Ab asthenia generali, senio etc.

Sp. 2. Anthrax *Symptomaticus.*

Prægressa febre, præcipue septorrhepyra aut loimopyra, symptomata Anthracis in cute vel in glandulis.

VARIAT pro causa remota:

α. A metastasi febrili.
β. A parotitide retrocedente.
γ. Ab erysipelate retrocedente.
δ. A peste.

SECT. III. TUMORES SANGUINEI, seu HÆMATODES.

Tumores in externa corporis superficie apparentes, sanguinem continentes.

G. CCCXXVI. ANEVRRYSMA.

Gr. Ἀνεύρυσμα, arteriæ seu portionis arteriæ dilatatio abnormis.

Tumor arteriæ aut portionis arteriæ dilatatæ in quacunque corporis parte externa, maxime in extremitatibus visibilis, abnormis, permanens, circumscriptus, mollis; plerumque, saltem initio morbi, insolite pulsans (*), indolens, pressione disparens, cuti concolor, a nucis avellanæ ad ovi gallinacei

---

(*) In artevrysmatibus æque ac phlebevrysmatibus seu varicibus, diutius durantibus, pars fibrina et albuminosa sanguinis, in hisce tumoribus contenta, gradatim coagulatur, et strata quasi membranacea format, ut in dissectione eorum sæpe observatur. Ex hac causa etiam fit, ut pulsatio in artevrysmatibus inveteratis sæpe vix percipiatur.

magnitudinem et ultra increscens. Progressu morbi cutis loci affecti pallida, oedematosa, dein livida, gangrænosa, non raro simul caries ossium adjacentium; tandem rhexis arteriæ, cito lethalis (*).

Vide etiam supra O. Evryangeiæ, G. *Artevrysma.*

Syn. Tumor anevrysmaticus. } *Auct.*
Anevrysma verum. }

A. Anevrism.
G. Anevrisme.
Ge. Schlagadergeschwulst.

Species Anevrysmatis præcipuæ sunt:

Sp. 1. Anevrisma subpopliteum.
Sp. 2. ——— femorale.
Sp. 3. ——— crurale.
Sp. 4. ——— brachiale etc.

(*) Tumor ab extravasatione sanguinis ex læsione aut rhexi arteriæ, in externa corporis superficie ortus, plus minusve extensus, et initio plerumque pulsans, apud auctores vulgo sub nomine improprio *Anevrysmatis spurii* occurens ad Ecchymosin pertinet. —Tumorem in externa corporis superficie ex læsione arteriæ simul ac venæ ortum, *Anevrysma varicosum* vel *mixtum* vulgo appellant.

De anevrysma cum vulnere aut rhexi arteriæ æque ac venæ complicato. Vide *Ecchymosis*, et *Rhexis*.

VARIANT pro causa remota:

α. A vulnere aut erosione membranæ exterioris arteriæ.

β. A læsione membranæ exterioris arteriæ in venæsectione incauta, unde protrusio membranæ ejusdem interioris in saccum.

γ. Ab atonia membranarum arteriæ topica, plerumque ex violento exercitio, ictu, contusione, aliave vi externe illata, orta.

G. CCCXXVII. KIRSOS, seu VARIX.

Gr. Κιρσὸς varix: Venæ seu portionis venæ dilatatio abnormis.

Tumor venæ aut portionis venæ in parte quacunque corporis externa, abnormis, permanens, livescens, circumscriptus, initio indolens, sed progressu morbi sæpe dolorificus, et circa valvulas venæ tuberculosus. Morbus neglectus, sæpe in suppurationem, gangrænam, aut etiam in rhexin abiens.

Vide etiam O. *Evryangeiæ*. G. *Phlebevrysma*.

A. Varices.
G. Varices.
Ge. Blutaderknoten.

Species varicis præcipuæ sunt:

Sp. 1. Varix *Ani.*

Tumor tuberculosus, aut tubercula plura livida, sanguine repleta, ad marginem ani visu, vel intra anum tactu perceptibilia, plus minusve dolentia; vel etiam tumor saccatus, aut sacculus circa anum a sanguine, in tunicam cellulosam ani extravasato, formatus.

Syn. Hæmorrhoides cæcæ. *Auct.*

A. Blind piles.
G. Hémorrhoïdes aveugles.
Ge. Blinde Goldne Ader; Zacken am Hintern.

Variat pro causa remota:

α. Ab atonia venarum hæmorrhoidalium.
β. A compressione earumdem a fæcibus accumulatis, ab utero gravido, vel a tumoribus vicinis.
γ. A strangulatione vasorum, ex prolapsu ani.
δ. A vermibus, aut ab acri quocunque orificium recti irritante.

ε. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium, præcipue hepatis et systematis venæ portarum.

ζ. A menstruorum suppressione

η. A vita lauta, otiosa, sedentaria.

Sp. 2. Varix *colli Vesicæ.*

Tumores venæ hypogastricæ, vel venarum hæmorrhoidalinm, tuberculosi in collo vesicæ, stenosin majorem minoremve urethræ inducentes; unde dysuria, ischuria, aut rupta varice hæmaturia urethralis, sæpe profusa cum pauco dolore, vel cum inflammatione colli vesicæ, tenesmo et dolore violento in perinæo et urethra. Hæc hæmaturia, postea aliquando periodis regularibus per vitam recurrit. — Quandoque sanguis, rupta varice, in vesicam penetrat, ibique in grummos abiens, dolores violentos causat, qui nonnisi soluto et ex vesica per urethram cum urina expulso sanguine levantur. Morbus plerumque hæmorrhoidibus ani prægressis superveniens, indeque ab hæmaturia renali dignoscendus. Quandoque etiam post varicem colli ruptam remanet blennorrhœa urethræ summe rebellis, sæpe nonnisi fluxu hæmorrhoidum ani consueto restituto, tollenda.

Sp. 3. Varix *Venæ spermaticæ.*

Dilatatio venæ spermaticæ juxta testiculos, (vel etiam venæ scroti) tuberculis pluribus distincta, indolens, chronica; a tumore vasorum spermaticorum testiculi sollicite distinguenda. Vide *Orchioncus.*

Syn. Cirsocele. } *Auct.*
Varicocele. }

Sp. 4. Varix *Pedum.*

Tumor sanguineus, tuberculosus, lividus, in uno vel pluribus locis tibiæ vel femoris, a dilatatione venæ ex sanguine stagnante oriundus.

Variat:

α. Ab atonia venarum.
β. A compressione venarum, ex tumoribus vicinis, unde varices gravidarum in extremitatibus, vel etiam in labiis vulvæ.
γ. A situ corporis habitualiter erecto sine exercitio pedum; unde varices lotricum.
δ. A ligatura arctiori ad genu.
ε. A læsione externa.

G. CCC.XXVIII. ECCHYMOSIS.

Gr. Ἐκχύμωσις s. Ἐκχύμωμα, ab Ἐκ extra, et χυμὸς humor s. succus: Humor extravasatus, seu extra vasa effusus.

Tumor in superficie corporis ex sanguine aut lympha in tunicam cellulosam effuso, a ruptura arteriæ, venæ vel vasis lymphatici oriundus.

Syn. Ecchymoma. } *Auct.*
Ecchysis. }
Sugillatio, effusio, extravasatio, s. suffusio. *Lat.*

A. Ecchymosis; livid spot from extravasated blood.
G. Ecchymose; sugillation; effusion.
Ge. Blutunderlaufung; Blutergiessung in das Zellengewcbe.

Sp. 1. Ecchymosis *Arteriosa.*

Tumor cuti concolor, vel lividus in externa corporis superficie, maxime in extremitatibus inferioribus vel superioribus, plerumque late per membrum diffusus, quandoque saccum formans; ex rupta, vulnerata, aut erosa arteria, et sanguine in tunicam cellularem effuso, oriundus.

oriundus. Morbo neglecto, tumoris augmentum progressivum, sæpe ingens, dolores violenti in parte affecta, immobilitas membri et tandem inflammatio, suppuratio, et gangræna. Vide etiam *Rhexis*.

Syn. Anevrysma spurium. *Auct.*

Sp. 2. Ecchymosis *Venosa*.

Tumor sub cute lividus, ex vena rupta et sanguine in membranam cellularem extravasato ortus.

Variat pro causa remota:

α. A contusione aut concussione violenta.
β. A vulnere, ruptura aut erosione venarum.
γ. Ab atonia venarum.

Ecchymoses Symptomaticæ sunt:

1. A peliosi.
2. A scorbuto.
3. A septorrhepyra.
4. A peste.
5. Ab emphraxi lienis.

Varietates *Ecchymosis* præcipuæ sunt:

1. *Ecchymosis Ani*.

Tumor ani ex sanguine venarum hæmo-

rrhoidalium in tunicam cellulosam circa anum effuso, quandoque in saccum prægrandem extensus. Hæc ecchymosis distinguenda est a tumore venarum hæmorrhoidalium internarum in recto, vel externarum in ano prominentium, qui ad varices pertinet.

2. *Ecchymosis Vesicæ.*

A sanguine, ex rupta varice in collo vesicæ, in vesicam effuso ortus.

3. *Ecchymosis Capitis.*

In neonatis post partum difficilem non raro occurrens.

4. *Ecchymosis Enkephali.*

5. *Ecchymosis Oculi vel Palpebrarum.*

6. *Ecchymosis Thoracis.*

7. *Ecchymosis Abdominis.*

8. *Ecchymosis Scroti.*

9. *Ecchymosis Testiculi.*

10. *Ecchymosis Cutis.*

De Ecchymosi sanguinis, seri, lymphæ, gelatinæ, urinæ, synoviæ, vide etiam infra *Tumores Organici.*

SECT. IV. TUMORES AQUOSI, *seu* HYDROPICI.

G. CCCXXIX. HYDERONCUS.

Gr. Ὑδέρογκος, ab Ὕδερος hydrops, *s.* Ὕδωρ aqua, et ὄγκος tumor: Tumor hydropicus.

Tumor abnormis, in externa corporis superficie apparens, pallidus vel cuti concolor, ex humore aquoso, lympha vel sero, in membrana cellulosa cutis stagnante, vel in cavitate quadam corporis effuso aut collecto.

Sp. 1. Hydrops *Capitis.* Vide *Hydrokephalus.*

Sp. 2. Hydrops *Oculi* (Hydrophthalmos.) Vide infra *Ophthalmoncus.*

Sp. 3. Hydrops *Palpebrarum* (Hydroblepharon). Vide infra *Blepharoncus.*

Sp. 4. Hydrops *Thoracis.*

N. B. Raro externe apparet. Vide *Hydrothorax.*

Sp. 5. Hydrops *Spinæ dorsi.* Vide *Hydrorhachia.*

Sp. 6. Hydrops *Umbilici.* Vide infra *Omphaloncus.*

Sp. 7. Hydrops *Abdominis.* Vide *Hydroëtron.*

Sp. 8. Hydrops *Uteri* (Hydrometra). Vide infra *Hysteroncus.*

Sp. 9. Hydrops *Ovariorum vel Tubarum.* Vide *Ovarioncus.*

Sp. 10. Hydrops *Labiorum Vulvæ.* Vide infra *Cremnoncus.*

Sp. 11. Hydrops *Colis.* Vide *Psoloncus*

Sp. 12. Hydrops *Testiculi* (Hydrorchis). Vide infra *Orchioncus.*

Sp. 13. Hydrops *Scroti.* Vide *Oscheoncus.*

Sp. 14. Hydrops *Genu.* Vide *Gononcus.*

Sp. 15. Hydrops *Saccatus.* Vide infra *Hydrokystis* et *Hydatis.*

Sp. 16. Hydrops *Cutis.* Vide *Hydroderma* et *Oëdema.*

SECT. V. TUMORES AËREI, seu PHYSODES.

G. CCCXXX. PHYSONCUS.

Gr. Φύσογκος, a φύσα aër, et ὄγκος tumor: Tumor aëreus.

Tumor abnormis, in superficie corporis apparens, pallidus vel cuti concolor, ex aëre, aut gaze quodam elastico, in membrana cellulosa cutis effuso, aut in cavo abdominis collecto.

Sp. 1. Physoncus *Cutaneus.*
Vide supra p. 128. *Emphysema.*

Sp. 2. Physoncus *Capitis.*
Vide *Emphysema.*

Sp. 3. Physoncus *Palpebrarum.*
Vide infra *Blepharoncus physodes.*

Sp. 4. Physoncus *Colli.*
Vide infra *Deironcus physodes.*

Sp. 5. Physoncus *Umbilici.*
Vide *Omphaloncus physodes.*

Sp. 6. Physoncus *Abdominis.*

Vide supra p. 123. *Pneumatosis* et *Tympanites*, ac etiam infra *Etroncus physodes.*

Sp. 7. Physoncus *Uteri.*

Vide infra *Hysteroncus physodes.*

Sp. 8. Physoncus *Colis.*

Vide infra *Psoloncus.*

Sp. 9. Physoncus *Scroti.*

Vide infra *Oscheoncus physodes.*

SECT. VI. TUMORES GLANDULARES.

Gr. Ἀδένογκοι.

Tumores glandularum abnormes, in quacunque parte corporis, visu vel tactu perceptibiles.

A. Glandular or Glandulous Swellings.
G. Tumeurs des Glandes.
Ge. Drüsengeschwülste.

A. Tumores glandularum Universales.

ADENITIS.

Tumor glandulæ cujusve corporis phlogisticus. Vide supra p. 412. *Adenitis.*

ANTHRAX.

Tumor glandulæ cujusvis gangrænosus. Vide supra p. 451. *Anthrax.*

G. CCCXXXI. ADENOSCLEROSIS.

Tumor glandulæ cujusvis durus, indolens, cuti concolor, chronicus, sæpe subito post contusionem, phlogosin aut etiam post suppurationem in parte apparens, quandoque sponte gradatim discedens, aut per vitam sine mutatione durans; aliquando in apostema et ulcus, sed nunquam in carkinoma abiens. Morbus a practicis plerumque Skirrhus appellatus, sed ex charactere dato, a Skirrho probe distinguendus.

G. CCCXXXII. SKIRRHUS.

Gr. Σχίῤῥος.

Tumor glandulæ, initio semper unicus, durus, rotundus, plerumque mobilis, cuti concolor, indolens; paulatim modo citius, modo tardius increscens; cnesmus in parte affecta, dein etiam dolores pungentes, lancinantes transitorii, aut dolor obtusus, pulsatorius. Progressu tumor auctus magis durus, tandem durissimus, superficie inæqualis, immobilis,

partibus vicinis firmiter adhærens; cutis rubra, purpurascens, livida, venæ turgentes, et sensatio caloris interni; tandem tumor in centro sese elevans, et epidermide rupta transudatio humoris tenuis, acris, fœtidi, vicina corrodentis, sæpe excrescentias fungosas formans; quandoque in profundum serpens, tuncque labia ulceris inæqualia, tumida, callosa, retorrida.— Morbus maxime mammas et uterum in fœminis; labrum oris inferius, linguam, vel nasum, aut testiculum in viris, infestans, nunquam ante tempus pubertatis, sed potissimum declinante ætate invadens, desorganisationem et destructionem partis affectæ inducens (*), ac fere semper citius vel tardius in carkinoma abiens (**).

(*) Skirrhi mammarum dolentes exsecti substantiam duram, consistentia et colore cartilaginem molliorem æmulam, homogeneam exhibent, sine ulla apparente organisatione relicta. STOLL.

(**) Glandula skirrhosa raro per vitam in eodem statu manet, sed sæpe sine ulla causa apparente in carkinoma abit. Frequenter ex applicatione acrium stimulantium aut ex animi pathematibus tristibus, vel ex

Syn. Scirrhus. *Auct.*

A. Skirrhus.
G. Skirrhe, Scirrhe.
Ge. Skirrhus.

Variat pro causa remota:

α. A phlogosi prægressa.
β. A vitio hæreditario.
γ. A spissitudine sanguinis.
δ. Ab emphraxi viscerum vel vasorum abdominalium, vulgo atra bile dicta.
ε. A pausimenia.
ζ. A castitate severa.
η. Ab animi pathematibus tristibus.
ϑ. A contusione, compressione, aliave vi externa illata.

Sp. 1. Skirrhus *Mammæ.*

Tumor glandulæ mammæ summe durus, et nullo modo elasticus, lente crescens, superficie inæquali, scabra notatus, plerumque

---

pausimenia humor in glandula affecta contentus, aut in eam depositus mutatur, et in fluidum peculiare acre convertitur, partem inflammans et in ulcus mali moris peculiare, *Carkinoma* dictum, abiens. Si ulcus excrescentias fungosas format, Græci *Thymion* (θυμιον); recentiores Cancrum fungosum appellant.

a causa interna, sed quandoque etiam a contusione aliave causa externa evidente ortus, nulli remedio cedens: Initio semper solitarius, sine symptomate scrofulæ apparens; progressu morbi immobilis, partibus substratis firmiter adhærens; caute et sollicite ab adenosclerosi, atheromate, apostemate, sarcomate, steatomate, anthrace, necnon a tumoribus duris, ex adipe indurato, vel ex lacte coagulato, aut ex vitio scrofuloso oriundis, distinguendus (*).

Vide etiam infra *Mastoncus*.

Sp. 2. Skirrhus *Uteri.*

Tumor in hypogastrio summe durus, pressione dolens; quandoque dolor lancinans, aut pungens, cum sensatione uteri versus inferiora gravantis; maxime mulieribus versus tempus

---

(*) Tumor glandularum mammæ scrofulosus jam a *Celso* (L. V. c. 28.) notatus a lymphæ vitio oritur; skirrhosus a degeneratione substantiæ glandulæ dependet. Tumores scrofulosi citius crescunt, semper rotundi vel oblongi sunt, ac æquales, læves, circumscripti, pressione elastici, mobiles, nunquam accreti, in ulcera abeuntes quæ foraminulis pluribus ichorem tenuem nigricantem plorant, et quandoque excrescentiis fungosis stipati. Sæpe simul excretio humoris limpidi aut sanguinolenti ex papillis, de tempore in tempus rediens, aliaque in corpore symptomata scrofulosa adsunt.

pausimeniæ infestus, et plerumque in carkinoma funestum abiens.

Sp. 3. Skirrhus *Labri Oris.*

Tumor glandulæ, maxime in superficie interna labri oris inferioris, initio parvus, paulatim crescens, instar lapidis durus, inæqualis, coloris naturalis; progressu morbi, cnesmus, dolor pungens aut terebrans, tumor major, durior, coloris magis rubri vel lividi, venæ varicosæ, tandem in ulcus ichorosum et carkinomatosum abiens. Morbus sollicite a tumoribus labri syphiliticis, scrofulosis, atque a sarcomate, quod sæpe in cacoëthem abit; et præprimis a tumore parvo, indolente, oblongo, vesiculoso, livido, in glandula superficiei internæ labii inferioris oris orto, nec non a tumore lympha aut gelatina repleto, nunquam in carkinoma abeunte, et excisione semper curabili, caute distinguendus.

Sp. 4. Skirrhus *Palpebrarum.*

Tumor sollicite a steatomate, lipomate, sarcomate, verruca aut adenosclerosi glandulæ cujusdem sebaceæ, excisione utplurimum radicaliter tollendis, distinguendus.

Sp. 5. Skirrhus *Linguæ.*

Tumor initio parvus, valde durus, instar noduli, dorsum vel latus alterutrum linguæ occupans; venæ lividæ, varicosæ; rhagades linguæ, margine duro elevato, et sæpe hyposarcosi stipatæ; tandem in carkinoma funestum abiens.

Vide supra p. 191. *Carkinoma linguæ.*

CARKINOMA.

Skirrhus exulceratus.

Vide supra p. 185 G. *Carkinoma.*

CHOIRAS s. SCROFULA.

Tumor præcipue glandulas salivales et lymphaticas, plerumque simul plures, invadens, durus, indolens, lævis, elasticus, rotundus vel ovalis, sub cute mobilis, cuti concolor, ægre suppurans. Morbus, maxime infantibus ante tempus pubertatis, rarius adultis infestus, sæpe hæreditarius, præprimis glandulas colli et cervicis, vel glandulas subaxillares, aut inguinales, quandoque etiam

mammas, testiculos et labrum oris afficiens. In junioribus sæpe cum tumore ventris ex emphraxi glandularum meseraicarum, et cum osteophthoria articulorum junctus. Vide supra p. 153. G. *Choiras*.

B. Tumores glandularum particulares.

G. CCCXXXIII. PHYMA.

Gr. Φῦμα tuberculum.

Tumor glandulæ cujusvis sebaceæ, vel mucosæ cutis tuberculosus; vel tubercula plura in variis corporis partibus externis, dura, dolentia vel indolentia, modo cito et facile, modo lente et ægre suppurantia.

Variat sede:

1. *Phyma faciei* (Vari).

Tuberculum, vel tubercula plura, dura, profunde rubra, indolentia in facie, raro suppurantia.

2. *Phyma nasi* (Bacchia).

Tuberculum, aut tubercula plura, dura, profunde rubra, indolentia in naso, sæpe in

magnam molem increscentia, vix aut ne vix suppurantia. Vide etiam infra *Ionthos*.

3. *Phyma palpebræ* vel *Tarsi*.

Tuberculum in limbo, vel etiam in duplicatura palpebræ parvulum, durum, dolens vel indolens, ægre suppurans; quandoque tumorem majorem kysticum indolentem formans.

Syn. Crithe (gr. Κριθὴ) seu Hordeolum.
Chalazion (gr. Χαλάζιον) s. Grando.
Posthia (gr. Ποσθία).

A. Stye.
G. Orgeolet; grain d'orge.
Ge. Gerstenkorn.

4. *Phyma cutaneum*.

Sp. 1. Phyma *Phlogisticum*.

Tumor glandulæ sebaceæ vel mucosæ acutus, parvulus, durus, ruber, dolens, in apostema tendens. Vide etiam *Dothien*.

Sp. 2. Phyma *Apostematosum*.

Tumor glandulæ sebaceæ vel mucosæ, ex phlogosi prægressa suppurans.

Sp. 3. Phyma *Sclerodeum.*

Tumor glandulæ sebaceæ vel mucosæ tuberculosus, durus, indolens; plerumque ex vitio scrofuloso, vel syphilitico, aut ex obstructo ductu glandulæ excretorio, oriundus.

Sp. 4. Phyma *Ulcerosum.*

Tumor glandulæ sebaceæ vel mucosæ exulceratus, ex apostemate rupto, aut ex vitio scrofuloso, vel ex viru syphilitico, aliove acri ad glandulam delato, aut eidem etiam externe applicato, oriundus.

G. CCCXXXIV. PHYGETHLON.

Gr. Φύγεθλον (*).

Tumor glandulæ lymphaticæ in quacumque parte corporis externa situs.

Syn. Bubo *Auct.* (**).

(*) Hoc vocabulum apud *Hippocratem* et *Galenum*, tumorem glandularum inquinalium vel subaxillarium inflammatorium significans, hic, ex defectu melioris, sensu latiore ad exprimendum tumorem quemcunque glandularum lymphaticarum adhibere non hæsitavi.

(**) Bubon (Βούϐων) græcis inguen significat; hinc *Sauvages* tumorem glandulæ inguinalis non improprie bubonem appellavit; sed dum Cullen etymologiæ græcæ

A. Bubo.
G. Bubon ; Poulain.
Ge. Leistenbeule ; Drüsenbeule.

VARIAT sede :

1. In inguinibus.
2. Sub alis seu axillis.
3. In extremitatibus superioribus aut inferioribus.
4. In cervice vel collo.

Sp. 1. Phygethlon *Phlogisticum.*

Tumor glandulæ lymphaticæ acutus, durus, calidus, ruber, dolens, sæpe cum phlogosi membranæ mucosæ cutis superstratæ junctus ; plerumque cito in apostema, quandoque etiam in gangrænam, aut sclerosin, vel in skirrhum abiens. Vide etiam *Adenitis.*

Sp. 2. Phygethlon *Apostematosum.*

Tumor glandulæ lymphaticæ ex phlogosi aut ex metastasi prægressa ortus, in suppurationem abiens.

---

inconscius, nomen bubonis ad glandulæ conglobatæ tumorem, in quacumque corporis parte occurrentem, extendit, hæc appellatio absurda fit.

Sp. 3. Phygethlon *Sclerodeum.*

Tumor glandulæ lymphaticæ durus, chronicus ex phlogosi prægressa, aut ex vitio syphilitico ad glandulam delato; vel ex viru syphilitico, aliove acri, oscula vasorum lymphaticorum ad eandem glandulam euntium in vicinia irritante, vel erodente; vel etiam ex vitio scrofuloso ortus.

Sp. 4. Phygethlon *Ulcerosum.*

Tumor glandulæ lymphaticæ chronicus, ex abscessu rupto in ulcus sthenicum vel asthenicum abiens. Vide *Ulcus.*

Sp. 5. Phygethlon *Gangrœnosum.*

Tumor glandulæ lymphaticæ, ex phlogosi violenta prægressa, aut ex viru pestilentiali, aliove miasmate, vel etiam ex acri putrido etc. externe applicato oriundus. Vide supra *Gangrœna* et *Anthrax.*

Sp. 6. Phygethlon *Skirrhosum.*

Skirrhus glandulæ lymphaticæ in carkinoma abiens. Vide *Skirrhus.*

Sp. 7. Phygethlon *Carkinomatosum.*

Carkinoma glandulæ lymphaticæ, ex skirrho prægresso ortum. (*)

HÆ SPECIES VARIANT pro causa remota:

α. A viru syphilitico.
β. A vitio scrofuloso.
γ. A materia carkinomatosa.
δ. A morbis cutis præpostere suppressis.
ε. A metastasi febrili.
ζ. A viru pestilentiali.
η. A venenis aut acribus quibusvis absorptis, vel glandulæ immediate applicatis.
ϑ. Ab acri orificia vasorum lymphaticorum in vicinia irritante.
ι. A vi externa illata.

G. CCCXXXV. HYPOGLOSSIS.

Gr. Ὑπογλωσσὶς *Hipp.* ab Ὑπὸ sub, et Γλῶσσα lingua : Tumor sub lingua.

Tumor sub lingua, ex magnitudine abnormi glandularum sublingualium vel

---

(*) Glandulæ lymphaticæ, subaxillares aut inguinales, quantum novi, nunquam *primarie* skirrho vel carkinomate laborant; sed glandulæ subaxillares ex viru carkinomatoso in mamma absorpto, et glandulæ inguinales ex viru carkinomatoso in utero absorpto, skirrhosæ, et tandem etiam carkinomatosæ evadunt.

submaxillarium, in uno vel utroque latere ortus.

Syn. Hypoglossium *s.* Hypoglossion.

Sp. 1. Hypoglossis *Phlogistica.*

Tumor glandularum sublingualium vel submaxillarium acutus, calidus, durus, dolens, ruber, in apostema tendens.

Sp. 2. Hypoglossis *Emphractica.*

Tumor unius aut utriusque lateris ad frænulum linguæ, mollis, oblongus, aut rotundus saccatus, e rubro-livescens, ex obstructione et dilatatione ductus excretorii glandulæ sublingualis, et saliva accumulata oriundus; quandoque etiam atheromatosus.

Syn. Ranula *aut* Rana. *Lat.*
Batrachos (Βάτραχος. *Græc.*)

A. Ranula.
G. Ranule; Grenouillette.
Ge. Frœschlein; Froschgeschwulst; Geschwulst unter der Zunge.

Sp. 3. Hypoglossis *Calculosa.*

Tumor sub frænulo linguæ durus, saccatus, a concretione calculosa in ductu excre-

torio glandulæ sublingualis ortus, sæpe masticationem et deglutitionem molestans; ab ignaris quandoque male pro skirrho aut carkinomate habitus.

Sp. 4. Hypoglossis *Sclerodes*.

Induratio glandulæ sublingualis vel submaxillaris ex phlogosi prægressa, ex calculo, vitio scrofuloso aut syphilitico, vel etiam ex hydrargyrosi oriunda.

G. CCCXXXVI. PAROTIDONCUS.

Gr. Παρωτίδογκος, a παρώτις glandula prope aurem, et ὄγκος tumor.

Tumor glandulæ parotidis unius, vel utriusque.

Sp. 1. Parotidoncus *Phlogisticus*.

Morbus quandoque idiopathicus, quandoque symptomaticus, facile sedem mutans; tuncque sæpe diadexi periculosa enkephalon, mammas, inguina, et in fœminis genitalia petens. Vide V. I. p. 74. *Parotitis*.

Sp. 2. Parotidoncus *Apostematodes*.
Vide *Apostema*.

Sp. 3. Parotidoncus *Sclerodes.*
Vide *Adenosclerosis.*

Sp. 4. Parotidoncus *Emphracticus.*

Ab obstructo ductu glandulæ parotidis excretorio oriundus.

G. CCCXXXVII. ANTIADONCUS.

A Gr. Ἀντιάδες *Hipp.* Tonsillæ.

Tumor tonsillarum, vel etiam glandularum submaxillarium, in uno vel utroque latere durus, increscens deglutitionis et respirationis difficultatem causans, quandoque sponte evanescens, quandoque suppurans, vel materia calculosa dura repletus; nunquam in skirrhum aut carkinoma abiens.

Sp. 1. Antiadoncus *Phlogisticus.*
Vide V. I, p. 76. *Antiaditis.*

Sp. 2. Antiadoncus *Apostematodes.*
Vide *Apostema.*

Sp. 3. Antiadoncus *Gangrænodes.*
Vide *Gangræna*, *Anthrax*, et *Scarlatina.*

Sp. 4. Antiadoncus *Sclerodes*.

Tumor tonsillæ unius vel utriusque chronicus, quandoque ad ovi columbini magnitudinem increscens; tuncque paraphonia, difficultate respirationis et deglutitionis stipatus.

Variat pro causa remota:

α. A phlogosi tonsillarum, præcipue repetita, prægressa.
β. Ab atonia tonsillarum connata vel acquisita
γ. A ductu excretorio obstructo.
δ. A vitio scrofuloso.
ε. A viru syphilitico tonsillas occupante.
ζ. Ab usu hydrargyri prægresso.

Sp. 5. Antiadoncus *Metastaticus*.

Ex febre prægressa, aut ex transpiratione, tinea, achore, herpete suppressis, vel ex syphilitide oriundus.

Sp. 6. Antiadoncus *Chronicus*.

Tumor tonsillæ unius vel utriusque permanens, indolens, sæpe ad ovi columbini magnitudem increscens, difficultatem respirationis et deglutitionis causans, ac vocem obscu-

ram et raucam reddens. Morbus plerumque ex inflammatione tonsillarum repetita, aut etiam ex vitio scrofuloso, vel syphilitico oriundus.

Sp. 7. Antiadoncus *Ulcerosus.*

Ex apostemate rupto; aut ex vitio syphilitico, primario vel secundario, has glandulas afficiente ortus.

G. CCCXXXVIII. THYRONCUS.

Gr. Βρογχοκήλη.

Tumor glandulæ thyroideæ, vel etiam aliarum glandularum colli anterioris, indolens, durus, renitens, nec suppurans, nec exulcerans. Morbus Alpium quarumdam, in variis terræ regionibus endemicus.

Vide etiam infra *Deironcus.*

G. CCCXXXIX. MASTONCUS.

A Gr. Μαστὸς mamma et ὄγκος tumor.

Tumor mammæ, aut papillæ mammæ unius vel utriusque.

Variat sede:

α. In membrana mucosa mammæ.

β. In membrana cellulari *s.* adiposa mammæ.

γ. In glandulis mammæ lacteis, aut lymphaticis.

δ. In glandulis mammæ mucosis.

ε. In glandulis mammæ sebaceis.

ζ. In mammilla aut papilla mammæ.

A. Idiopathicus.

Sp. 1. Mastoncus *Phlogisticus*.

Vide V. I. p. 113. *Mastitis*.

Sp. 2. Mastoncus *Apostematodes*.

Tumor glandularum vel membranæ cellularis mammæ, ex contusione aut phlogosi prægressa in apostema abiens, aut ex metastasi oriundus.

Sp. 3. Mastoncus *Lacteus*.

Tumor mammæ unius vel utriusque, ex accumulatione aut coagulatione lactis in vasis vel glandulis lacteis oriundus, sæpe in apostema, ulcera, aut indurationes glandularum abiens (*).

(*) Tumores duri plerumque brevi post partum in mammis, ex phlogosi lactea prægressa et neglecta orti, sæpe male pro skirrho aut carkinomate habentur. Hi tumores quandoque nodos duros, dolorificos formant, qui sæpe medicamentis externis facile resolvuntur, vel apostemate rupto cito disparent.

Variat pro causa remota :

α. A nimia abundantia lactis.

β. Ab obstructione ex lacte coagulato.

γ. Ab excretione lactis impedita :

1°. Ex inflammatione, læsione, fissura aut ulcere papillarum.

2°. Ex papillis nimis brevibus, inversis, compressis, aut male conformatis.

3°. Ex ductibus excretoriis papillarum concretis, vel obstructis.

4°. Ex defectu papillarum.

δ. A vitio infantis : Ex frænulo linguæ nimis brevi ; ex labio leporino ; ex fissura ossium palati ; ex aphthis aut ulceribus oris vel faucium syphiliticis.

Sp. 4. Mastoncus *Sclerodes*.

Tumor glandulæ unius, vel plurium durus, sæpe indolens, plerumque ex contusione aut phlogosi lactea prægressa ortus ; frequenter remediis externis cito resolvendus, quandoque in ulcus, sed nunquam in carkinoma abiens ; sollicite a skirrho distinguendus.

Vide *Adenosclerosis*.

Sp. 5. Mastoncus *Skirrhosus*.

Tumor glandulæ unius mammæ, initio indolens, parvus, durus, lente crescens ; dein

duritiei fere lapideæ, immobilis, dolens; plerumque a causa interna latente, vel ex emphraxi viscerum abdominalium evidente etc. ortus; in degenerationem substantiæ mammæ et tandem in carkinoma abiens. Morbus maxime fœminis declinante ætate infestus, ab adenosclerosi mammæ, steatomate, sarcomate, hydrokystide (*), aut hydatide mammæ sollicite distinguendus.

Vide supra *Skirrhus Mammœ*.

Sp. 6. Mastoncus *Carkinomatosus*.

Vide supra p. 189. *Carkinoma Mammœ*.

Sp. 7. Mastoncus *Gangrœnodes*.

Tumor mammæ durus, mox ab initio dolorificus, coloris purpurei, cito crescens; sed in phlegmaticis aut declinante ætate lentius progrediens, frequenter simul cum tumore glandularum subaxillarium ejusdem lateris junctus, sæpe ab incautis pro carkinomate habitus. Vide *Anthrax mammœ*.

(*) Hic tumor mammarum saccatus, humorem lymphaticum continens, durus, quandoque dolorificus, ruber, in centro prominens, ibique mollior, aliquando in ulcus fungosum abiens, æque ac steatomata et sarcomata mammæ sæpe a practibus levis judicii cum skirrho aut carkinomate male confunduntur.

B. Symptomaticus.

Sp. 8. Mastoncus *Scrofulosus.*

Tumores plerumque plures duri, indolentes mammarum, in subjectis scrofulosis quandoque in ulcera abeuntes, quæ pluribus foraminulis ichorem tenuem nigricantem fundunt, supervenientibus non raro excrescentiis fungosis.

Sp. 9. Mastoncus *Syphiliticus.*

Tumor, sæpe etiam tumores seu nodi glandularum plures, duri, rubentes, dolentes, plerumque cito in apostema vel ulcus abeuntes. Rupto apostemate, ulcus sæpe corrodens, serpens, sinuosum, quandoque etiam fungosum, lympham tenuem, acrem, sanguinolentam fundens. Tumor in genere minus durus, magis dolens, et citius crescens quam skirrhus; plerumque simul aliis in corpore symptomatibus syphilitidis stipatus, et utplurimum cito hydrargyro cedens.

Vide *Syphilis.*

Sp. 10. Mastoncus *Ulcerosus.*

Tumor, aut tumores mammæ phlogistici, lactei, metastatici, syphilitici, scrofulosi, aut sclerodes varii in ulcera abeuntes, ex supra

notatis characteribus variis a carkinomate distinguendi (*).

Γ. Sympathicus.

Variat pro causa remota:

α. Ab orgasmo ovariorum.
β. A fluxu menstruorum instante.
γ. A dysmenia, ischomenia vel pausimenia.
δ. A fluxu hæmorrhoidum consueto suppresso.

G. CCCXL. MASCHALONCUS.

A Gr. Μασχάλη ala *s.* axilla et ὄγκος tumor.

Tumor glandularum subaxillarium, sæpe ex vitio scrofuloso, quandoque a viru syphilitico ex manu aut brachio vulnerato absorpto, aut metastatice in has glandulas deposito; vel etiam ex metastasi lactea, oriundus. Morbus præ-

(*) Omnes mox dicti tumores, vel atheromata, lipomata, steatomata, sarcomata etc. mammarum, etsi quandoque coloris lividi aut purpurei, ortu, incremento subito, sede mali, absentia doloris lancinantis, pungentis, ardentis; renitentia elastica, vel mollitie aut fluctuatione a skirrho et carkinomate essentialiter differunt; plerumque remediis externis, vel incisione aut excisione radicaliter tollendi.

terea frequenter sympathicus, in omni fere tumore mammarum occurrens.

Sp. 1. Maschaloncus *Phlogisticus.*

Vide *Adenitis.*

Sp. 2. Maschaloncus *Apostematodes.*

Sp. 3. Maschaloncus *Metastaticus.*

Sp. 4. Maschaloncus *Sclerodes.*

Sp. 5. Mastaloncus *Skirrhosus.*

Sp. 6. Maschaloncus *Carkinomatosus.*

N. B. Glandulæ subaxillares nunquam primario, sed secundario carkinomate afficiuntur; plerumque post operationem carkinomatis, aut ex carkinomate mammæ diutius durante, sæpe carkinomatosæ fiunt, ex viru absorpto, et in iis deposito.

Sp. 7. Maschaloncus *Scrofulosus.*

Sp. 8. Maschaloncus *Syphiliticus.*

G. CCCXLI. PROSTATONCUS.

Gr. Προστάται prostata glandula, a προσίσταμαι adstare.

Tumor glandulæ prostatæ, dolens vel indolens; plerumque dysuria aut ischuria rebelli stipatus.

Sp. 1. Prostatoncus *Phlogisticus.*

Tumor glandulæ prostatæ acutus, calidus, durus, dolens.

Sp. 2. Prostatoncus *Apostematodes.*

Tumor glandulæ prostatæ ex phlogosi prægressa in suppurationem abiens.

Sp. 3. Prostatoncus *Ulcerosus.*

Tumor glandulæ prostatæ, aut ductuum ejus excretoriorum exulceratus.

Sp. 4. Prostatoncus *Sclerodes.*

Tumor glandulæ prostatæ durus, indolens, plerumque ex phlogosi prægressa ortus.

Sp. 5. Prostatoncus *Skirrhosus.*

Tumor prostatæ durus, dolens, in degenerationem substantiæ glandulæ, et in carkinoma abiens.

Syn. Skirrhus prostatæ.

Sp. 6. Prostatoncus *Calculosus.*

Tumor prostatæ durus, a concretione calculosa in substantia ejus formata, oriundus.

PANCREATONCUS.

Vide V. I. p. 101. *Pancreatitis*, et V. II. p. 149. *Emphraxis Pancreatis.*

SECT. VII. TUMORES ORGANICI.

Tumores viscerum, aliorumve organorum corporis, non glandulosorum.

G. CCCXLII. OPHTHALMONCUS.

A Gr. Ὀφθαλμὸς oculus.

Tumor oculi unius vel utriusque prominens, abnormis, sæpe tantus, ut oculus a palpebris tegi nequeat.

Sp. 1. Ophthalmoncus *Phlogisticus*.
Vide V. I. p. 118. *Ophthalmitis*.

VARIAT sede :

1. In membrana mucosa (adnata *s.* conjunctiva dicta).
2. In membrana fibrosa (sclerotica *s.* albuginea *s.* cornea dicta).
3. In membrana cellulari (vasculosa *s.* choroidea *s.* uvea dicta).
4. In tela cellulosa inter adnatam et scleroticam interjacente.

Sp. 2. Ophthalmoncus *Apostematodes*.

Exsudatio puris (aut materiæ puriformis), ex superficie oculi, aut ejusdem inter laminas

corneæ infiltratio; vel etiam puris in cameram oculi anteriorem vel posteriorem effusio ex phlogosi oculi prægressa, aut ex diadexi vel metastasi puris, ex loco alieno, maxime ex variola aut blennorrhagia genitalium syphilitica etc. ad oculum allati, orta. Morbus dolore oculi et capitis violento, amblyopia, et sæpe typhlosi immedicabili stipatus.

Syn. Hypopion (a gr. Ὑπώπιον).
Abscessus oculi.
Pyosis *s.* empyesis oculi.
} *Auct.*

A. Hypopion.
G. Hypopion ; œil purulent.
Ge. Eiterauge.

Sp. 3. Ophthalmoncus *Hæmatodes*.

Extravasatio sanguinis in cameris, vel inter membranas oculi.

Sp. 4. Ophthalmoncus *Hydropicus*.

Tumor oculi prægrandis, ex accumulatione humoris aquei, vel a magnitudine corporis vitrei abnormi oriundus, sæpe in rhexin oculi terminans.

Syn. Hydrophthalmus.
Exophthalmia.
Oculus elephantiacus.
} *Auct.*

Sp. 5.

Sp. 5. Ophthalmoncus *Lacteus.*

Tumor oculi ex lacte in cameras oculi metastatice effuso.

Sp. 6. Ophthalmoncus *Sarcomatosus.*

Tumor, seu excrescentia sarcomatosa, fungosa, dura, livida, dolens, in superficie corneæ vel albugineæ oriens, bulbum oculi in carnem fungosam dolentem mutans. — Vel tumor bulbi oculi ipsius durus, summe dolorificus, vasis albugineæ varicosis stipatus; plerumque a vitio syphilitico, vel scrofuloso ortus, cum carkinomate non confundendus; utpote initio utplurimum, causa morbi ablata, excisione facile et radicaliter curandus.

Variat sede :

1. In superficie membranæ corneæ aut albugineæ.
2. In bulbo ipso oculi.
3. In caruncula lacrymali.
4. In glandula lacrymali.

Sp. 7. Ophthalmoncus *Carkinomatosus.*

Carkinoma ex skirrho glandulæ lacrymalis, aut carunculæ lacrymalis prægresso ortum. (*)

(*) Auctores in genere ulcus quodcunque oculi serpens rebelle carkinoma appellant. Nos, ex principiis supra

G. CCCXLIII. BLEPHARONCUS.

A Gr. Βλέφαρον Palpebra.

Tumor palpebræ unius vel utriusque.

Sp. 1. Blepharoncus *Phlogisticus* (Blepharitis).

Tumor ex inflammatione membranarum, aut glandularum palpebræ ortus.

Vide etiam V. I. p. 118. *Ophthalmitis*.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab acri externe applicato.

β. Ab acri ex massa humorum ad oculum deposito.

γ. A vitio scrofuloso.

δ. A vitio syphilitico.

ε. A vitio herpetico, leproso etc.

ζ. A blennorrhagia syphilitica genitalium incaute suppressa.

η. A contusione, vulnere etc.

ϑ. A ductu excretorio glandulæ sebaceæ palpebræ obstructo.

ι. A transpiratione suppressa.

κ. A metastasi podagrica, rheumatica, erysipelatosa.

(vide *carkinoma*) positis, carkinoma in oculo nullum nisi in glandulis carunculæ lacrymalis, vel in glandula lacrymali, admittimus.

Sp. 2. Blepharoncus *Apostematodes.*

Puris, aut materiæ puriformis ex superficie palpebræ interna, vel ex glandulis tarsi exsudatio, aut ejusdem inter laminas palpebræ collectio. Morbus plerumque ex phlogosi palpebræ prægressa, aut ex metastasi oriundus.

Sp. 3. Blepharoncus *Hæmatodes.*

Tumor ex sanguine inter laminas palpebræ extravasato. Vide *Ecchymosis.*

Sp. 4. Blepharoncus *Physodes* (Physoblepharon).

Tumor ex aëre aut gaze elastico inter laminas palpebrarum effuso.

Sp. 5. Blepharoncus *Hydropicus* (Hydroblepharon).

Tumor palpebrarum, ex collectione aquæ inter laminas earundem ortus.

Sp. 6. Blepharoncus *Glandularis.*

Tumor tuberculosus in margine, vel inter laminas palpebræ durus, mobilis vel immobilis, dolens, inflammatorius, plerumque in suppurationem abiens; vel etiam indolens, et quandoque materiam albam calculosam continens. Vide supra *Adenosclerosis.*

Sp. 7. Blepharoncus *Ulcerosus.*

Tumor ex ulcusculis in margine aut in superficie interna palpebrarum, sæpe summe dolorificus et rebellis; plerumque a vitio syphilitico, vel scrofuloso ortus; sæpe a practicis cum carkinomate confusus.

Sp. 8. Blepharoncus *Kysticus.*

Tumor indolens, renitens, durus, ex atheromate, lipomate, aut steatomate in superficie interna palpebræ oriundus, a skirrho probe distinguendus; cuti concolor, oculum magnitudine sua quandoque extorsum protrudens.

Sp. 9. Blepharoncus *Excrescens.*

Tumor sarcomatosus, aut verrucosus palpebræ. Vide infra *Excrescentiæ.*

G. CCCXLIV. CHEILONCUS.

A Gr. Χεῖλος labrum oris.

Tumor labri superioris vel inferioris oris.

Sp. 1. Cheiloncus *Phlogisticus.*

Ex coryza, ulitide, aut odontalgia ortus.

Sp. 2. Cheiloncus *Scleroticus.*

Tumor parvulus, indolens, lividus, maxime in superficie interna labri, ex accumulata lympha aut tumore viscoso oriundus; nunquam in carkinoma abiens, et excisione semper curabilis.

Sp. 3. Cheiloncus *Skirrhosus.*
Vide *Skirrhus labri.*

Sp. 4. Cheiloncus *Carkinomatosus.*
Vide *Carkinoma labri.*

Sp. 5. Cheiloncus *Scrofulosus.*

Tumor, præcipue labii superioris, maxime in juvenculis, ex vitio scrofuloso ortus.
Vide *Choiras.*

Sp. 6. Cheiloncus *Sarcomatosus.*
Vide *Sarcoma.*

Sp. 7. Cheiloncus *Verrucosus.*

Excrescentia labii superioris vel inferioris dura, indolens, fusca vel nigricans, quandoque cornea, sæpe in magnum volumen increscens.

Sp. 8. Cheiloncus *Ulcerosus.*

Tumor labiorum exulceratus, plerumque dolorificus, margine duro vel molli stipatus;

sæpe ex vitio dentis, ex sarcomate, fissura labii, aut ab acido in ventriculo, vel ex vitio syphilitico, scrofuloso, aut scorbutico ortus; neglectus vel male tractatus sæpe in cacoëthem abiens.

G. CCCXLV. ULONCUS.

A Gr. Οὖλον gingiva.

Gingivarum tumor.

Sp. 1. Uloncus *Phlogisticus.*

Tumor gingivæ calidus, dolorificus, sæpe cum tumore, rubore, et calore genæ lateris affecti junctus; plerumque in apostema abiens. Vide *Ulitis.*

Sp. 2. Uloncus *Apostematodes.*

Tumor gingivæ tuberculosus, summe dolorificus, calidus juxta dentem dolentem vel cariosum, ex phlogosi prægressa, aut etiam ex contusione, laceratione gingivæ, aut fractura alveolæ ortus. Quandoque in carie dentis maxillæ inferioris, patente vel latente, oritur tumor in glandula submaxillari, aut etiam apostema in membrana cellulosa adjacente, sæpe in fistulam abiens.

Syn. Abcessus gingivarum.

Parulis (Gr. Παροῦλις, a παρὰ prope, et οὖλον gingiva).

Sp. 3. Uloncus *Scorbuticus.*

Tumor gingivarum universalis, mollis, fungosus, lividus, summe fœtidus, ex lævissimo contactu sanguinem fundens, dolorificus, sæpe exulceratus, et in volumen enorme excrescens, ita ut dentes complete tegat, vacillationem, et lapsum, aut etiam cariem dentium vel ossis maxillaris causans. Vide *Scorbutus.*

Sp. 4. Uloncus *Sarcomatosus.*

Tumor gingivarum excrescentiam tuberculosam formans, dolens vel indolens, nec inflammatorius, nec in apostema abiens; simplex, vel cum carie alveolæ aut ossis palati complicatus, sæpe in cacoëthem lethalem abiens. Vide *Æpulis.*

Sp. 5. Uloncus *Ulcerosus.*

Tumor gingivarum, ulcere, ex vitio syphilitico, scorbutico, aut ex hydrargyrosi orto, stipatus. Vide etiam *Aphtha.*

Huc etiam referenda est:

Exulceratio aut suppuratio alveolarum peculiaris, indolens, chronica, in qua gingivæ

a dentibus secedunt, et inter dentes præcipue incisores et caninos et gingivam materia purulenta ex alveolis defluit, vacillatione et tandem lapsu dentium stipata (*).

G. CCCXLVI. GLOSSONCUS.

Gr. Γλώσσογκος a Γλῶσσα lingua.

Linguæ tumor abnormis.

SYN. Paraglosse. *Auct.*
Paraglosse exertoria. *S.*
Glossocele *Gaub.*
Lingua propendula.
Linguæ prolapsus.
——— extumescentia.
——— inflatio.
——— extrusio s. exertio abnormis.
} *Auct.*

Sp. 1. Glossoncus *Connatus.*

Linguæ in neonatis ex ore constanter propendulæ tumor.

(*) Hunc morbum pluries in praxi vidi, in viris evidenter a cacochymia hæmorrhoidali; et ex dysmenia, ischomenia aut pausimenia in fœminis oriundum.

Sp. 2. Glossoncus *Acutus.*

Tumor linguæ ex inflammatione ejusdem, aut ex phlogosi glandularum submaxillarium vel sublingualium; aut ab usu hydrargyri incauto; vel a venenis assumptis aut externe applicatis, oriundus.

Sp. 3. Glossoncus *Chronicus.*

Lingua quandoque monstroso volumine ex ore constanter propendens, mollis, vel dura et exsiccata, cum sialorrhœa et dyscataposia; quandoque etiam cum alalia aut voce rauca vel cum ulcere linguæ complicata. — Morbus sollicite a carkinomate linguæ distinguendus.

G. CCCXLVII. STAPHYLONCUS.

A Gr. Σταφυλὴ uvula.

Uvula crassitie aut longitudine abnormis, quandoque simul indurata, functiones lædens.

Sp. 1. Staphyloncus *Phlogisticus.*

Tumor uvulæ, a phlogosi membranæ mucosæ vel cellularis ortus.

Vide *Isthmitis* et *Antiaditis.*

Sp. 2. Staphyloncus *Ulcerosus.*

Tumor uvulæ exulceratus, plerumque a viru syphilitico aliove acri ad fauces translato, vel etiam ex usu interno hydrargyri ortus.

Sp. 3. Staphyloncus *Atonicus.*

Ex atonia seu relaxatione uvulæ ortus.

Syn. Relaxatio uvulæ *Auct.*

G. CCCXLVIII. DEIRONCUS.

A Gr. Δειρὴ colli pars anterior, et ὄγκος tumor.

Tumor colli anterioris.

Sp. 1. Deironcus *Phlogisticus.*

A phlogosi membranæ mucosæ, vel cellulosæ cutis, aut glandularum colli ortus.

Vide *Phlegmasiæ.*

Sp. 2. Deironcus *Glandularis.*

Tumor glandulæ potissimum thyroideæ, sed frequenter etiam aliarum glandularum lymphaticarum vel salivalium in colli parte anteriori aut laterali sitarum indolens, lævis, solidiusculus, elasticus, mobilis, paulatim et non raro ad ingentem magnitudinem increscens; quandoque fluctuans, sed nunquam suppurans. Morbus in multis regionibus alpi-

nis variorum terræ climatum endemicus, sine vitio scrofuloso corporis, probabiliter ab usu habituali aquæ, principio peculiari hactenus incognito imprægnatæ, oriundus (*).

Syn. Struma *Modernorum* (**).
Gongrona. *Vog.*
Bronchocele.
Thyroncus.
Thyrocele.
Trachelophyma. } *Auct.*
Tracheocele.
Hernia bronchialis.
—— gutturalis.

A. Wen; Derbyshire-Neck.
G. Goître.
Ge. Kropf; Dicker Hals.

Sp. 3. Deironcus *Physodes* seu *Aëreus*.

Tumor colli anterioris, ex fissura aut erosione inter annulos cartilagineos tracheæ or-

(*) Hic morbus singularis non solum in pluribus Europæ regionibus alpinis frequens, sed et sub zona torrida in insula *Sumatra*, et in provincia Indiæ orientalis *Deccan* dicta, nec non in montibus *Bootan*, *Thibet*, *Assam* et *Tipra*, eorumque vallibus endemicus occurrit.

(**) Struma Celsi est tumor glandularum colli scrofulosus idem, ac *Choirades* græcorum, et hinc a morbo, de quo hic agitur, essentialiter diversus.

tus, aëri in tunicam cellulosam colli exitum permittens.

Variat pro causa remota:

α. A nisu violento fœminarum in partu.
β. A risu aut clamore violento.
γ. Ab inflatione violenta instrumentorum musicorum.
δ. A nisu violento in elevatione ponderum etc.
ε. Ab ulcere ex variolis.
ζ. A vulnere colli.
η. A fractura laryngis.

Sp. 4. Deironcus *Scrofulosus.*

Tumor glandularum variarum colli, ex vitio scrofuloso oriundus. Vide *Choiras.*

Sp. 5. Deironcus *Atheromatosus.*
Vide *Atheroma.*

Sp. 6. Deironcus *Steatematosus.*
Vide *Steatoma.*

G. CCCXLIX. HEPATONCUS.

Tumor hepatis abnormis.

Vide *Hepatitis*, *Hepatalgia*, et *Emphraxis.*

Sp. 1. Hepatoncus *Phlogisticus.*

Sp. 2. Hepatoncus *Apostematodes.*

Sp. 3. Hepatoncus *Sclerodes.*

Sp. 4. Hepatoncus *Emphracticus.*

Sp. 5. Hepatoncus *Hydatidosus.*

Sp. 6. Hepatoncus *Calculosus.*

Sp. 7. Hepatoncus, *a diadexi podagrica.*

Sp. 8. Hepatoncus *Paralyticus.*

A torpore vel paralysi hepatis, præcipue helluonum, vel etiam pictorum aliorumque opificum, plumbum habitualiter tractantium, oriundus.

G. CCCL. SPLENONCUS.

Tumor splenis abnormis.

Vide *Splenitis*, *Splenalgia*, et *Emphraxis.*

Species fere eædem sunt, ac Generis præcedentis.

G. CCCLI. NEPHRONCUS.

Tumor renis unius vel utriusque abnormis. Ren unus alterve quandoque in enormem molem increscit, et in ventrem descendens, tumorem viscerum aliorum abdominis mentitur.

Vide *Nephritis*, *Nephralgia*, *et Ischuria.*

Sp. 1. Nephroncus *Phlogisticus.*

Sp. 2. Nephroncus *Apostematodes.*

Sp. 3. Nephroncus *Calculosus.*

Sp. 4. Nephroncus *Paralyticus.*

Sp. 5. Nephroncus *Sarcomatosus.*

Sp. 6. Nephroncus *Steatomatosus.*

G. CCCLII. KYSTONCUS.

Tumor vesicæ urinariæ abnormis.

Vide *Kystitis*, *Kystalgia*, et *Ischuria.*

Sp 1. Kystoncus *Phlogisticus.*

Sp. 2. Kystoncus *Rheumaticus.*

Sp. 3. Kystoncus *Paralyticus.*

Sp. 4. Kystoncus *a spasmo colli vesicæ.*

Sp. 5. Kystoncus *a stenosi urethræ.*

G. CCCLIII. OMPHALONCUS.

Gr. Ἐξόμφαλος, ab Ὀμφαλος Umbilicus : Exomphalus.

Tumor umbilici abnormis prominens.

Sp. 1. Omphaloncus *Phlogisticus.*

Tumor umbilici inflammatorius, dolens; plerumque ex contusione, laceratione, aut acri applicato oriundus.

Sp. 2. Omphaloncus *Apostematodes.*

Tumor umbilici suppurans, ex phlogosi umbilici prægressa, vel ex metastasi ortus.
SYN. Abscessus umbilici.

Sp. 3. Omphaloncus *Hœmatodes.*

Tumor umbilici lividus, fluctuans, a sanguine in membranam cellularem umbilici extravasato; quandoque etiam tuberculosus, a venis umbilici varicosis ortus. Morbus maxime infantum, a contusione, laceratione, aut vulnere umbilici originem trahens.

Sp. 4. Omphaloncus *Physodes.*

Tumor umbilici cuti concolor, pressione crepitans, ab aëre ex tympanitide abdominali, vel ex ulcere aut vulnere umbilici, in membranam ejus cellularem penetrante, oriundus.

Sp. 5. Omphaloncus *Hydropicus.*

Tumor ab aqua ex hydrope abdominis, aut ex hydrope subcutaneo, in tunicam cellulosam umbilici penetrante, ortus.
SYN. Hydromphalus. *Auct.*

Sp. 6. Omphaloncus *Hydatidosus.*

Sp. 7. Omphaloncus *Herniosus.*

Tumor umbilici ex intestino aut omento, quandoque etiam ex ventriculo, vesicula fellea, processu vermiformi intestini cæci, aut ex ligamento rotundo hepatis per annulum umbilici dilatatum, aut ad latus umbilici extrorsum penetrante ortus, pressione digiti evanescens; vel ex contractione annuli umbilicalis spasmodica herniam incarceratam formante oriundus, eventu sæpe lethali.

Syn. Omphalocele. *Auct.*

Sp. 8. Omphaloncus *Sarcomatosus.*

Tumor ex ulcere umbilici, aut ex dilaceratione funiculi umbilicalis excrescens, indolens vel dolorificus; sæpe in ulcus mali moris abiens.

Sp. 9. Omphaloncus *Steatomatosus.*

Plerumque a steatomate omenti, per umbilicum protruso ortus, vulgo *Sarcomphalus* dictus.

Sp. 10. Omphaloncus *Ulcerosus* s. *Cacoëthes.*

G. CCCLIV.

G. CCCLIV. ETRONCUS.

A Gr. Ἦτρον imus venter.

Tumor ventris seu abdominis abnormis, functiones lædens.

Variat sede :

α. In peritonæo (*Peritonœalis*).
β. In vasis aut glandulis mesenterii (*Mesentericus*).
γ. In omento (*Epiploicus*).
δ. In ventriculo (*Gastricus*).
ε. In intestinis (*Entericus*).
ϛ. In pancreate (*Pancreaticus*).
η. In hepate (*Hepaticus*).
ϑ. In splene (*spleneticus*).
ι. In rene (*Nephricus*).
κ. In vesica (*Vesicalis s. Kysticus*).
λ. In ovario (*Ovaricus*).
μ. In utero (*Uterinus s. Hystericus*).

Sp. 1. Etroncus *Phlogisticus.*

Tumor ventris ex phlogosi viscerum abdominalium ortus.

Vide V. I. O. *Phlegmasiæ.*

Sp. 2. Etroncus *Apostematodes.*

Tumor ventris ex apostemate viscerum abdominalium, aut ex empyemate, vel etiam

ex metastasi purulenta, aut diadexi lactea ortus.

Sp. 3. Etroncus *Gangrænodes*.

Ex dissolutione putrida, aut gangræna viscerum abdominalium ortus.

Sp. 4. Etroncus *Sclerodes*.

Ab induratione viscerum abdominalium oriundus. Vide *Emphraxis*.

Sp. 5. Etroncus *Hæmatodes*.

Tumor ventris a sanguine in cavo abdominis extravasato, ex contusione, vulnere aut rhexi vasorum sanguineorum ortus.

Sp. 6. Etroncus *Hydropicus*.

Tumor ventris ex aqua in cavum abdominis, vel inter peritonæum et musculos abdominales effusa et accumulata; vel ex hydrokystide aut etiam hydatidibus in cavo abdominis contentis; vel demum ex rhexi aut vulnere vasorum lymphaticorum, vel ductus thoracici aut vesicæ urinariæ, oriundus.

Sp. 7. Etroncus *Physodes*.

Tumor ventris ex pneumatosi, tympanitide, vel emphysemate, id est, ex aëre aut ex

gaze elastico ventriculum et intestina distendente, vel in ipso cavo abdominis accumulato, aut etiam inter membranas abdominis effuso, ortus (*).

Sp. 8. Etroncus *Emphracticus.*

Tumor ventris ex obstructione aut tumore hepatis, intestinorum, pancreatis, renis, vesicæ urinariæ, uteri aut ovariorum, ortus.

Huc etiam recte pertinet:

Etroncus *Infantum* aut *Puerorum.*

Tumor ab infarctu vasorum et glandularum meseraicarum, præprimis ex acido primarum viarum, aut ex vitio scrofuloso, vel osteomalakia, aut etiam ex pituita vel vermibus in canali intestinali contentis, oriundus.

Sp. 9. Etroncus *Adiposus.*

Tumor ventris ex polypiote ortus.

Sp. 10. Etroncus *Steatomatosus* aut *Sarcomatosus.*

Ex steatomate, sarcomate, aliisve tumoribus abdominis natus.

(*) Animalia herbivora, præcipue ex esu trifolii, medicaginis etc, recentium sæpe tumore ventris enormi laborant, cito lethali, nisi pertusio ventris mature peracta fuerit.

Sp. 11. Etroncus *Gravidarum.*

Tumor ventris ex utero gravido ortus, etsi morbus non sit, hic recensendus est, ut ab aliis speciebus distinguatur.

Sp. 12. Etroncus à *Parakyesi* vel *Pseudokyesi.*

Tumor ventris a conceptione et graviditate extrauterina vel ex mola ortus. Vide *Parakyesis.*

Sp. 13. Etroncus *Herniosus.*

Vide infra *Hernia.*

Sp. 14. Etroncus *Verminosus.*

A vermibus variis in intestinis hospitantibus ortus.

G. CCCLV. BUBONONCUS.

A gr. βουβὼν, inguen.

Tumor in inguine uno vel utroque.

Sp. 1. Bubononcus *Glandularis.*

Tumor inguinis ex tumore quocunque glandularum inguinalium ortus. Vide *Adenitis* et *Phygethlon.*

Variat pro causa remota:

α. A viru syphilitico, orificia vasorum lymphaticorum vicinorum irritante, vel ab eodem viru in glandulam ipsam delato.

β. A vitio scrofuloso.

γ. A metastasi purulenta vel lactea.

δ. A viru pestilentiali ad glandulas inguinales delato.

Sp. 2. Bubononcus *Herniosus.*

Tumor inguinis ex hernia inguinali quacunque, simplici vel incarcerata, ortus.

Sp. 3. Bubononcus *Purulentus.*

Tumor inguinis ex apostemate musculi psoæ, vel visceris cujuscunque abdominalis rupto, et pure inde ad inguen delato; vel etiam ex diadexi purulenta aut lactea oriundus.

Sp. 4. Bubononcus *Hœmatodes.*

Tumor inguinis a sanguine ad inguen delato, ex vulnere aut rhexi vasis sanguinei in abdomine ortus.

Sp. 5. Bubononcus *Hydropicus.*

Tumor inguinis ab aqua ex hydrope abdominis in inguen penetrante; aut etiam ab accumulatione aquæ in funiculo spermatico ortus

Sp. 6. Bubononcus *Orchicus.*

Tumor inguinis ex testiculo uno vel utroque, aut etiam tertio in inguine hærente.

SYN. Parorchidium. *Auct.*

Sp. 7. Bubononcus *a Vitio funiculi spermatici.*

Tumor inguinis ex tumore, aliove vitio funiculi spermatici in inguine oriundus.

G.CCCLVI. ORCHIONCUS.

A gr. Ὄρχις, testiculus *s.* testis.

Tumor testiculi, epididymidis, aut funiculi spermatici (*).

N. B. In omni orchionco status renum sollicite examinandus est, quia vitia horum organorum sæpe cum orchionco complicata occurrunt, vel a se invicem dependent.

A. Swelling of the testicles.
G. Tumeur des testicules.
Ge. Hodengeschwulst.

A Idiopathicus.

Sp. 1. Orchioncus *Phlogisticus.*

Tumor testiculi unius aut utriusque, vel epididymidis aut funiculi spermatici acutus, calidus, durus, dolens tensivus vel gravativus; plerumque simul cum tumore, rubore et calore scroti junctus, sæpe ad ingens volumen increscens. Vide *Orchitis.*

(*) Veteres et plures etiam recentiores tumores testiculorum et scroti varios, *hernias spurias* appellarunt; unde nomina impropria *hydrocele*, *cirsocele s. varicocele*, *hæmatocele*, *sarcocele*, etc.

Syn. Hernia humoralis.
Inflammatio testiculi. } *Auct.*

Sp. 2. Orchioncus. *Apostematodes.*

Tumor testiculi ex phlogosi prægressa in suppurationem, et sæpe in destructionem ejusdem abiens.

Syn. Apostema *s.* abscessus testiculi *Auct.*

Sp. 3. Orchioncus *Gangrœnodes.*

Tumor testiculi phlogisticus, in gangrænam abiens.

Syn. Gangræna *s.* Sphakelus testiculi.

Variat pro causa remota:

α. A phlogosi violenta prægressa.

β. A metastasi febrili, præcipue ex parotitide retrocedente.

γ. Ab urina, ex erosione aut rhexi urethræ, extravasata.

δ. A contusione, ictu, aliave violentia externa.

Sp. 4. Orchioncus *Hœmatodes.*

Tumor testiculi unius vel utriusque, sæpe simul et scroti, ad lumen opacus, vel etiam lividus, indolens, vel dolore tensivo aut gravativo stipatus, ex sanguine inter tunicam

vaginalem et albugineam, aut, etsi rarius, in ipsa substantia testiculi extravasato; quandoque etiam totum funiculum spermaticum replens.

SYN. Hæmatocele. *Auct.*

VARIAT pro causa remota:

α. A vulnere aut operatione chirurgica (*)

β. A contusione, ictu, præcipue in equitatione, nisu violento, aut in coitu.

γ. Ab erosione aut rhexi arteriæ vel venæ spermaticæ.

δ. Ab atonia vasorum sanguineorum.

Sp. 5. Orchioncus *Varicosus* s. *Kirsodes.*

Tumor, frequentius tumores venæ spermaticæ plures, tuberculosi, molles, indolentes, paulatim crescentes, ab epididymide ad annulum abdominalem usque, et non raro simul ad partem lateralem scroti extendentes ac iter funiculi spermatici sequentes, ex venæ spermaticæ dilatatione abnormi orti; compressione funiculi spermatici ad annulum abdominalem, vel etiam motu, risu aut tussi, volumine au-

---

(*) Id præcipue contingit in operatione hydropis testiculi, tuncque paulo post operationem de novo tumor testiculi ex sanguine effuso oritur.

gentes, et compressione versus annulum abdominalem frequenter evanescentes. Morbus sollicite ab orchionco spermatode distinguendus.

SYN. Cirsocele. } *Auct.*
Varicocele. }

VARIAT pro causa remota :

α. Ab atonia venæ spermaticæ.

β. A turgore vasorum hæmorrhoidalium.

γ. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.

δ. A contusione testiculi prægressa.

ε. A brachierio male applicato, aut a compressione quacunque funiculi spermatici.

Sp. 6. Orchioncus *Spermatodes.*

Tumores vasorum spermaticorum, substantiam testiculi et epididymidis et pro parte etiam funiculi spermatici proprie constituentium, glomeres exiguos, tactu funes tenues contortos et quasi compagem vermiculorum tenuium referentes; initio plerumque epididymidem, et funiculum spermaticum ad annulum abdominalem usque occupantes. Progressu morbi, quandoque etiam mox ab ejus initio, hi glomeres in testiculo ipso sese manifestant, membranam fibrosam testiculi fortiter sed inæ-

qualiter distendentes; tandem vasa spermatica testiculi sæpe complete disparent, et membranam albugineam, instar sacculi vacui, post se relinquunt. — Tumores initio parvuli, indolentes, dein paulatim crescentes, præcipue pressione summe dolorifici evadunt; accedente dolore lumborum tensivo aut gravante, sæpe ad lumbos usque, vel etiam in interno femore ad genu usque extenso, pressione leni funiculi spermatici versus annulum abdominalem nullo modo diminuentes, compressione ejusdem fortiori ad annulum abdominalem increscentes. Tumor testis tandem non raro in apostema et ulcus abiens, ex quo gradatim totum vas spermaticum testiculi sub forma filorum tenuium alborum excernitur, vix remanente ullo vestigio testiculi. Morbus ex distensione violenta aut rhexi membranæ fibrosæ testiculi oriundus.

Syn. Spermatocele, et sæpe etiam improprie Varicocele *Auct.* (*)

(*) Hic morbus ab omnibus fere auctoribus male cum tumore varicoso testiculorum confusus, vulgo sub nomine *varicocele* seu *cirsocele*, aut etiam *sarcocele* occurrit; sed charactere utriusque dato inter se satis facile distinguuntur. Ex ortu ac progressu uterque hic tumor etiam ab hernia omenti inguinali distinguendus est, cum qua non raro a practicis levibus aut ignaris confundi solet.

Hæ duæ SPECIES *VARIANT* *pro causa remota:*

α. A phlogosi testiculi aut epididymidis prægressa.

β. A contusione, aut ictu testiculi.

γ. Ab hydrope testiculi prægresso.

δ. Ab atonia membranæ fibrosæ testiculi.

ε. A vulnere, erosione, aut rhexi membranæ fibrosæ testiculi.

ζ. A nisu violento alvum deponendi, præcipue in dyscoilia laborantibus.

η. A compressione funiculi spermatici per tumores vicinos.

θ. Ab excessu veneris aut anaphlasis.

ι. Ab accumulatione seminis in vasis spermaticis.

κ. Ab emphraxi viscerum aut vasorum abdominalium.

Sp. 7. Orchioncus *Sclerodes.*

Tumor testiculi vel epididymidis, quandoque utriusque simul, aut etiam funiculi spermatici durus, chronicus, dolens vel indolens, inæqualis, tuberculosus, durissimus, aliquando quasi cartilagineus vel calculosus, simplex, vel cum tumore varicoso, spermatico, aut hydropico testiculi complicatus;

modo subito, modo lente ortus; quandoque diu in statu duro remanens, tandem sponte evanescens; vel rarius etiam in ulcus mali moris (ab auctoribus vulgo *cancer testiculi* appellatum) abiens; quandoque cum hydrope testiculi aut etiam cum morbis renum complicatus.

Syn. Sclerosis s. Induratio testiculi (*).

Skirrhus testiculi. } *Auct.*
Sarcocele.

Variat pro causa remota :

α A phlogosi prægressa.

β. A contusione aliave vi externa illata.

γ. Ab urethritide aut blennorrhagia urethrali male tractata.

δ. A stenosi urethræ, aut a concretione ductuum excretoriorum vesicularum seminalium.

ε. Ab emphraxi viscerum abdominalium vel vasorum hæmorrhoidalium.

ζ. A vitio renum.

(*) Auctores vulgo omnem tumorem testiculorum, durum, chronicum, a quacunque causa ortum, skirrhum, sarcocelen, aut etiam sarcoma testiculi appellaverunt. Alii sarcocelen dicunt tumorem ab epididymide orientem et tandem ipsum articulum afficientem; skirrhum e contra, si tumor substantiam testiculi primarie occupat.

η. A repletione vasorum spermaticorum ex castitate severa.

ϑ. A semine accumulato ex coitu frequente consueto subito intermisso.

ι. A vitio podagrico.

κ. A vitio seminis.

λ. A repletione vasorum lymphaticorum vel glandularum testiculi aut epididymidis (*).

μ. A viru syphilitico patente aut celato.

ν. A vitio scrofuloso (**).

Sp. 8. Orchioncus *Skirrhosus.*

Tumor glandulæ unius vel alterius, prope vasa spermatica testiculi et epididymidis sitæ, durus, lævis vel inæqualis, cum ardore et dolore partis affectæ, ad carkinoma tendens. Syn. Skirrhus testiculi.

Sp. 9. Orchioncus *Carkinomatosus.*

Ex skirrho testiculi prægresso ulcus labiis

(*) Tumor epididymidis durus, indolens, post tumorem testiculi, acutum, ex Blennorrhagia urethrali suppressa ortum, remanens, sæpe per annos, imo etiam per vitam, sine ullo incommodo perdurat.

(**) Hic tumor chronicus, initio sæpe nodulis aut tuberculis, in substantia testiculi prominentibus, distinctus est; sed progressu morbi testiculus cum epididymide in massam uniformem, nullis tuberculis notatam, coalescit.

retorridis, duris, sæpe simul excrescentiis fungosis stipatum, summe dolorificum, cum tensione et dolore in regione lumborum, et renum, ac marcore corporis generali junctum (*).

Sp. 10. Orchioncus *Hydropicus.*

Tumor testiculi cuti concolor, indolens, initio morbi plerumque transparens, et quandoque evidenter fluctuans, ex humore seroso vel lymphatico, inter membranas testiculi unius vel utriusque effuso, et plus minusve accumulato ortus; quandoque cum orchionco sclerode complicatus.

Syn. Hydrocele.
Hydrops testiculi. } *Auct.*
Hydrorchis.
Hydrolythron. *Ploucq.*

A. Hydrocele.
G. Hydrocele.
Ge. Wasserbruch.

Variat sede:

1. Inter tunicam vaginalem et albugineam testiculi.

(*) Camper hunc tumorem cultro neutique tentandum esse suadet. — Cæterum ulcus testiculi quodcunque non raro carne fungosa repletur, sed ideo minime cum carkinomate confundendum.

2. Inter laminas tunicæ vaginalis.
3. In ipsa substantia testiculi, inter albugineam et vas spermaticum testiculi.
4. Inter tunicam cellularem et fibrosam funiculi spermatici; quandoque tumorem æqualem totius funiculi formans, quandoque etiam in saccum extensus.
5. In membrana cellulari scroti. Vide *Oscheoncus hydropicus*.

VARIETAS hydropis testiculi est;

Orchioncus *Hydatidicus*.

Tumor funiculi spermatici, seriem globulorum minorum majorumve tactu exhibens, nec dolens, nec fluctuans. Morbus maxime infantibus, et hinc postea etiam adultis infestus.

VARIAT pro causa remota:

α. A contusione, ictu, aliave vi externa illata.
β. A nisu violento.
γ. Ab atonia aut asthenia vasorum lymphaticorum.
δ. A rhexi vasis lymphatici.
ε. Ab obstructione, aut compressione vasorum in inguine, vel in abdomine; aut ex brachierio, aut tumoribus variis.
ζ. A sclerosi testiculi.

η. Ab emphraxi viscerum aut vasorum abdominalium.

B. ORCHIONCUS *Sympathicus*.

Tumor testiculi, epididymidis, aut funiculi spermatici dolorificus, tensivus, quandoque cum retractione testiculorum junctus, ex irritatione urethræ, vesicæ, ureterum, renum, recti aut ex morbis intestini, aliarumve partium cum testiculis communicantium, vel etiam ex affectione morbosa cerebelli oriundus.

Γ. ORCHIONCUS *Complicatus*.

1. Orchioncus spermatodes cum orchionco kirsode.
2. ——— sclerodes cum hydropico (*Hydrosarcocele. Auct.*)
3. ——— varius cum vitio renum.
4. ——— cum hernia inguinali.

G. CCCLVII. OSCHEONCUS.

A. Gr. Ὄσχεον scrotum.

Tumor scroti abnormis.

A. Tumor of the scrotum.
G. Tumeur du scrotum.
Ge. Hodensakgeschwlust.

Sp. 1.

Sp. 1. Oscheoncus *Phlogisticus.*
Vide *Ocheitis.*

Sp. 2. Oscheoncus *Apostematodes.*
Vide *Apostema.*

Sp. 3. Oscheoncus *Gangrœnodes.*
Vide *Gangrœna.*

VARIANT pro causa remota :

α. A phlogosi violenta prægressa.
β. A læsione, incisione aut punctura scroti.
γ. Ab urina extravasata.
δ. Ab hydrope membranæ cellularis scroti.
ε. A diadexi aut metastasi.

Sp. 4. Oscheoncus *Hœmatodes.*

Tumor scroti in uno vel utroque latere lividus aut nigrescens, quandoque durus, et magni voluminis, a sanguine in tunica cellulosa scroti, vel etiam in cavo scroti inter tunicam ejus cellularem et tunicam vaginalem testiculi extravasato, ex rhexi venæ cujusdam oriundus.

SYN. Hæmatocele. *Auct.*

VARIAT :

α. Ex vulnere, aut operatione chirurgica.
β. Ex nisu violento.
γ. Ex contusione.

Sp. 5. Oscheoncus *Varicosus* s. *Kirsodes.*

Tumor venarum scroti tuberculosus, indolens, lividus. Vide *Kirsos.*

Sp. 6. Oscheoncus *Physodes.*

Syn. Pneumatocele. *Auct.*

Variat:

α. Ab emphysemate generali.
β. A vulnere scroti.
γ. Ex dissolutione sanguinis in febribus.
δ. Ex gangræna scroti.

Sp. 7. Oscheoncus *Hydropicus.*

Tumor scroti frigidus pallidus, ex aqua in tunica cellulari cutis scroti, vel inter scrotum et tunicam vaginalem testiculorum in uno vel utroque latere effusa.

Syn. Hydrocele saccatum.
Hydroscheon.
Hydrops scroti saccatus.
Anasarca scroti. } *Auct.*

Variat sede:

A. *Dermaticus.*

Ex aqua in tunica cellulari scroti accumulata. Tumor mollis, digiti impressionem reti-

nens, cuti concolor, lævis, super scroti superficiem æqualiter diffusus; progressu morbi scrotum in ingentem magnitudinem ad inguina usque distentum, plerumque cum tumore hydropico penis et præputii junctus.

B. *Saccatus.*

Ex aqua inter tunicam vaginalem et cutem scroti; vel in sacco herniæ scrotalis accumulata.

Syn. Hydroenterocele *Heister.*

C. *Hydatidicus.*

Series globulorum minorum majorumve in scroto vel in funiculo spermatico, tactu perceptibilis, nec dolens, nec fluctuans. Morbus maxime infantibus infestus.

Variat pro causa remota:

α. Ab hydrope abdominis, aut cutis generali.

β. A contusione.

γ. A compressione vasorum lymphaticorum ex tumore duro.

δ. Ab atonia vasorum in inguine vel abdomine.

ε. Ab aqua in tunica vaginali testiculi collecta.

ζ. Ab aqua in tunicam cellularem scroti penetrante.

η. Ab operatione hydropis testiculi prægressa.
ϑ. A septorrhepyra.
ι. A brachierio male constructo aut applicato.
κ. A luxatione femoris.
λ. Ab hernia omenti inguinali indurata.
μ. A rhexi tunicæ vaginalis testiculi hydropici.

Sp. 8. Oscheoncus *Urinosus.*

Tumor ab effusione aut extravasatione urinæ in tunicam cellularem scroti oriundus.

Variat:

α. A stenosi urethræ.
β. A calculo in urethra impacto.
γ. Ab ulcere urethræ vel vesicæ syphilitico.
δ. A rhexi, erosione, aut gangræna ex ischuria vesicali vel urethrali.

Sp. 9. Oscheoncus *Herniosus.*

Tumor scroti ex hernia intestinali vel omenti, aut utriusque. Vide *Kele* s. *Hernia.*

Syn. Hernia scroti } *Auct.*
——— scrotalis. }
Oscheocele. }

Sp. 10. Oscheoncus *Sarcomatosus.*

Tumor scroti chronicus, indolens, cuti concolor, tactu massam carneam referens, in quibusdam locis mollem, in aliis duram; progressu morbi sæpe ad ingentem magnitudinem increscens, pendulus, non raro ad genua usque, imo etiam ultra descendens, vasis spermaticis simul ad hanc longitudinem paulatim extensis, quandoque 50, 100 et plures adhuc libras ponderans : Cutis externa scroti decolor, crassa, rugosa, crustis flavis, squammosis tecta, quibus deciduis succedunt ulcuscula, ichorem acrem fœtidum fundentia. Morbus in Africa passim endemicus, non raro cum Elephantopo complicatus, et a degeneratione et incrassatione peculiari membranæ cellulosæ cutis scroti oriundus (*).

SYN. Sarcoma scroti. } *Auct.*
Sarcocele. }

VARIAT pro causa remota :

α. A vitio elephantiaco.

β. A vitio syphilitico.

(*) Hic morbus a SCHOTTE primo descriptus, deinde exactius a LARREY delineatus, (*Relat. hist. et chirurgicale de l'expédition de l'armée en Egypte et en Syrie*, in-8°, Paris, 1803), qui eundem etiam icone illustravit, et excisione, vix aut ne vix dolorifica, perfecte curari docet.

γ. A neglectu munditiei, habitatione humida, palustri.

δ. Ab acribus externe applicatis.

ε. A vi externa illata.

Sp. 11. Oscheoncus *Cacoëthes.*

Tumor scroti, ulcere dolorifico, corrodente, labiis duris aut excrescentiis verrucosis stipatus. Hoc ulcus sibi relictum tandem ipsum testiculum et funiculum spermaticum destruit, et ad viscera abdominis ascendens, brevi lethale evadit. Morbus maxime illis, qui caminos mundant, infestus, ex fuligine lithrantracum scroto adhærente oriundus, a Pott primo descriptus, et ab eo improprie *Cancer scroti* appellatus (*).

Oscheoncus complicatus.

1. Oscheoncus varius cum orchionco vario.
2. ———— hydropicus cum oscheonco hernioso.
3. ———— sarcomatosus cum elephantopo, aut etiam cum elephantiasi.

(*) An coles et scrotum unquam vero carkinomate afficiantur, observatoribus futuris dijudicandum relinquo; sed ulcera phagedænica aut gangrænosa colis, ex coitu impuro hodie ut olim orientia, carkinomatosa appellari non possunt.

G. CCCLVIII. PSOLONCUS.

Gr. Ψώλογκος s. πέογκος à ψωλὴ s. πέος coles s. penis.

Tumor colis, seu membri virilis abnormis, functiones lædens; sæpe simul cum oscheonco complicatus.

Sp. 1. Psoloncus *Phlogisticus.*

Tumor colis ab inflammatione membranæ mucosæ, vel cellularis, aut fibrosæ penem cingentis, vel etiam ab inflammatione glandularum subcutanearum penis natus, erectionibus frequentibus et sub his sæpe dolore violento stipatus (*); plerumque ex viru syphilitico, aliove acri applicato oriundus.

Sp. 2. Psoloncus *Gangrœnodes.*

A viru summe acri syphilitico aliove applicato oriundus. Vide *Anthrax.*

Syn. Ignis Persicus. *Auct.*

Sp. 3. Psoloncus *Spasticus.*

Vide *Priaspismus.*

(*) Dolor in erectione ab extensione violenta membranæ fibrosæ penis oriri videtur.

Sp. 4. Psoloncus *Hæmatodes.*

Tumor colis ex sanguine in cute ejus extravasato ortus.

Sp. 5. Psoloncus *Varicosus* s. *Kirsodes.*

Tumor colis tuberculosus, ex sanguine in vena, aut etiam ex lympha in vase absorbente stagnante ortus.

Sp. 6. Psoloncus *Physodes.*

Tumor colis ex aëre aut gaze elastico, tunicam cellularem ejus distendente.

Sp. 7. Psoloncus *Hydropicus.*

Tumor colis ab hydrope scroti aut cutis generali, vel etiam ab extravasatione urinæ in tunicam cellulosam oriundus. Vid. *Oscheoncus.*

Sp. 8. Psoloncus *ulcerosus.*

Tumor colis ulcere syphilitico, herpetico, phagedænico aut cacoëthe stipatus, sollicite a carkinomate distinguendus; sæpe ex ulceribus syphiliticis male tractatis, præcipue ex causticis repetito applicato, oriens.

Sp. 9. Psoloncus *Sclerodes.*

Tumores colis duri, elastici, indolentes, ex

phlogosi, apostemate, aut ulceribus vel verrucis syphiliticis prægressis orti (*).

Sp. 10 Psoloncus *Sarcomatosus.*

Tumor colis ex sarcomate, condylomate, aut verrucis ortus.

G. CCCLIX. POSTHONCUS.

A. Gr. Πόσθη præputium.

Tumor præputii abnormis.

Syn. Phimosis *Auct.*

Sp. 1. Posthoncus *Phlogisticus.*

Tumor præputii ex inflammatione membranæ mucosæ in superficie interna vel externa præputii, aut ex phlogosi membranæ cellularis intermediæ oriundus. Vide *Posthitis.*

Sp 2. Posthoncus *Physodes.*

Tumor præputii, plerumque ex vulnere aut ex operatione chirurgica prægressa, oriundus.

Sp. 3. Posthoncus *Hydropicus.*

Plerumque ex hydrope scroti et colis ortus.

(*) Hi tumores neglecti, aut male tractati, sæpe in ulcera serpentia, aut in excrescentias fungosas pessimas abeunt.

Sp. 4. Posthoncus *Sarcomatosus.*

Tumor ex crassitie aut longitudine præputii abnormi connata; vel ab excrescentiis sarcomatosis aut verrucosis oriundus.

Sp. 5. Posthoncus *Ulcerosus.*

Tumor præputii, ulcere syphilitico, herpetico, phagedænico aut cacoëthe etc. stipatus.

G. CCCLX. OVARIONCUS (*).

Tumor ovarii, aut tubarum Fallopii abnormis.

Sp. 1. Ovarioncus *Phlogisticus.*
Vide *Ovaritis.*

Sp. 2. Ovarioncus *Apostematodes.*
Vide *Apostema.*

Sp. 3. Ovarioncus *Lacteus.*

A diadexi lactea oriundus.

Sp. 4. Ovarioncus *sclerodes.*

Tumor ovarii unius vel utriusque durus, indolens, chronicus.

(*) Galenus aliique Græci ovaria *testiculos fœmininos* et tubas Fallopii *corniculos* appellarunt; ex hac causa nomen ex latino et græco compositum adhibui.

Sp. 5. Ovarioncus *Physodes.*

Tumor ovarii aërem aut gaz elasticum continens. Vide *Physoncus.*

Sp. 6. Ovarioncus *Hydropicus.*

Tumor ovariorum, ab aqua effusa et accumulata; vel etiam ab hydatidibus, in ovariis aut tubis Fallopii natis, oriundus.

Sp. 7. Ovarioncus *Asthenicus.*

A torpore aut anerethisia ovariorum oriundus.

Sp. 8. Ovarioncus *Emphracticus.*

Ab infarctu ovariorum ortus.

Sp. 9. Ovarioncus *Steatomatosus.*

Tumor ovarii unius vel utriusque, a collecto adipe, aut a substantia, sevo æmula, in ovario accumulata; vel etiam substantiam osseam aut massam ex pilis compactam continens.

Sp. 10. Ovarioncus *a Parakyesi.*

A conceptione et graviditate extrauterina, et fœtu in ovario vel in tuba Fallopii hærente, oriundus. Vide supra p. 377 *Parakyesis.*

G. CCCLXI. HYSTERONCUS.

A Gr. Ὑστέρα uterus, *s.* matrix.

Tumor uteri, aut vaginæ uteri abnormis, functiones lædens.

Sp. 1. Hysteroncus *Phlogisticus*.

Tumor uteri, ex inflammatione membranæ cellularis, vel glandularum, aut substantiæ uteri, vel etiam membranæ mucosæ, superficiem uteri et vaginæ internam investientis, ortus.

Vide *Hysteritis*, V. I. p. 110.

Sp. 2. Hysteroncus *Apostematodes*.

Vide *Apostema*.

Sp. 3. Hysteroncus *Gangrœnodes*.

Tumor uteri ex phlogosi violenta, maxime in puerperis, prægressa; aut etiam ex metastasi oriundus.

Sp. 4. Hysteroncus *Physodes*.

Tumor uteri ischomenia stipatus, ex aëre aut gaze elastico incluso et uterum distendente ortus, sine signis graviditatis.

Syn. Physometra. *Auct.*

Sp. 5 Hysteroncus *Hydropicus*.

Tumor uteri ischomenia stipatus, ex aqua in cavo uteri effusa et accumulata oriundus; in

decubitu sensatio ponderis ad latus alterutrum ruentis, sine signis graviditatis.

Syn. Hydrometra. *Auct.*

Sp. 6. Hysteroncus *Hydatidicus:*

Tumor uteri ex hydatidibus, sæpe numerosissimis, ac racematim inter se cohærentibus, ischomenia, et absentia symptomatum graviditatis stipatus.

Sp. 7. Hysteroncus *a Graviditate.*

Morbus non est; sed hic recensendus, ut ab aliis uteri tumoribus distinguatur.

Sp. 8. Hysteroncus a *Pseudokyesi.*

Tumor uteri et abdominis, a graviditate spuria oriundus, ischomenia, et absentia symptomatum graviditatis veræ stipatus. Vide p. 376. *Pseudokyesis.*

Sp. 9. Hysteroncus *sarcomatosus* s. *Polyposus.*

Quandoque magnæ molis, in vagina, vel etiam ex orificio vaginæ propendens, basi sua arctiori utero vel vaginæ uteri adhærens, non raro dolore obtuso, et excretione puris aut ichoris fœtidi stipatus, vel etiam in putredinem abiens; a mola, hydatidibus, aut carkinomate uteri sollicite in praxi distinguendus.

SYN. Polypus uteri. } *Auct.*
——— vaginæ uteri. }

Sp. 10. Hysteroncus *Sclerodes.*

Induratio uteri indolens, chronica, benigna.

Sp. 11. Hysteroncus *Skirrhosus.*

Induratio uteri, in carkinoma tendens. Vide supra *Skirrhus Uteri.*

Sp. 12. Hysteroncus *Carkinomatosus.*

Tumor uteri ex skirrho prægresso exulceratus, excretione ichoris fœtidi, odoris peculiaris summe nauseosi, ipsi ægræ intolerabili stipatus. Morbus jam ab HIPPOCRATE observatus: En verba auctoris: « Quando uterus mulieris « durus fit, et ex genitalibus prominet, tumo- « res duri in inguinibus nascuntur, et ardor « in genitalibus percipitur, carkinoma in- « cipit. » Et alibi addit: « Si uterus indures- « cit, menstrua deficiunt, et os uteri clau- « ditur, mulier non concipit; et si os uteri « tangitur, instar lapidis durum invenitur, « asperum, tuberculosum, digitum non ad- « mittens. »

Sp. 13. Hysteroncus *Ulcerosus.*

Tumor uteri ulcere in substantia, vel in collo aut in orificio uteri, plerumque serpente

corrosivo, ac dolore obtuso, vel ardore urinæ et pyorrhagia uteri acri, aut blennorhagia genitalium stipatus : Progressu morbi sæpe marasmopyra ; sine symptomatibus carkinomatis.

G. CCCLXII. CREMNONCUS.

A Gr. Κρημνοί. *Hipp.* Labia vulvæ *s.* pudendi muliebris.

Tumor labiorum vulvæ abnormis, functiones lædens.

Sp. 1. Cremnoncus *Phlogisticus.* (*Cremnitis*).

Tumor, rubor, calor et dolor labiorum vulvæ. Morbus ex phlogosi membranæ mucosæ, aut membranæ cellularis, vel etiam glandularum, aut ipsius substantiæ labiorum oriundus.

Sp. 2. Cremnoncus *Apostematodes.*

Tumor labiorum vulvæ, ex phlogosi membranæ cellularis vel glandularum prægressa, in suppurationem abiens.

Sp. 3. Cremnoncus *Gangrænodes.*

Tumor labii vulvæ unius vel utriusque lividus, sæpe cito lethalis, ex phlogosi violenta, vel sæpius ex metastasi, præprimis ex parotitide subito retrocedente, oriundus.

Sp. 4. Cremnoncus *Hæmatodes.*

Tumor ex sanguine in tunicam cellulosam labiorum vulvæ extravasato ortus.

VARIAT:

α. A compressione vasorum sanguineorum, sæpe in gravidis, puerperis occurrens.

β. A menstruorum cessatione, vel suppressione.

Sp. 5. Cremnoncus *Varicosus s. Kirsodes.*

Tumores tuberculosi, lividi in labiis vulvæ, ex compressione et dilatatione venarum abnormi oriundi.

Sp. 6. Cremnoncus *Physodes.*

Tumor labiorum vulvæ ex aëre aut gaze elastico, in membranam cellulosam eorum effuso.

Sp. 7. Cremnoncus *Hydropicus.*

Tumor labiorum vulvæ, ex aqua in membrana eorum cellulari stagnante et accumulata, ab hydrope cutis generali, vel ex compressione vasorum absorbentium locali, aut ex utero gravido, aliisve tumoribus vicinis oriundus.

Sp. 8. Cremnoncus *Pruriens.*

Tumor labiorum vulvæ, cnesmo summe molesto

molesto stipatus; maxime gravidis, quandoque etiam mulieribus declinante ætate post pausimeniam, aut etiam fœminis junioribus ex orgasmo ovarioriorum, infestus.

Sp. 9. Cremnoncus *Ulcerosus*.

Tumor labiorum vulvæ exulceratus.

VARIAT pro causa remota :

α. Ab apostemate prægresso.
β. A metastasi.
γ. A rhexi venæ aut vasis absorbentis.
δ. A ruptura cutis ex ecchymosi, aut hydrope labiorum vulvæ.
ε. A vitio herpetico.
ζ. A viru syphilitico.

Sp. 10. Cremnoncus *sarcomatosus*. (*)

Tumor susbstantiæ amborum labiorum vulvæ indolens, chronicus, cuti concolor, paulatim crescens, in quibusdam locis durus, in aliis mollis, sæpe cum elephantopo complicatus. — Morbus fœminis, præcipue in climatibus calidis, (instar tumoris scroti sarcomatosi in viris) infestus, et a degeneratione et incrassatione membranæ cellulosæ cutis oriundus.

(*) Vide LARREY loco citato, qui hunc morbum primus descripsit et icone illustravit.

Progressu sæpe ad immensum volumen increscens, ita ut ingressum impediat, cute decolore, et tandem ulceribus ichorem fœtidum plorantibus notatus (*).

Sp. 11. Cremnoncus ab *Ecphysi*.

Tumor labii unius vel utriusque vulvæ, a condylomate, verruca etc., ortus.

Sp. 12. Cremnoncus *Herniosus*.

Tumor labii unius vel utriusque vulvæ ab hernia ortus.

Vide infra *Hernia*.

G. CCCLXIII. BRACHIONCUS.

A Gr. Βραχίων Brachium.

Tumor brachiorum, seu extremitatum superiorum abnormis, functiones lædens.

Variat sede:

1. In brachio, proprie sic dicto.

(*) Excrescentia carnosa, vulvam undique tegens, fœminis in desertis Africæ meridionalis viventibus, ab Hollandis vulgo *Boschmen* dictis, solemnis, non est morbus, nec vitium conformationis, ut vulgo in Europa creditur; sed organisatio huic hominum speciei propria, constans, et connata; nullo modo, ut false asseritur, artificialis.

2. In antibrachio.
3. In manibus.

Sp. 1. Brachioncus *Phlogisticus.*

Tumor brachii calore, dolore, et rubore stipatus.

VARIAT ut *Skeloncus Phlogisticus.*

Sp. 2. Brachioncus *Apostematodes.*

Tumor brachii, ex phlogosi aut metastasi prægressa, in suppurationem abiens.

Sp. 3. Brachioncus *Lacteus.*

Tumor brachii ex albo flavescens, calidus, splendens, elasticus, fœminis post partum infestus, ex aberratione aut diadexi lactis oriundus; plerumque in apostema lacteum et ulcera abiens. — Initio tensio et dolor sub axillis; altero die, eadem symptomata in brachio et in articulatione cubiti, accedente interea tumore, rubore et calore sub axillis; demum tensio, et dolor antibrachii et manus, insequente postea tumore et rubore earundem partium.

Sp. 4. Brachioncus *Hœmatodes.*

Tumor brachii vel manus, ex sanguine extravasato ortus.

Sp. 5. Brachioncus *Hydropicus.*

Tumor brachii vel manus, ex sero aut lympha stagnante et accumulata oriundus.

Sp. 6. Brachioncus *Arthriticus.*

Tumor brachii aut manus, ex diadexi materiæ podagricæ vel rheumaticæ oriundus.

Sp. 7. Brachioncus *Syphiliticus.*

Tumor, præcipue radio, cubito, vel carpo infestus, a blennorrhagia genitalium syphilitica male suppressa; aut a viru syphilitico, ex aliis corporis partibus ad brachium translato, oriundus.

Sp. 8. Brachioncus *Steatomatosus.*
Vide *Steatoma.*

G. CCCLXIV. SKELONCUS.
A Gr. Σκέλης Crura.

Tumor extremitatum inferiorum abnormis, functiones lædens.

VARIAT sede:

1. In femore (*Meroncus*, a Gr. Μηρὸς femur).
2. In tibia (*Cnemoncus*, a Gr. Κνήμη tibia).
3. In pedibus.

Sp. I. Skeloncus *Phlogisticus.*

Tumor femoris vel tibiæ aut pedum acutus, calore, rubore, et dolore stipatus.

Variat sede:

1. In membrana mucosa. Vide *Erysipelas.*
2. In membrana cellulosa, seu corio. Vide *Phlegmone.*
3. In glandulis mucosis, sebaceis vel lymphaticis. Vide *Adenitis, Phyma, Dothien, Phygethlon.*
4. In membrana fibrosa. Vide *Inophlogismata.*

Variat pro causa remota:

α. A Gordio Medinensi, Pulice penetrante, aliisve vermibus vel insectis, sub cute nidulantibus.

β. Ab acri syphilitico, herpetico, carkinomatoso etc. absorpto, aut orificia vasorum lymphaticorum vicinorum irritante.

γ. A vulnere, ulcere, distorsione, luxatione, aliave læsione tendinum aut nervorum.

δ. Ab ichore aut acri ex ulcere aut excoriatione cutis manuum, per vasa lymphatica absorpto, et ad glandulas lymphaticas vicinas translato.

Sp. 2. Skeloncus *Apostematodes.*

Tumor extremitatum inferiorum, ex phlogosi aut metastasi prægressa ortus, in suppurationem abiens.

Sp. 3. Skeloncus *Lacteus.*

Tumor extremitatis inferioris ex albo flavescens, calidus, splendens, elasticus, in fœminis post partum, ex diadexi lactea in tunicam cellulosam cutis, oriundus; plerumque in apostema et ulcus abiens. —Initio tensio et dolor in inguine; perendie accedit tumor, calor et rubor inguinis, simulque tensio et dolor in femore et genu; deinde tumor, calor et rubor femoris et genu, accedente dolore et tensione in tibia et pede; demum etiam insequente tumore et rubore harum partium.

Sp. 4. Skeloncus *Puerperarum.*

SYN. Tumor Lymphaticus peculiaris. *Auct.*

Tumor femoris elasticus, pressione fluctuans cum sensu tensionis, plus minusve extensus; initio cuti concolor, sine calore, dolore aut febre, sed brevi post calore, rubore et tensione dolorifica stipatus; probabiliter a lympha extravasata ex rhexi vasis absorbentis oriundus. Morbus maxime fœminis, aliquot diebus post puerperium infestus, et sibi re-

lictus aut male tractatus, sæpe cariem ossis femoris aut etiam mortem inducens (*).

Sp. 5. Skeloncus *Hœmatodes.*

Tumor femoris vel cruris aut pedum, ex sanguine in membranam cellulosam cutis extravasato oriundus.

Sp. 6. Skeloncus *Varicosus s. Kirsodes.*

Tumor femorum vel crurum tuberculosus, lividus, a venis (aut etiam vasis lymphaticis), præcipue prope valvulas, ex ligatura, utero gravido, aut tumore quovis comprimente, morbose dilatatis, oriundus.

(*) Vide WHITE (*Observ. on a particular swelling of the femur in lying-in women*, 8°.) — BEINL (*Preisschrift über eine eigne art lymphgeschwulst. Wien* 1801.) qui eundem morbum non solum in femore, sed etiam in aliis corporis partibus, in fœminis æque ac viris, sæpius observasse, et fontem mali quandoque longe a tumore distantem esse asserit. — Hunc morbum etiam bene descripit FERRIAR (*Medical histories et reflexions* 8°. *Warrington.* 1792), eumque naturæ inflammatoriæ esse, ac optime primo hirudinibus pluribus, deinde caustico femori applicatis, aut etiam incisione in cavum tumoris penetrante et sæpius pro re nata repetita, adjuvando simul evacuationem liquidi leni pressione, feliciter debellari docet. — Cæterum hunc tumorem femoris quandoque cum tumore ejusdem, ex metastasi lactea ortum, confusum fuisse autumo.

Sp. 7. Skeloncus *Hydropicus.*

Syn. Oëdema pedum aut crurum. *Auct.*

Tumor extremitatum inferiorum, præcipue a pedibus incipiens, et paulatim ad crura et genua, ac tandem ad femora ascendens, cuti concolor, frigidus, impressionem digiti retinens, a lympha aut sero in membrana cellulosa cutis effuso, stagnante, ex torpore aut paralysi, vel ex compressione vasorum absorbentium, ex ligatura, tumore in abdomine, aut utero gravido, hernia etc.; quandoque etiam ex rhexi vasis cujusdam absorbentis, aut ex atonia cutis morbosa oriundus.

Sp. 8. Skeloncus *Sclerodes.*

Tumor, præcipue cruris unius vel utriusque, quandoque etiam a metatarso ad femur et inguem usque ascendens, chronicus, durus, dolens vel indolens, elasticus, cuti concolor, sed quandoque etiam epiphlogismate stipatus. Morbus plerumque symptomaticus, ex scorbuto, syphilitide, elephantiasi etc.; quandoque etiam ex compressione vasorum ab utero gravido aliove tumore in abdomine, a materiæ gelatinosæ vel adiposæ accumulatione oriundus, ac tandem sæpe in degenerationem membranæ cellulosæ abiens.

Vide etiam *Elephantopus.*

Sp. 9. Skeloncus *steatomatosus*.
Vide *Steatoma*.

Sp. 10. Skeloncus *sarcomatosus*.

Sarcomata, aut verrucæ duræ in femore vel tibia nata, quandoque in ulcera mali moris, fungosa, prurientia, dolentia abeuntia (*).

G. CCCLXV. GONONCUS.

A Gr. Γόνυ Genu.

Tumor genu abnormis, functiones lædens (**).

Vide etiam *Arthroncus*.

Sp. 1. Gononcus *Podagricus*.

Tumor, calor, rubor roseus, dolor summe acutus vel tensivus genu unius vel utriusque, ex phlogosi membranæ fibrosæ tendinum,

---

(*) Tumores extremitatum inferiorum vel superiorum duri sæpe in ulcera mali moris, cacoëthem vel phagedænam abeuntes, minime cum carkinomate confundendi sunt, si forsan elephantopum excipias, qui certe est degeneratio carnium et ossium, nullo remedio nec cultro sananda.

(**) Cum plures tumores, in genu occurrentes, naturæ peculiaris sint, a reliquis extremitatum inferiorum tumoribus differentes, eos sub genere separato considerare utile judicavi.

ligamentorum, aut periostei, a materia, vulgo podagrica dicta, articulationem genu occupante ortus; plerumque intra paucos dies sponte abiens, sed debilitatem motus in articulo per tempus relinquens. Vide *Podagra*.

Sp. 2. Gononcus *Scrofulosus*.

Initio dolor in genu profundus, obtusus; progressu morbi tumor summe dolorificus, cuti concolor, paulatim crescens, motum omnem articuli impediens; tandem venæ cutis varicosæ, tumor purpurascens, diu noctuque ægrum excrucians, in ulcus mali moris abiens, debilitatem summam, et marcorem universalem ac mortem inducens. — Morbus ex corruptione interna substantiæ epiphysium tibiæ et fibulæ, quandoque etiam femoris, a vitio, scrofuloso dicto, oriundus; maxime junioribus, pluribus aliis scrofulæ symptomatibus antea laborantibus, infestus. Vide *Choiras* et *Osteophthoria*.

Sp. 3. Gononcus *Synovialis*.

Tumor circa articulum, maxime in genu uno, rarius in utroque (quandoque etiam in cubito aut malleolo) circumscriptus, immobilis, frigidus, cuti concolor, pressione mollis, sed renitens; non raro, præcipue circa

patellam ac sub eadem ad latera ligamenti capsularis, fluctuationem mentiens. Initio motus articuli parum, deinde magis molestus, ac plerumque summe dolorificus, diu noctuque excrucians; tumor in superiore parte genu paulatim crescens, tandem sese sæpe etiam inferius sub poplite extendens, durior evadit, venæ cutis varicosæ fiunt, et glandulæ inguinales intumescunt. — Morbus initio extra cavum articuli in membrana cellulosa, capsulam articuli circumdante, situs, tandem bursas synoviales ad latera ligamenti, prope ac supra patellam sitas, afficit, unde earum tumor, et quandoque adhæsio fortis cum cute superstrata; sæpe accedente atrophia membri affecti, contractura, aut immobilitate articuli chronica, epiphysibus ossium interea sanis. Quandoque etiam textus cellularis incrassatus et induratus degenerat, et cavitates format ichore flavo repletas, insequente corruptione ossium.

Syn. Tumor fungosus articulorum.
——— lymphaticus articulorum.
——— frigidus articulorum.
Fungus articulorum.
Tumor albus genuum.
Ankylosis spuria.
} *Auct.*

Angl. White Swelling (*).

Sp. 4. Gononcus *Spongiosus.*

Tumor genu cuti concolor, æqualis, tactu fere instar spongiæ mollis, sed renitens, indolens, et tandem magnitudine sua immobilitatem articuli inducens. Morbus maxime fœminis ex frequenti in genua prostratione infestus; præcipue illis, quibus varia officia genubus in terram prostratis perficere incumbit, ex incrassatione membranæ cellulosæ cutis oriundus. Vide *Spongosis.*

Syn. Fungus genu. } *Auct.*
Lupia genu. }

Ge. Gliedschwamm.

Sp. 5. Gononcus *Hydropicus.*

Tumor articulorum majorum, potissimum genu, indolens, frigidus, cuti concolor, impressionem digiti retinens, ab extravasatione

---

(*) Auctores multi, præcipue chirurgi Angli, omnes genuum tumores, cuti concolores, nomine *White Swelling* (Tumor albus genuum) insigniunt, et sic tumores, diversissimæ sæpe naturæ, male inter se confundunt, quos hic sub speciebus variis a sese invicem sollicite distinguere tentavi.

et accumulatione humoris serosi aut lymphatici in membrana cellulosa ortus. (*)

Syn. Oëdema articulorum. }
Hydarthrus. }
Hydrops articuli. } *Auct.*
Tumor articulorum chronicus aquosus. }
Kedmata (Κέδματα). *Hipp.*

G. CCCLXVI. ARTHRONCUS.

A. Gr. Ἄρθρον articulus.

Tumor articuli cujuscunque corporis, mollis vel durus, indolens vel dolorificus, motum plus minusve impediens.

Vide etiam *Arthritis* et *Arthrodynia.*

Variat sede :

1. In membrana cellulosa cavum articuli vel partes vicinas vestiente.
2. In membrana fibrosa, capsulas articulationum, ligamenta aut tendines formante.

(*) Auctores in genere arthroncum hydropicum cum arthronco spongioso, seu spongosi genu, male confundunt. — An hic morbus cæterum unquam ut verus hydrops considerari mereatur, dubito. Saltem in omnibus casibus, quos mihi videre contigit, evidenter humorem synovialem in genu accumulatum observavi; non aquosum.

3, In sacculis seu bursis synovialibus, vulgo *mucosis* dictis.

4. In periosteo.

5. In Epiphysium substantia interna vel externa.

Sp 1. Arthroncus *Traumaticus*.

A vulnere, contusioue, distorsione, luxatione, aut diastasi etc. oriundus.

Sp 2. Arthroncus *Phlogisticus*.

Tumor articuli cum calore et dolore vehementi, sæpe etiam levi rubore cutis junctus.

Variat ut phlogosis in genere.

Vide etiam *Arthrophlogosis*.

Sp. 3. Arthroncus *Metastaticus*.

Variat pro causa remota:

α. A metastasi febrili.

β. A diadexi rheumatica, podagrica, erysipelatosa, lactea, purulenta, syphilitica.

Sp. 4. Arthroncus *Apostematodes*.

Præcipue coxæ aut lumborum dolor profundus, obtusus, tumor articuli cuti concolor, modicus, diffusus, quandoque nullus; accedente plerumque febre hectica, a phlogosi membranæ cellularis inter musculos, vel in

cavo articuli prægressa, aut ex pure a loco alieno metastatice ad articulum delato oriundus. Vide etiam *Osphytis*, et *Ischialgia*.

SYN. Arthropuosis *Cull.*
Morbus coxarius de *Haen* Rat. Med. V. I.
Lumbago apostematosa *S.*
——— psoadica *Fordyce* (Practice of Physic).

Sp. 5. Arthroncus *Synovialis.*

Tumor, potissimum genu, sed quandoque etiam malleolum aut cubitum invadens.
Vide *Gononcus Synovialis.*

Sp. 6. Arthroncus *Spongiosus.*

Tumor ad articulum sub cute saccatus, indolens, tactu spongiam referens. Vide *Gononcus spongiosus*, et *Spongosis*.

SYN. Fungus articulorum. } *Auct.*
Lupia articulorum. }
Arthrospongus *Ploucq.*

Sp. 7. Arthroncus *Hydropicus.*
Vide *Gononcus hydropicus.*

Sp. 8. Arthroncus *Scrofulosus.*

Tumor articuli, potissimum genu, durus, cuti concolor, initio levis, paulatim incres-

cens, colore cutis rubro vel in lividum mutato; plerumque dolore constante, intenso gravativo stipatus, omnem motum articuli impediens; tandem in ulcus vel ulcera mali moris abiens, accedente febre hectica. Morbus ex epiphysium substantia interna corrupta, vel etiam externa cariosa, a vitio peculiari, scrofuloso dicto, oriundus; et junioribus, a quarto ad decimum sextum ætatis annum, præcipue infestus.

Vide *Choiras*, et *Gononcus*.

Sp. 9. Arthroncus *ab Osteomalakia.*

Tumores articulorum variorum, præcipue in extremitatibus corporis, indolentes, carnibus inter articulos intermediis marcescentibus; progressu morbi in cariem, osteophthoriam, et ulcera mali moris, pluribus foraminulis ichorem fundentia, ac tandem in Marasmum et mortem abeuntes. Morbus maxime infantibus a secundo ad quartum ætatis annum infestus, ab osium cachexia seu decompositione peculiari oriundus. Vide *Osteomalakia.*

Syn. Tumor articulorum rhachiticus *Auct.*

Sp. 10. Arthroncus *Steatomatosus.*

Tumor articuli cujusvis, sed præcipue in extremitatibus corporis, durus, initio cuti concolor,

lor, indolens, lente crescens, et difficultatem motus inducens; tandem, quandoque post annum unum alterumve, subito, sæpe sine causa apparente, in magnam molem excrescens, calidus, plus minusve durus, dolens, venis varicosis, et poris cutis nigricantibus, aut cute ipsa livida stipatus. Morbus ex decompositione et desorganisatione epiphysium ossium, æque ac partium mollium articuli oriundus.

SYN. Fungus osseus. } *Auct.*
Steatoma articulorum }

VARIAT pro causa remota:

α. A contusione, extensione violenta, laceratione, aliave vi externa violenta illata.

β. A syphilitide.

γ. A scrofula.

δ. A vitio peculiari, in variis zonæ torridæ regionibus endemico, à me *Elephantopo* dicto.

Sp. 11. Arthroncus *Podagricus*.

Tumor articuli durus, violento dolore et colore cutis plerumque leviter rubescente stipatus, motum membri affecti vel levissimum impediens, paulatim sponte abiens. Morbus per intervalla accedens, a cachexia peculiari, vulgo *Podagra* dicta, ortus.

Vide *Podagra*, *Arthritis*, *Arthrodynia*.

Syn. Gonagra.
Podagra.
Chirargra.
Omagra etc. } *Auct.*

Sp. 12. Arthroncus *Calculosus.*

Tumor, vel tumores plures, potissimum in articulis pedum vel manuum prominentes, duri, indolentes, sed motum partis affectæ declinante ætate impedientes, ex quibus cute rupta primo ichor tenuis, inodorus, dein materia alba dura, consistentia et colore cretam æmulans, sed revera ex urate sodæ composita, excernitur. — Morbus, maxime viris podagricis, quandoque etiam fœminis, post periodum cessationis menstruorum, superveniens. Vide *Podagra.*

Syn. Nodi aut Tophi articulorum.

Angl. Nodosity of the joints.

Sp. 13. Arthroncus *Tuberculosus.*

Tuberculum unum alterumve, maxime in articulo genu aut ad malleolum, durum, prominens, plerumque de loco in locum mobile, sæpe, præcipue ex motu, dolorem intensum partis affectæ creans. Morbus ex portione synoviæ aut partis sanguinis albuminosæ extravasatæ et induratæ oriundus, et vulgo sub nomine: *Ossicula interarticularia* notus.

G. CCCLXVII. OSTEONCUS.

A Gr. Ὀςέον os.

Tumor ossis in tota sua circumferentia et longitudine; vel protuberantia partialis periostei, aut portionis ossis ipsius abnormis, functiones lædens.

Vide etiam *Exostosis*.

VARIAT sede:

1. In periosteo.
2. In lamellis seu substantia ossis.
3. In substantia reticulari ossis interna.
4. In epiphysibus ossium.

Sp. 1. Osteoncus *Traumaticus*.

A vulnere, contusione, fractura, fissura, aliave vi externa ossibus illata oriundus.

Sp. 2. Osteoncus *Syphiliticus*.

Tumor periostei aut ossis ipsius, maxime ossibus cylindricis extremitatum, immediate sub cute sitis, vel ossibus nasi, calvariæ, claviculæ, aut sterni infestus, noctu præcipue excrucians, et sæpe cariem inducens; ex viru syphilitico oriundus. Vide *Syphilis*.

Sp. 3. Osteoncus *Scrofulosus*.

Vide *Choiras*, *Osteophthoria*, et *Gononcus*.

Sp. 4. Osteoncus *ab Ostheophthoria.*

Vide supra O. Cachexiae osseae G. *Osteomalakia, Teredon*, et *Osteophthoria.*

Sp. 5. Osteoncus *Fungosus.*

Tumor ossis, maxime in extremitatibus corporis, plerumque ex ictu, contusione, aliave vi externa periosteo illata ortus. Initio durus, renitens, fere indolens, circumscriptus, cuti concolor; progressu morbi sæpe subito increscens, summe dolorificus, cute purpurascente; tuncque mollescens, quandoque palpando in profundo fallaciter fluctuans, subtus latente carie aut osteophthoria. Tumore incaute inciso primo effusio sanguinis, brevi insequente excrescentia fungosa, purpurea periostei, ex orificio vulneris propullulante. Vide infra *Mykesis.*

Syn. Tumores ossium spongiosi, sive ossivori. *Ruysch.*
Tumores fungosi ossium *Auct.*

Sp. 6. Osteoncus *Steatomatosus.*

Tumor ossi insidens, degeneratione ipsius ossis in substantiam mollem stipatus. Morbus summe dolorificus, plerumque a vi externa ossi illata oriundus. Vide *Osteosteatoma.*

Sp. 7. Osteoncus *Callosus*.

Tumor ossis, ex nimia calli depositione post fracturas aut læsiones ossium, ortus.

SECT. VIII. TUMORES KYSTICI, seu SACCATI.

Tumores chronici, tunica cellulari, vel etiam sacco peculiari, plerumque crasso, sed quandoque etiam tenui inclusi, circumscripti, molles, pressioni cedentes, vel duri renitentes, indolentes aut parum dolorifici; ex parvulo incipientes, et diu paulatimque increscentes, materiam varii coloris, naturæ et consistentiæ continentes: In parte capillata capitis aut cervice, aliisve variis corporis partibus externis, vel etiam internis oriundi.

Syn. Cystides *s.* tumores cystici *Auct.*

A. Enkysted tumors.

G. Tumeurs enkystées; loupes.

Ge. Balggeschwülste.

OBSERVATIONES GENERALES.

Hi tumores, nullo modo cum excrescentiis in sectione sequente tractatis, confundendi

sunt, utpote semper tunica sua inclusi; plerumque basi lata, rarius pedunculo angusto membranæ cellulosæ cutis aut etiam periosteo adhærentes, rotundi vel oblongi; initio plerumque parvuli fere indolentes, cuti concolores, mobiles; progressu morbi sæpe dolorifici, decolores et immobiles, partibus vicinis fortiter affixi, ac gradatim in ingentem magnitudinem increscentes, tuncque non raro sponte in phlogosin, et apostema abeuntes. Quandoque etiam sponte rupto sacculo tenuior humor gelatinosus effusus absorbetur et morbus evanescit; vel saccus deperit, et materia contenta in eodem loco remanet. Aliquando hi tumores inter musculos et tendines descendunt, ibique varios saccos formant. Frequenter ex unico sacco, quandoque ex sacculis aut cavis pluribus, sepimentis distinctis inter se separatis, constant. Materia in iisdem contenta modo gelatinosa, vel albuminosa tenuis limpida, modo pultis aut mellis consistentiæ, modo crassa lardacea. Quandoque etiam ex tunica cellulosa varie degenerata, vel ex substantia dura fere cartilaginea, aut calculosa constant, aut etiam massam ex pilis inter se contextis continent. Plerumque a vitio topico, ex contusione aliave vi externa illata orti, pure *locales* sunt. Tumores multi in neonatis in surperficie

corporis occurrentes, vulgo sub nomine *Nœvorum* noti, huc pertinent. Sæpe quoque *universali* a vitio cachectico : Scrofuloso, syphilitico vel podagrico oriri videntur; quandoque etiam *critici*, aut ex morbis cutis præpostere suppressis *metastatici* sunt.— In omnibus hisce casibus sæpe plures similes tumores eodem tempore in una, vel etiam in pluribus corporis partibus apparent; excisione ablati renascuntur; vel iisdem ablatis alia mala non raro in corpore oriuntur. Quandoque marcorem generalem inducunt; vel etiam pressione viscerum aut vasorum vicinorum varios morbos, cariem et fracturam ossium, et tandem mortem causant. — Hæ observationes varias cautelas in praxi adhibendas suppeditant.

G. CCCLXVIII. ATHEROMA.

Gr. Ἀθήρωμα, ab Ἀθήρα puls, aut pulticula liquidior.

Tumor kysticus, indolens, chronicus, rotundus, durus, elasticus, plerumque cuti concolor et mobilis, varii voluminis; quandoque ad ovi gallinacei magnitudinem increscens, materiam albam, crassam, consistentiæ pultis, continens, in variis corporis partibus exter-

nis oriundus. Tumores hi sæpe per vitam sine incommodo durant; sed quandoque sponte in suppurationem, vel etiam in ulcera mali moris abeunt.

A. Atheroma.
G. Athérome.
Ge. Breygeschwulst.

Varietas Atheromatis est :

Melikeris (gr. Μελικηρίς) humorem consistentia et colore mel referentem, sed reipsa plerumque gelatinosum continens.

Sp. 1. Atheroma *Capitis.*

Tumor, sæpe etiam tumores plures in parte capillata tuberculosi, kystici, rotundi, molles, vel renitentes, indolentes, cuti concolores, variæ figuræ, aliquando sponte in suppurationem abeuntes, aliquando etiam cum periosteo calvariæ concreti, et tractu temporis non raro cariem ossis substrati inducentes, cum helkydriis seu ulceribus tuberculosis capitis, supra sub pityriasi recensitis, non confundendi.

Sp. 2. Atheroma *Labri.*

Tumor a carkinomate labri oris sollicite distinguendus.

G. CCCLXIX. LIPOMA.

Gr. Λίπωμα a Λίπα oleum grassum *s.* sevum.

Tumor, sæpe etiam tumores plures, tuberculosi, kystici, plus minusve duri, immobiles, inæquales, indolentes; plerumque in membrana adiposa cutis, vel in omento siti; a pinguedinis accumulatione et inspissatione orti, paulatim crescentes, et tandem atrophiam generalem inducentes (*).

Lipomata quandoque subito sponte evanescunt, et in alio loco ex pinguedine ibi deposita iterum apparent.

A. Lipoma.
G. Loupe graisseuse.
Ge. Fettgeschwulst; Speckbeule.

G. CCCLXX. STEATOMA.

Gr. Σπεάτωμα, a στέαρ adeps, *s.* lardum.

Tumor kysticus, indolens, informis, cuti concolor, sub cute relaxata mobi-

(*) Aliquot ab hinc annis fœminam 45 annorum vidi, in qua omentum numerosis talibus tuberculis duris, ovi columbini magnitudine, refertum erat; et quæ a pluribus annis hoc morbo afflicta tandem summe emaciata et debilitata periit.

lis, sæpe instar spongiæ mollis, vel durus elasticus; frequenter massam crassam, vere lardaceam, aut materiam albuminosam concretam, vel massam ex pilis contextam, quandoque etiam duram cartilagineam continens. Progressu sæpe in ingentem molem increscens et monstrose protuberans, vel etiam sub cute late extensus, indeque summe molestus, sed vix dolorificus; quandoque decolor, odorem penetrantem fœtidum diffundens; rarius in phlogosin et apostema, vel in ulcus mali moris abiens, aut phthisin inducens. Morbus a degeneratione tunicæ cellulosæ, vel ab aberratione pinguedinis in quacunque parte corporis externa, sed præcipue in extremitatibus ortus; quandoque in uno loco evanescens, in alio loco apparens; aliquando etiam in interioribus corporis partibus, in pleura, hepate, peritonæo etc., vel in tunica cellulari inter rectum et vesicam in viris, inter rectum et uterum in fœminis natus; compressione partium vicinarum varia

symptomata morbosa inducens, quorum causa sæpe nonnisi post mortem detegitur (*).

Syn. Lupia steatoma. *S.*

Tumor steatomatosus. *Auct.*

A. Steatoma; Wen.

G. Stéatome.

Ge. Speckgeschwulst; Speckgewächs; Seifengeschwulst.

Variat pro causa remota:

α. A contusione aliave vi externa illata.

β. A metastasi varia.

γ. A dialeipyra neglecta vel male tractata.

δ. A crisi febrili.

ε. A diadexi pinguedinis (unde sæpe marcor universalis).

ζ. A vitio cachectico corporis generali.

(*) Ad steatomata etiam pertinent tumores saccati majoris vel minoris voluminis, molles vel renitentes sub cute in fronte prope supercilia, vel etiam in cervice aut parte capillata capitis oriundi, ab auctoribus vulgo sub nomine: *Natta, Talpa,* aut *Testudo* descripti. Steatomata talia quandoque periosteo calvariæ accreta sæpe in apostema aut cacoëthem abeunt, aut cariem ossis substrati inducunt. Quidam auctores tumorem glandulæ thyroideæ æque ac gononcum synovialem et spongosim perperam ad steatomata referunt. Vide *Thyroncus*, *Gononcus*, et *Spongosis*.

De Steatomate Scroti et labiorum vulvæ (vulgo *Sarcocele Auct.*) vide supra *Orchioncus* et *Cremnoncus steatomatosus*.

G. CCCLXXI. SPONGOSIS.

Gr. Σπόγγωσις a Σπόγγος, spongia.

Tumor kisticus, mollis, spongiam consistentia æmulans, pressioni cedens, sed impressionem digiti non retinens, cuti concolor, plerumque indolens, in membrana cellulari sub cute situs. Progressu quandoque ad magnum volumen increscens, tumque distensione aut compressione molestus, dolorificus, vel etiam degeneratione membranæ cellulosæ in ulcus mali moris abiens. Morbus maxime genu, sed quandoque etiam cubito, calcaneo, aut malleolis, rarius aliis articulis infestus; plerumque a contusione, et in genu potissimum, a frequente provolutione aut prosternatione in genua oriundus; unde maxime foeminis frequens, quibus opera sua genubus in terra prostratis perficere incumbit (*).

(*) Auctores passim gononcum aut arthroncum scro-

Syn. Fungus articulorum. ——— genu. Steatoma genu. Tumor albus genuum. Hydarthrus. Lupia.	*Auct.*

Arthrospongus. *Ploucq.*

A. Soft cancer; White-Swelling.
G. Loupe; Tumeur blanche.
Ge. Gliedschwamm.

Vide etiam supra G. *Gononcus* et *Arthroncus.*

G. CCCLXXII. GANGLION.

A Gr. Γάγγλιον.

Tumor kisticus, cuti concolor, rotundus, circumscriptus, elasticus, plus minusve mobilis, vix nisi aucto volu-

---

fulosum, rheumaticum, podagricum, syphiliticum etc. qui in membrana capsulari, ligamentis, aut epiphysibus ossium sedem suam habent, cum spongosi male confundunt, hosque morbos varios sub nominibus vagis, *Lupiæ*, aut *fungi articulorum, hydarthri,* tumoris lymphatici vel frigidi articulorum, aut *tumoris albi genuum* comprehendunt, quæ nomina ex Systemate Nosologico omnino exulare debent. Nomen spongosis, quod morbo, de quo hic agitur, dedi, aptius eidem convenire judicavi.

mine dolens; paulatim a nucis avellanæ ad ovi columbini magnitudinem increscens, pedunculo brevi et angusto, vel etiam basi latiore capsulæ articulari aut membranæ fibrosæ tendinis substrati adhærens; plerumque sub cute juxta tendines musculorum aut ligamenta articulorum, maxime ad carpum, sed qnandoque etiam inter musculos, aut sub iisdem vel etiam juxta periosteum situs; in sacculo peculiari membranæ cellulosæ, vaginas tendinum investientis, raro in vagina ipsa seu membrana fibrosa tendinis inclusus, tuncque extensione ejus violenta dolorificus; humorem viscosum albuminosum, aut forsan synovialem continens. Morbus plerumque a nisu violento, aut contusione tendinis ortus; quandoque in ulcus mali moris abiens. (*).

(*) An tumores parvuli, albi, rotundi membranæ fibrosæ nervorum, præcipue in extremitatibus corporis, insidentes, ibique irritantes, myrmekismum, stuporem causantes; vel etiam quandoque, sub nomine *auræ frigidæ*, ex membro affecto ad caput ascendentis epilep-

A. Ganglion.
G. Ganglion.
Ge. Ueberbein.

Huc etiam pertinere videntur tumores Kystici, vulgo *lymphatici* dicti; frigidi, duri, renitentes, vel molliores, obscure fluctuantes, circumscripti, lente a pisi ad ovi columbini, aut etiam gallinacei magnitudinem increscentes, ex effusa lympha, seu portione albuminosa vel gelatinosa sanguinis in tunicam cellularem in variis corporis partibus orti; non raro ad finem, si prope ossa siti, degenerationem periostei, vel etiam cariem ossium inducentes.

G. CCCLXXIII. HYDROKISTIS.

A Gr. Ὕδωρ aqua, et Κύστις saccus.

Tumor saccatus, humorem serosum aut lymphaticum continens, præcipue in cavo abdominis frequentius occurrens, sine ullo indicio hydatidis. Quandoque plures tales tumores, frigidi, rotundi, cuti concolores, indolentes, ma-

---

siam sympathicam excitantes; jamque ab Hippocrate, Celso et Galeno notati, huc pertineant, observatoribus futuris determinandum relinquo.

xime in tunica vaginali testiculorum, epididymidis, aut membranæ albugineæ adhærentes, vel in textu celluloso funiculi spermatici, aut etiam prope annulum abdominalem siti (tuncque sæpe herniam mentientes, sed reductionem recusantes); et in fœminis aliquando ad labium pudendi extensi. Plerumque ex nisu violento aut ictu, lapsu, contusione nati; quandoque, præcipue motu partis affectæ, summe dolorifici; ex materia in membranam cellulosam vel fibrosam, effusa, in partibus corporis externis, vel etiam profundius sub musculis oriundi.

Syn. Hygroma. *Auct.*

Huc etiam pertinent:

Tumores bursarum synovialium in variis articulis corporis occurrentes.

G. CCCLXXIV. HYDATIS.

Gr. Ὑδατίς.

Tumor kysticus, figura vesiculam rotundam aut oblongam, albam referens, plerumque humorem limpidum continens, lente crescens, indolens aut parum

rum dolorificus, aliquando tactu melikeridem mentiens, durus et renitens, a verme peculiari, hodie nobis *Hydatis* dicto, oriundus. — Quandoque numerosi tales tumores a se invicem separati, vel racematim inter se cohærentes simul in corpore, maxime in utero aut in ovariis fœminarum, sæpe etiam in cavo cranii, pectoris, abdominis, aut in hepate; vel externe in capite, mamma, aliisve corporis partibus, sub forma tuberculorum elasticorum, durorum, mobilium, quandoque etiam dolentium, occurrunt, ab ignaris male pro skirrhis habiti (*).

(*) Ad Hydatides quoque pertinent tumores in faucibus scrofarum frequenter occurrentes, ab *Hydatide Finna* dicta oriundi. Morbus a vulgo male, ut species cachexiæ impuræ consideratus; unde carnes porcorum hoc vitio laborantium, ut morbosæ rejiciuntur. Vide supra p. 154. G. *Choiras*. — Huc etiam spectat morbus ovium *rotatorius* seu *vertiginosus*, ex Hydatide *cerebrali* dicta, una, vel pluribus, plerumque in fronte sub cranio nidulantibus, ortus.

CL. V. O. VII. ECPHYSES,

s. EXCRESCENTIÆ.

Gr. ΕΚΦΥΣΕΙΣ.

Char. Excrescentiæ seu tumores, in quacunque corporis parte externa protuberantes, firmi et renitentes; nec mobiles, nec tunica peculiari inclusi.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt:

SECT. I. EXCRESCENTIÆ MOLLES, seu HUMIDÆ.

Genus I. ENCANTHIS.
II. EPULIS.
III. HYPERSARCOSIS.
IV. SARCOMA.
V. MYKOSIS.
VI. POLYPUS.
VII. SYCOSIS.

SECT. II. EXCRESCENTIÆ DURÆ, seu SICCÆ.

CL. V. O. VII. ECPHYSES, seu EXCRESCENTIÆ.

G. CCCLXXV. ENCANTHIS.

Gr. Ἐγκανθὶς, ab ἐν in, et κάνθος, angulus oculi.

Excrescentia carunculæ lacrymalis, vel simpliciter tumor ejusdem tuberculosus, ruber, mollis vel durus, dolens vel indolens, in cantho seu angulo oculi interno; plerumque ex compressione punctorum lacrymalium dacryrrhœa constanti, visum plus minusve turbante stipatus.

A. Encanthis.
G. Encanthis.
Ge. Geschwulst der Thränenwarze; Auswuchs der Thränenkarunkel.

Sp. 1. Encanthis *Phlogistica.*

Encanthis calore, dolore et intenso rubore stipata, frequenter in apostema abiens; plerumque a festuca aut arenula infixa, vel ab acri externe applicato aut illapso oriunda.

Sp. 2. Encanthis *Chronica.*

Encanthis indolens, fungosa, sæpe ad nucis avellanæ magnitudinem increscens, tuncque dacryrrhœa continua visum turbans; plerumque ex ophthalmitide, aut contusione prægressa orta.

Sp. 3. Encanthis *Skirrhosa.*

Encanthis dura, dolens, livida, in ulcus mali moris abiens.

Sp. 4. Encanthis *Ulcerosa.*

Encanthis in cacoëthem; aut etiam, ut corpus glandulosum, in verum carkinoma abiens, ichorem acrem, et ex leni attactu sanguinem fundens, doloribus lancinantibus, versus fundum oculi æque ac versus faciem extensis, stipata: Progressu morbi sæpe degeneratio periostei, et corruptio ossium, ac membranæ mucosæ narium.

G. CCCLXXVI. EPULIS.

Gr. Ἐπουλὶς ab ἐπι super et οὖλον gingiva.

Excrescentia tuberculosa, rubra, fungosa, dolens vel indolens, super gingivam, basi pedunculata vel lata gingivæ adhærens; quandoque mole sua masticationem ac loquelam impediens.

A. Epulis.
G. Epulis; epulie.
Ge. Zahnfleischgewâchs.

Variat pro causa remota :

α. A vitio ipsius gingivæ.
β. A phlogosi alveoli dentis.
γ. A carie dentis.
δ. A carie ossis maxillaris vel palatini.
ε. A vitio sinus maxillaris.
ζ. A radice dentis in alveola relicta.

Sp. 1. Epulis *Simplex*.

Epulis maxime in latere externo gingivæ, plerumque indolens, ex radice dentis extracti relicta, vel ex odontolithiasi orta; quandoque indurescens, ac in magnitudinem ovi columbini excrescens.

Sp. 2. Epulis *Complicata*.

Epulis utplurimum ex carie dentis, alveolæ, aut maxillæ, vel ossis palati orta, aut cum ea complicata, dolorifica, facile sanguinem fundens; quandoque in magnam molem excrescens, et non raro in ulcus mali moris abiens. Progressu morbi tumor alveolam unam vel plures occupans, sæpe latera earum distendit et sic cavum format, in quo phosphas

calcis magna copia deponitur, mole et dolore exostosin maxillæ mentiens, et loquelam æque ac masticationem impediens.

G. CCCLXXVII. HYPERSARCOSIS.

Gr. Ὑπερσάρκωσις.

Excrescentia carnis in ulceribus aut vulneribus superflua, nuda, mollis, indolens, laxa, quandoque pallida; sese non raro in ulceribus aut vulneris manifestans.

SYN. Caro luxurians } *Auct.*
—— fungosa. }

A. Proud Flesh.
G. Chair fongueuse, baveuse.
Ge. Wildes Fleisch; Swammichtes Fleisch.

VARIAT pro causa remota:

α. A corporis statu cachectio.
β. Ab applicatione præpostera medicamentorum emollientium, mucilaginosorum, unguinosorum, oleosorum.
γ. A neglectu munditiei.
δ. A fasciis male applicatis.
ε. A diæta prava.
ζ. A carie ossis substrati.
η. A vitio scrofuloso etc.

G. CCCLXXVIII. SARCOMA.

Gr. Σάρκωμα s. Σάρκωσις, a Σάρξ caro, id est, compages partium mollium : membranas, vasa, nervos, et musculos comprehendens.

Excrescentia seu tumor carnosus in quacunque parte corporis externa, figuræ irregularis, plerumque ruber vel purpureus, lividus, indolens; solidus, compactus et renitens, pedunculo tenui angusto, vel basi latiore immobili partibus substratis fortiter adhærens : Initio parvulus, progressu lente, sed aliquandoque etiam subito, in magnam molem increscens, tuncque plerumque mollior, quasi spongiosus, sæpe fallaciter fluctuans, ac membrana tenui, qua tegitur, sponte rupta, vel incaute perforata, sanguinem fundens, tumque non raro in gangrænam ac mortem terminans; vel etiam in ulcus mali moris fungosum abiens, ab ignaris perperam pro carkinomate habitum. Morbus tunicæ cellularis subcutaneæ, in substantiam mollem, crassam ac spongiosam, venis

varicosis notatam degenerantis, ortus, excisione complete et plerumque, præcipue si sedem in humero, scapulis, vel extremitatibus corporis habet, facile tollendus; frequentissime ex contusione prægressa natus.

A. Fleshy excrescence; Sarcoma.
G. Sarcome; Sarcose.
Ge. Fleischgewächs.

Sp. 1. Sarcoma *Faciei* aut *Labiorum.*

Excrescentia in facie aut labro carnosa, majoris vel minoris voluminis, variæ formæ et coloris, sæpe per vitam in eodem statu permanens; quandoque in ulcus mali moris abiens. Morbus cum carkinomate minime confundendus: Initio plerumque acido muriatico, excisione, aut ferro candente facile tollendus.

N. B. Nævi multi huc pertinent. Vide infra *Spiloma.*

Sp. 2. Sarcoma *Carunculæ lacrymalis.*

Sp. 3. Sarcoma *Umbilici.* (Sarcomphalus *Auct.*) Vide supra *Omphaloncus.*

Sp. 4. Sarcoma *Testiculi.* (Sarcocele *Auct.*) Vide supra *Orchioncus.*

Sp. 5. Sarcoma *Scroti.* (Sarcoscheon, aut Sarcocele. *Auct.*) Vide supra *Oscheoncus.*

Sp. 6. Sarcoma *Digitorum Pedis.*

Excrescentia carnosa ad radicem vel ad latera unguium, præcipue in digitis pedum, ex ungue recurvo, aut ex contusione, aliave læsione cutis orta, sæpe skelonco ac tumore glandularum inguinalium stipata; quandoque in ulcus fungosum pessimum, summe dolorificum, abiens.

G. CCCLXXIX. MYKOSIS.

Gr. Μύκωσις, a Μυκὴς fungus : Fungositas (*).

Excrescentia carnosa mollis vel dura, plerumque rubescens vel purpurea, et fungi instar, ex ulceribus aut vulneribus variis, in superficie corporis natis, protuberans; sæpe ad ingentem molem increscens et cariem ossium inducens. Morbus plerumque ex degeneratione membranæ cellulosæ vel fibrosæ oriundus.

Syn. Fungus *Celsi.*
Excrescentiæ fungosæ. *Auct.*

(*) Auctores vulgo excrescentias carnosas fungosas seu Mykosin cum Spongosi seu tumoribus spongiosis, tunica sua peculiari inclusis, male confundunt.

A. Fungus.
G. Fungus.
Ge. Schwammichtes Fleischgewächs.

VARIAT *pro causa remota :*

α. A vulnere aut operatione chirurgica prægressa.
β. Ab ulceribus variis.
γ. A fractura aut carie ossium.

Sp. 1. Mykosis *Duræ Matris.*

Excrescentia fungosa membranæ fibrosæ, vulgo *dura mater* dictæ, vel etiam pericranii, ex dehiscentia ossium cranii protuberans, cute et pericranio tecta, ex degeneratione duræ matris vel pericranii oriunda. Tumor circumscriptus, mollis, cuti concolor, variæ magnitudinis pro ratione dehiscentiæ ossium, lente crescens; quandoque pulsans ex arteriis cerebri vicinis, pressioni cedens et sic quandoque complete reducendus : Pressione aucta syncopen, cataphoram, convulsiones etc. inducens, quæ pressione ablata et tumore redeunte cessant: Palpando, sæpe superficies aut margo ossium dehiscentium inæqualis, asper, et caries evidens reperitur. Quandoque ex spinis ossium prominentibus et duram matrem irritantibus dolores capitis intolerabiles, et mors, sine ullo tumore externe apparente.

N. B. Excrescentiæ fungosæ duræ matris in basi cranii sine ullo tumore externo, cerebrum comprimendo, sæpe cataphoram, kephalalgiam atrocissimam, convulsiones, aut etiam maniam furibundam et mortem causant.

VARIAT *pro causa remota:*

α. A contusione, lapsu, ictu etc.
β. A contusione pericranii neglecta.
γ. A fractura ossium cranii.
δ. A trepanatione prægressa.
ε. A viru syphilitico, ossa cranii corrodente.

VARIETAS *hujus speciei est:*

Excrescentia fungosa duræ matris nuda coloris purpurei, post trepanationem cranii quandoque occurrens.

Sp. 2. Mykosis *Sinus maxillaris.*

Excrescentia fungosa mollis membranæ mucosæ aut fibrosæ, cavum sinus maxillaris investientis, paulatim mole sua parietes ossium distendens, et pressione lamellas ossis attenuando, emolliendo, ac erodendo perforans, tandem in cavo oris, aut integumentis exulceratis externe in gena apparens; vel etiam vacillationem et lapsum dentium molarium inducendo, demum sub forma fungi rubri per al-

veolas penetrans, loquelam, et masticationem impediens; vel in cavo narium polypum mentiens; aut etiam ex tumore sinus aucto, et lamina inferiore orbitæ sursum pressa, oculum ex orbita foras protrudens.

Sp. 3. Mykosis *Carunculæ lacrymalis.* Vide *Encanthis.*

Sp. 4. Mykosis *Clitoridis*, vel *Nympharum.*

Excrescentia fungosa clitoridis, vel nymphæ alterutrius, e rubro purpurea ac venis varicosis notata, plerumque ex vulva protuberans, et paulatim in magnam molem increscens; non raro simul exulcerata.

Sp. 5. Mykosis *Vesicæ.*

Excrescentiæ fungosæ molles vel duræ, pedunculo aut basi latiore, vesicæ urinariæ plerumque prope collum ejus adhærentes; quandoque exploratione catheteris dignoscendæ. Morbus viris potissimum declinante ætate, raro junioribus, et fœminis nunquam infestus; continua irritatione dysuriam, tenesmum, et paulatim etiam incrassationem vesicæ inducens.

Sp. 6. Mykosis *Periostei.*

Post osteoncum, præcipue extremitatum, plerumque ex contusione aliave vi externa il-

lata ortum, ex incisione aut etiam ex ulceratione tegumentorum spontanea, excrescentia fungosa, rubra, mollis vel dura, facile sanguinem fundens, et plerumque carie aut osteophthoria stipata.

Syn. Tumores fungosi aut spongiosi ossium.

G. CCCLXXX. POLYPUS.

Gr. Πολύπους, a πολὺς multus, et ποῦς pes: Vermis ita dictus.

Excrescentia carnosa, plerumque mollis, rarius dura, pyriformis, pedunculo, aut etiam quandoque basi latiore membranæ mucosæ, ac cellulosæ, vel etiam periosteo adhærens; albicans, vel rubescens aut livida, dolens vel indolens, sæpe humorem ichorosum fœtidum exsudans. Morbus a numerosis ramificationibus, quasi instar polypi totidem pedibus instructi, partibus vicinis adhærentibus, ita appellatus (*).

(*) Causa, origo, et natura hujus morbi nos omnino latet. Auctores eundem passim a vitio syphilitico, aut scrofuloso etc. derivant; sed plurimi polypi, quos mihi saltem videre contigit, in subjectis cæterum sanissimis orti, apud me dubium excitarunt, an non,

A. Polypus.
G. Polype.
Ge. Polyp.

Variat sede:

1. In cavo narium.
2. In faucibus.
3. In œsophago.
4. In sinu maxillari.
5. In utero aut in collo ejusdem.
6. In vagina uteri.
7. In intestinis, præcipue in recto.
8. In meatu auditorio externo.

Ex his, Polypi narium, et uteri, aut vaginæ ejusdem, frequentissime in praxi occurrunt.

Sp. 1. Polypus *Narium.*

Excrescentia carnosa (quandoque etiam

---

saltem quandoque, a vermibus peculiaribus, ut Hydatides in variis corporis animalis partibus, generentur; quod futuris naturæ scrutatoribus examinandum relinquo. Interim omnes polypi, in partibus externis corporis occurrentes, de quibus hic speciatim semo est, sollicite distinguendi sunt a concretionibus carnosis, frequenter post mortem in corde et vasis majoribus repertis quas vulgo etiam polypos appellant. Hæ concretiones evidenter a portione fibrina, albuminosa, aut gelatinosa sanguinis, quandoque durante vita, sed plerumque post mortem, in corpore formantur.

plures) in cavo narium, plerumque mollis, indolens, pyriformis, pedunculo suo, aliisve ramis variis membranæ mucosæ aut periosteo ossium variorum nasi, vel canalis nasalis, sinuum maxillarium aut etiam frontalium arcte adhærens. Progressu non raro cavum unum vel utrumque narium implens, et ex eorum orificio fœde propendens, vel in fauces usque descendens, et tunc sæpe retro velum pendulum conspicua; symptomata coryzæ, vel obstructionem narium, difficultatem respirationis, anosmiam, sternutationem frequentem, ac excretionem humoris mucosi vel ichorosi ex naso inducens. Tandem mole sua ossa distendens, deformitatem nasi fœdam, et ex compressione viarum lacrymalium fistulam lacrymalem, dolores capitis atroces, phlogosin et sæpe etiam cariem ossium, vel ulcus mali moris cum excretione ichoris fœtidi junctum, necnon frequentem ac violentam narium hæmorrhagiam causans.

Variat figura et consistentia:

1. *Mucosus.*

Excrescentia in cavo narium, pedunculata, coriacea, albicans; plerumquc excretione copiosa muci ex naso stipata.

2. *Vesiculosus.*

2. *Vesiculosus.*

Excrescentia in cavo narium pedunculata, sacculum oblongum, muco aliove humore crassiore repletum, formans.

3. *Sarcodes.*

Excrescentia in cavo narium pedunculata, rubescens, et massam carneam æmulans, sæpe pluribus radicibus suis periosteo ossium spongiosorum nasi, vel sinus maxillaris, aut etiam sinus frontalis ejusdem lateris fortiter adhærens; utplurimum mollis et indolens, sed quandoque etiam dura et dolorifica, tuncque sæpe in ulcus mali moris abiens.

Polypus narium sæpe *complicatus* occurrit:

1. Cum ulcere narium.
2. Cum carie.
3. Cum vitio sinuum maxillarium vel frontalium.
4. Cum fistula lacrymali.

Sp. 2. Polypus *Œsophagi.*

Polypus dyscataposiam plus minusve molestam causans, digito aut plumula irritando fauces visibilis, si in superiore parte œsophagi hæret; si in inferiore, vix dignoscendus, et

tandem inanitione, ex deglutitione impedita, lethalis.

Sp. 3. Polypus *Aurium.*

Polypus in meatu auditorio externo natus, visu facile detegendus.

Sp. 4. Polypus *Uteri* vel *Vaginæ.*

Excrescentia carnea, mollis, indolens, pyriformis, pedunculata, in fundo uteri, vel in interna parte colli ejus, aut in margine externo orificii uteri, vel etiam in vagina nata; paulatim crescens, tuncque initio non raro graviditatem mentiens. Progressu morbi sæpe hæmorrhagiam uteri, sterilitatem, vel etiam abortum causans; tandem palpando in vagina, vel etiam aucta mole visu, externe perceptibilis: Ex compressione vesicæ et recti dysuriam, vel ischuriam, ac tenesmum et dyscoiliam, tensionem abdominis summe dolorificam, hæmorrhagias uteri frequentes, vel excretionem constantem muci, aut ichoris inducens. Morbus hic a prolapsu uteri aut vaginæ, necnon ab inversione uteri, utpote figura et forma a polypo diversis, ac facili reductione, quæ in polypo locum non habet, sollicite distinguendus, et caute examinandus, cum error in diagnosi graves sequelas habere possit.

Syn. Cercosis *Auct.* (Κέρκωσις *Hipp.*).

A. Polypus uteri.
G. Polype de la matrice.
Ge. Mutterpolyp.

Sp. 5. Polypus *Vesicæ urinariæ.*
Vide supra *Mykosis Vesicæ.*

Sp. 6. Polypus *Recti.*

Plerumque digito in anum immisso detegendus.

G. CCCLXXXI. SYCOSIS.

Gr. Σύκωσις a σῦκον, ficus : Excrescentia carnea, a fici similitudine ita dicta.

Excrescentiæ carneæ, rotundæ, subduræ, rubentes, basi lata vel pedunculo angusto cuti adhærentes, quandoque dolentes, ac in ulcus durum et callosum, vel etiam in ulcus humidum et inæquale abeuntes : Ex duro humor viscosus paucus ; ex humido copiosior et mali odoris exsudans. Morbus hodie maxime in partibus genitalibus, in balano et labiis vulvæ, aut circa anum ; vel etiam in parte capillata capitis aut ad marginem capillitii, vel in barba, rarius,

in aliis corporis partibus, et nunc apud nos plerumque ex vitio syphilitico, oriundus.

Vide etiam supra p. 179. *Thymiosis*.

SYN. Sycoma
Ficus.
Thymus.
Condyloma.
Cristæ *s.* cretæ.
Crystallinæ.
Tubercula crystallina.
Verrucæ humidæ.
} *Auct.*

A. Condyloma.
G. Condylomes; chou-fleurs.
Ge. Feigwarzen.

SECT. II. EXCRESCENTIÆ DURÆ, s. SICCÆ.

G. CCCLXXXII. ACROCHORDON *s.* VERRUCA.

Gr. Ἀκροχορδών, verruca.

Excrescentia parva e cute protuberans, penduncula parvo pendula, aut plana, mobilis vel immobilis, basi latiore cuti substratæ arcte adhærens, cuti concolor, scabra, dura, indolens, diver-

sæ figuræ et magnitudinis. Vitium maxime junioribus in manibus et facie infestum; quandoque sponte evanescens, nonnunquam etiam in phlogosin et suppurationem abiens.

Syn. Acrothymium.
Thymus *s.* Thymion. } *Auct.*
Myrmecia (*)

A. Warts.
G. Des verrues; tannes; poireaux.
Ge. Warze.

Sp. 1. Acrochordon *Topicum.*

Tuberculum unum alterumve, in variis corporis partibus natum, sæpe sponte abiens. — Verrucæ quandoque epidermide rupta irregu-

---

(*) Tuberculum carnosum, ad cutem tenue, supra latius, subdurum, et in summo perasperum, vix fabæ majus; interdum perexiguum, facile sanguinem fundens (modo unum, modo plura) maxime in pudendis, ano, glande et præputio, vel etiam in palmis manuum aut plantis pedum natum, a figura, Thymi corymbos referente, græcis Thymion (θύμιον) dictum. Vide *Thymiosis* et *Sycosis.* — *Myrmekia* (gr. μυρμήκια) autem vocantur excrescentiæ humiliores thymio, durioresque, quæ radices altius agunt, majoremque dolorem movent, infra lata, supra autem tenuia.

larem figuram assumunt, in magnam molem excrescentes, summe molestæ, sensiles et fungosæ evadunt. In labiis, facie, palpebris sæpe etiam rubræ, aut lividæ, dolorificæ, et non raro ex irritatione externa, aut ex vitio cachectico in ulcera mali moris abeuntes; frequenter sed perperam cum carkinomate confusæ, sæpe cultro vel caustico facile tollendæ.

Sp. 2. Acrochordon *Cachecticum*.

Excrescentiæ plures, quandoque numerosæ, in externa corporis superficie, vel etiam in ore, aut ad genitalia utriusque sexus natæ; ablatæ facile renascentes, a vitio corporis universali oriundæ; aliquando, præprimis in facie aut naso, rubræ, lividæ, dolorificæ, in ulcera mali moris abeuntes.

VARIAT *pro causa remota:*

α. A diæta lactea vel farinosa infantum.
β. A vitio syphilitico (*).
γ. A vitio atrabiliario.

Juvenes, præcipue cute alba præditos, sæpe verrucis subjectos esse vidi, non solum in manibus et facie, sed et in radice linguæ, et quandoque etiam in urethra; unde stenosis urethræ

(*) Verrucas parvas pendulas innumeras in parte menti barbata, a vitio syphilitico ortas, observavi.

peculiaris. Ex observationibus medicis apparret, verrucosas excrescentias in quibusdam locis, ac temporibus multo frequentius occurrere, quam quidem hodie apud nos observamus.

G. CCCLXXXIII. TYLOSIS s. CLAVUS.

Gr. Τύλος clavus : Clavus pedum.

Durities cutis callosa, sicca, dura, lamellata, mobilis vel immobilis, plerumque lentis magnitudine; initio basi sua in tunicam cellulosam cutis depressam sese insinuans, maxime digitis aut plantæ pedum insidens; præcipue a pressione calceorum vel tibialium durorum aut angustorum orta, unde membrana mucosa et epidermis gradatim indurantur. Pressione diutius continuata, ex circulatione sanguinis libera impedita, phlogosis membranæ cellulosæ cutis summe dolorifica, circulum rubrum circa clavum formans, atque in suppurationem abiens.

A. A corn.

G. Clous; le cor; cors aux pieds.

Ge. Hünerauge; Leichdorn.

G. CCCLXXXIV. POROSIS.

Gr. Πῶρος callus; callositas.

Cutis crassities dura, a frictione aut pressione fortiori aut diutius continuata orta.

G. CCCLXXXV. KERATIASIS.

A Gr. Κέρας cornu.

Excrescentia cornea, dura, unguium structuram æmulans, præprimis in fronte, temporibus, aut naso orta. Quandoque etiam in tota corporis superficie numerosæ tales excrescentiæ simul et semel nascuntur, tuberculosæ, plus minusve duræ, a pollicis unius ad 4 aut 5 pollicum longitudinem protuberantes; cute extremitatum simul plerumque dura, et callosa. Quandoque in fronte, temporibus, aliisve partibus, ubi ossa immediate sub cute jacent, veræ hyperostoses.

G. CCCLXXXVI. PTERYGIUM.

A Gr. Πτερύγιον ala.

Excrescentia alba, crassior vel tenuior, membranam adnatam, aut cor-

neam oculi tegens; quandoque cum ulcusculo juncta.

Syn. Unguis.
Ungula.
Pannus oculi. } *Auct.*

A. A Web.
G. Taye; l'ongle ou l'onglet de l'œil.
Ge. Fell, Fleck auf dem Auge.

Sp. 1. Pterygium *Benignum.*

Incrassatio, et opacitas plicæ semilunaris membranæ conjunctivæ ad canthum internum vel externum oculi unius vel utriusque, speciem membranæ triangularis formantis, cujus apex sese in corneam transparentem, quandoque ad centrum usque extendit, coloris modo cinerei, modo e rubro-pallidi, vix dolens, sed motum oculi turbans et amblyopiam inducens.

Pterygium differt ad aliis excrescentiis tuberculosis corneæ, quod forcipe elevari, et versus basin suam replicari possit. Morbus plerumque ex ophthalmitide syphilitica vel chronica prægressa oriundus, sæpe diu sine dolore durans.

Sp. 2. Pterygium *Cacoëthes*.

Rubrum, dolorificum, venis varicosis distinctum; quandoque cum fungositate carunculæ complicatum, tuncque vulgo carkinoma dictum.

N. B. Tuberculum molle, indolens, flavescens, lentis magnitudine, in superficie corneæ versus canthum externum situm, vulgo *Pterygium adiposum* vocatur.

CL. V. O. VIII. ECTOPIÆ.

Gr. ΕΚΤΟΠΙΑΙ.

Char. Pars ex sua sede normali dimota, plerumque externe tumorem causans.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt :

Genus I. KELE s. HERNIA.
II. PROPTOSIS.
III. ANASTROPHE.
IV. HYSTEROLOXIA.
V. ECTROPIUM.
VI. ENTROPIUM.
VII. STREBLOSIS.
VIII. PARECTASIS.
IX. EXARTHROSIS.
X. DYSARTHROSIS.
XI. DIASTASIS.

CL. V. O. VIII. ECTOPIÆ.

G. CCCLXXXVII. KELE s. HERNIA.

A Gr. Κήλη, Ramex CELSI (*).

Visceris aut partis mollis cujusvis corporis ex cavitate sua normali dimotio; externe tumorem formans, cute tectum.

SYN. Hernia *Auct.*

A. Rupture; descent.
G. Hernie, ou rupture.
Ge. Bruch.

SECT. I. HERNIÆ ABDOMINALES.

Intestinum, omentum, aliudve viscus abdominale quodcunque, totum vel pro parte, e sede sua dimotum, et plerumque sacco peritonæi inclusum, externe sub cute tumorem producens (**).

(*) Nomen herniæ pro hoc morbo hodie generaliter adoptatum, olim apud Romanos, vulgare quidem sed indecorum habitum, ideo hic morbus a CELSO Ramex appellatur.

(**) In casibus rarioribus pars dimota sacco peritonæi inclusa non est, sed immediate sub cute tumorem for-

VARIANT pro ratione partis elapsæ:

α. Intestini (Enterokele gr. Ἐντεροκήλη).
β. Omenti (Epiplokele gr. Ἐπιπλοκήλη).
γ. Intestini et omenti (Enteroepiplokele gr. Ἐντεροεπιπλοκήλη).
δ. Vesicæ urinariæ (Kystokele gr. Κυστοκήλη).
ε. Uteri (Hysterokele gr. Ὑστεροκήλη).
ζ. Ovarii unius vel utriusque.

Sp. 1. Hernia *Inguinalis* (Bubonokele).
Gr. Βουβωνοκήλη a βουβὼν inguen et κήλη hernia.

Ex intestino (frequentissime Ileo, quandoque etiam jejuno aut colo, rarius cæco), vel omento, aut utroque simul, ex cavo abdominis per fissuram, inter fibras tendinosas musculi abdominalis obliqui externi formatam, et vulgo nomine annuli abdominalis notam (*), tumor in inguine, unius vel utriusque lateris, prominens, ac plerumque sacco peritonæi inclusus, visu tactuque perceptibilis; nisu aut

---

mat, uti in hernia congenita; aut etiam, ubi pars ex peritonæo vulnerato vel fisso per hiatum, in fibris musculorum abdominalium factum, penetrat.

(*) Quandoque, etsi rarius, hæ partes non ex annulo abdominali dicto elabuntur, sed supra eundem inter fibras tendinosas musculi abdominalis obliqui externi protrusæ, herniam inguinalem formant.

tussi auctus, ægro supino plerumque levi pressione evanescens, et in cavum abdominis retrocedens. In casibus rarioribus portio vesicæ urinariæ vel uteri, aut etiam ovaria per se vel cum partibus supra dictis, per annulum abdominalem protrusa, herniam in uno vel utroque inguine formant (*).

Vide etiam *Bubononcus*.

Sp. 2. Hernia *Scrotalis*. (Oscheokele gr. Ὀσχεοκήλη).

Intestini, vel omenti, aliarumve partium, herniam inguinalem constituentium, ex inguine in scrotum delapsus.

Sp. 3. Hernia *Labiorum vulvæ*. (Cremnokele a gr. Κρεμνοι labia vulvæ).

Tumor labii vulvæ unius vel utriusque, ex intestino, quandoque etiam ex omento, aliisve partibus per annulum abdominalem in inguen unius vel utriusque lateris, ac progressu morbi in membranam cellularem labiorum vulvæ protrusis. Vide etiam *Cremnoncus*.

(*) Vesica, uterus, aut ovaria, herniam inguinalem formantia, nunquam in sacco peritonæi inclusa sunt, sed in tunica cellulari immediate sub cute jacent. — Pott herniam inguinalem utriusque lateris, ex ovariis protrusis ortam, observavit, eamque excisis ovariis feliciter curavit.

Sp 4. Hernia *Umbilicalis*. (Omphalokele gr. Ὀμφαλοκήλη).

Tumor umbilici ex intestino aut omento, vel ex utroque, aut etiam ex hepate nudo vel sacco peritonæi incluso, in infantibus plerumque per ipsum annulum umbilici; in adultis sæpius ad latus ejusdem per fissuram lineæ albæ protrusis, oriundus.

Sp. 5. Hernia *Femoralis s. Cruralis*. (Merokele a gr. Μηρὸς Femur).

Tumor in superiore femoris parte ad plicam inguinis, ex intestino, omento, quandoque etiam vesica urinaria etc. sub ligamento Pourpartii dicto, ubi nervi et vasa cruralia ex abdomine ad extremitates inferiores exeunt, ex cavo abdominis protrusis, ortus; maxime fœminis, plures partus passis, frequens.— Tumor sæpe herniam inguinalem mentiens, sed basi sua latiore, pulsatione arteriæ cruralis vicinæ, et plerumque tumore pedis œdematoso, ac formicatione et anhaphia femoris, ab hernia inguinali distinguendus (*).

(*) Hernia femoralis etiam quandoque cum tumore glandulæ inguinalis male confunditur; sed herniæ tumor tussi augetur, et plerumque gasteralgia vel torminibus ventris stipatur, quæ in tumore glandulæ absunt.

Sp. 6. Hernia *Ovalaris.*

Tumor in superiore et interna femoris parte prope perinæum, ex intestino præcipue ileo, quandoque etiam portione vesicæ urinariæ, per foramen ovale ossis ischii protruso, ortus. Morbus rarior, potius in fœminis quam viris occurrens.

Syn. Hernia foraminis ovalis. } *Auct.*
——— ——— magni ischii.

Sp. 7. Hernia *Epigastrica.*

Tumor ad, vel prope lineam albam, inter cartilaginem xyphoideam et umbilicum, ex omento aut intestino vel utroque, et quandoque etiam cum ventriculi portione, sacco peritonæi inclusis, vel nudis per fissuram aut vulnus peritonæi protrusis.

Sp. 8. Hernia *Ventralis.*

Tumor ad latus unum vel utrumque lineæ albæ, vel in ipsa linea alba, ex ejusdem discessione, ab omento, intestino, vel utrisque, cum peritonæo in saccum extensis; non raro etiam sine eodem ex peritonæo vulnerato per fissuram musculorum protrusis, ortus: Simplex, vel cum fissura, aut perforatione peritonæi, vel cum hydrope abdominis complicatus.

Sp. 9.

Sp. 9. Hernia *Perinœalis.*

Tumor perinæi ad latus alterutrum Rhaphæ, maxime in viris ex intestino inter rectum et vesicam, sæpe simul cum portione vesicæ; rarius in fœminis, ex intestino inter rectum et uterum protruso ortus; plerumque dolore et tensione in parte affecta, enteralgia, dysuria, dyscoilia, præcipue sub situ corporis erecto, sed decubitu in lecto fere evanescentibus, stipatus.

Sp. 10. Hernia *Ischiadica.* (Ischiokele a gr. Ἰσχιοκήλη).

Tumor prope anum, sæpe magnæ molis, ex intestino etc. per fissuram sacro-ischiadicam protruso.

Sp. 11. Hernia *Vaginalis.*

Tumor plerumque ad latus alterutrum vaginæ uteri, interne prope orificium ejusdem, vel etiam externe cum prolapsu vaginæ apparens, ex intestino inter vaginam et rectum, rarius inter vaginam et vesicam, quandoque cum portione vesicæ urinariæ, protuso ortus. Morbus maxime fœminis, plures partus passis, infestus, et plerumque ex nisu violento aut lapsu oriundus, ac tumore, dolore et tensione stipatus, quæ symptomata, ægra stante aut

tussiente, increscunt; ægra supine in lecto decumbente diminuunt, vel evanescunt.

Sp. 12. Hernia *Lumbalis*, vel *Dorsalis*.

Tumor in regione renum vel lumborum, ex intestino aut rene etc. protruso.

Variant pro causa remota:

α. A dispositione hæreditaria.

β. A debilitate aut laxitate musculorum, tendinum vel membranarum, viscera abdominalia continentium.

γ. Ab usu aquosorum calidorum, oleosorum, et pinguium relaxantium (unde quidam monachi præcipue herniis subjecti).

δ. A marcore, post polypiotem prægressam.

ε. A locis humidis.

ζ. A læsione musculorum vel peritonæi.

η. A nisu violento, præcipue corpore ad latus vel retrorsum flexo.

θ. A compressione viscerum abdominalium violenta:

1. Ab ingluvie.
2. Ab hydrope.
3. A tympanitide.
4. A thoraculis aliisve vestibus arctis.
5. A clamore, cantu, inflatione instrumentorum musicorum.

6. A sternutatione, tussi, aut vomitu violento.

7. A nisu violento in partu, aut sub evacuatione excrementorum.

8. A magna virium exertione ad elevanda pondera etc., inspiratione retenta.

ι. A saltu, aut lapsu ex alto.

κ. Ab equitatione.

λ. A terrore.

μ. A rhexi aut vulnere peritonæi.

SECT. II. HERNIÆ THORACIS.

Sp. 13. Hernia *Thoracis externa.*

Tumor in latere alterutro thoracis, ex portione pulmonum sacco pleuræ inclusa, aut nuda per fissuram pleuræ protrusa; sæpe ex vulnere musculorum intercostalium, vel ex fractura costarum, aut ex apostemate prægressis ortus.

Sp. 14. Hernia *Thoracis interna.*

Intestina, hepar, ventriculus etc. per diaphragma, vi ruptum vel vulneratum, in cavum pectoris penetrantia. Morbus magna anxietate, dyspnoea, et syncope, aut apnoeasphyxia stipatus; plerumque cito lethalis.

SECT. III. HERNIÆ CAPITIS.

Sp. 14. Hernia *Cerebri.*

Syn. Encephalocele. *Auct.*

Tumor in quacunque parte capitis, sed maxime in vertice, ex cerebro aut cerebello inter ossa cranii mollia, nondum ossificata, vel dehiscentia, aut erosa protruso ortus, cuti concolor vel lividus, mollis; pulsans, pulsatione cum respiratione synchrona. Pressione vertiginem, syncopen, cataphoram, paralysin aut convulsiones inducens. Vide supra *Mykosis cerebri.*

Præter Species aut Varietates Herniarum mox dictas, practico notandæ sunt:

A. *Hernia Simplex.*

Ubi nonnisi una pars elapsa est.

B. *Hernia Composita.*

Ubi partes plures in sacco herniæ continentur.

C. *Hernia Complicata.*

1. Cum vulnere aut fissura peritonæi, vel pleuræ etc.
2. Cum phlogosi.

3. Cum apostemate.
4. Cum gangræna.
5. Cum hydrope abdominis, scroti, vel testiculi.
6. Cum ulcere (unde quandoque anus artificialis).

D. *Hernia Connata* s. *Congenita.*

Tumor in inguine, aut scroto puerorum; vel in inguine aut labiis vulvæ puellarum, aut in umbilico neonatorum utriusque sexus, ante aut sub partu, ex intestino cum vel sine omento per annulum abdominalem dictum, aut per umbilicum elapso, ortus. — Intestinum, in hernia congenita puerorum, cum testiculo uno vel utroque versus tempus partus in inguen et scrotum descendit, testiculo immediate accumbens, peritonæo, id est, tunica vaginali testiculorum, obvolutum. Progressu morbi, hæc hernia sæpe simul omentum continet; et partes elapsæ non raro partibus vicinis accrescunt.

E. *Hernia Accreta.*

Partium in hernia, præcipue inveterata aut congenita, contentarum concretio, fortior vel laxior, inter se, vel cum peritonæo, aut cum partibus vicinis, mediante membrana

cellulari; plerumque herniæ reductionem, et hinc etiam brachierii applicationem impediens.

F. *Hernia Incarcerata.*

Tumor herniæ abdominalis cujuscunque patentis vel latentis, durus, dolorificus, maxime in inguine et umbilico, reductionem partium elapsarum consuetam recusans; sæpe cito in phlogosin, apostema, aut gangrænam abiens. Morbus plerumque alysmo, nausea, hyperemesia et ischocoilia rebelli, torminibus ventris, et non raro etiam tussi sicca abdominali, ac lygmo frequenti stipatus.

Vide etiam supra p. 392. *Anxis.*

VARIANT pro causa remota:

α. A contractione spasmodica membranæ fibrosæ, aut fibrarum muscularium, in annulo abdominali vel umbilico etc.

β. A constrictione partium, ex fissura aut vulnere peritonæi protrusarum.

γ. A fæcibus duris, corporibus alienis, vermibus aut flatibus, intestinum elasticum distendentibus.

δ. Ab angustato collo sacci herniosi.

ε. A compressione violenta brachierii, male constructi aut perverse applicati.

ζ. Ab omento vel mesenterio, in sacco herniæ contento, indurato.

η. Ab inflammatione annuli, aut umbilici, vel peritonæi, aut intestini elapsi.

ϑ. A nimia mole partium elapsarum.

ι. Ab accretione partium elapsarum inter se, vel cum partibus vicinis.

κ. A desorganisatione partium, in hernia contentarum.

G. CCCLXXXVIII. PROPTOSIS.

Gr. Πρόπτωσις s. πρόπτωμα prolapsus; a πίπτω cadere, prolabi.

Partis mollis ectopia nuda, seu tumor nec sacco peculiari inclusus, nec cute tectus; ex relaxatione aut solutione continui oriundus.

Syn. Proptoma. *S.*

Prolapsus.
Delapsio. } *Auct.*
Procidentia.

A. Procidence; prolapsus; bearing-down.
G. Chûte; descente; relâchement.
Ge. Ein Vorfall.

Sp. 1. Proptosis *Oculi.*

Oculi extra palpebras prominentia abnormis, ita ut palpebris tegi nequeat. Quando-

que tumor nimium distentus rumpitur. Vide *Ophthalmoncus*.

SYN. Ophthalmoptosis (Gr. Ὀφθαλμόπτωσις).

Exophthalmia.
Hydrophthalmia.
Oculus elephantinus.
——— bovinus s. bubulus. } *Auct.*

VARIAT pro causa remota:

α. A vitio bulbi oculi:

1. Ex inflammatione violenta et profunda oculi.
2. Ex hydrope oculi.
3. Ex tumore oculi.
4. Ex metastasi ad oculum.

β. A vitiis oculo vicinis:

1. Ab abscessu, tumoribus variis, hydatide, sarcomate etc. in orbita, inter ossa et bulbum sitis.
2. Ab exostosi.
3. A motu musculorum oculi convulsivo.
4. A vulnere, aliave vi externa illata.

Sp. 2. Proptosis *Corneæ*.

Corneæ transparentis, aut etiam scleroticæ protuberantia dura, opaca, paulatim crescens, ita ut tandem palpebris tegi nequeat.

Progressu morbi, tumor mole auctus, dolorificus, ac sæpe in ulcus mali moris abiens.

Syn. Staphyloma Corneæ. *Auct.*

Sp. 3. Proptosis *Iridis.*

Portionis iridis, per corneam transparentem corrosam, ruptam aut perforatam, protusio; sæpe dolore, inflammatione, dacryrrhœa, vel concretione cum cornea; quandoque etiam constrictione corneæ, seu incarceratione iridis stipata.

Syn. Staphyloma iridis. } *Auct.*
Myocephalon. }

Sp. 4. Proptosis *Palpebræ.* (Blepharoptosis, a gr. βλεφαρόπτωσις).

Palpebræ unius vel utriusque lapsus, seu descensus involuntarius.

Syn. Ptosis. *Auct.*

A. Præternatural descent of the eye-lid.
G. Chûte de paupière.

Variat:

α. A relaxatione aut paralysi palpebræ permanente, vel periodice redeunte.

β. A vulnere musculi frontalis, aut levatoris palpebræ superioris.

γ. A tumore majore, palpebram deorum trahente.

Sp. 5. Proptosis *Uvulæ.*

Syn. Hypostaphyle (gr. Ὑποσταφυλη).

Elongatio aut tumor uvulæ abnormis, ab inflammatione aut relaxatione ejusdem ortus; irritationem faucium, dyscataposiam, tussim, sæpe etiam vomitum ciens.

Vide supra *Staphyloncus.*

Sp. 6. Proptosis *Linguæ* (Glossoptosis).

Lingua tumida, vel etiam non tumida, extra os permanenter propendula.

Vide etiam *Glossoncus.*

Syn. Paraglosse exertoria. *S.*

Glossocele *s.* hernia linguæ. *Gaub.*

Linguæ extumescentia.
——— exertio *s.* extrusio.
——— prolapsus.
——— inflatio.
} *Auct.*

Sp. 7. Proptosis *Testiculi.*

Parorchidium (gr. παραρχιδιον).

Testiculi unius vel utriusque, vel etiam tertii, ex abdomine protrusi, et in inguine hærentis tumor.

Vide *Bubononcus.*

Sp. 8. Proptosis *Vesicæ.*

Membranæ internæ vesicæ per collum ejusdem in urethram protrusio; præprimis in calculosis.

SYN. Kystoptosis. *Vog.*
Exocyste. *S.*
Exoscystis. *Sagar.*

Sp. 9. Proptosis *Recti* (Archoptosis)

Intestini recti, vel solum ejus membranæ internæ, aut etiam, etsi rarius, intestini coli, in rectum introsuscepti, per anum descensus, ac extra anum tumorem rotundum, rubrum, vel lividum formans. Morbus sæpe magno dolore, inflammatione, tenesmo aut ischocoilia, vel dyscoilia stipatus; et ex constrictione violenta ani quandoque cito in gangrænam abiens.

SYN. Exania. } *Auct.*
Procidentia ani. }

1. Simplex.
2. Incarcerata.
3. Complicata cum inversione recti.

VARIAT pro causa remota :

α. A nisu violento vel diutius continuato sub depositione alvi, vel in partu, aut sub elevatione ponderum.

β. Ab infarctu vasorum hæmorrhoidalium.

γ. A relaxatione membranæ internæ recti.

δ. A relaxatione aut paralysi sphincteris ani.

ε. Ab abusu enematum ralaxantium.

ζ. A prava consuetudine, qua infantes coguntur matulæ diutius insidere.

η A diarrhœa, dysenteria, aut tenesmo prægressis.

ϑ. Ab ascaridibus in recto nidulantibus.

ι. A fistula ani.

κ. A calculo vesicæ urinariæ.

λ. A catharcticis drasticis assumptis.

μ. A dyscoilia.

Sp. 10. Proptosis *Vaginæ*. (Kysthoptosis a Κυσθος, vagina).

Vaginæ uteri totius, vel membranæ ejusdem internæ, extra orificum vulvæ protrusio, tumorem rotundum, rubrum vel lividum formans.

Syn. Colpoptosis. *Sagar.*

1. Simplex.
2. Complicata cum prolapsu uteri.

Variat pro causa remota:

α. A relaxatione membranæ internæ vaginæ.

β. A relaxatione aut paralysi sphincteris vaginæ.

γ. A nisu violento in depositione alvi duræ; aut in elevandis vel portandis ponderibus gravibus.

δ. Ab intestino, omento, vel vesica urinaria in pelvim protrusis.

ε. Ab atelgotripsia.

ζ. A partu frequenti, vel difficili.

η. A prolapsu aut inversione uteri.

ϑ. Ab hydrope abdominis.

Sp. 11. Proptosis *Uteri* (Hysteroptosis a gr. Ὑϛερόπτωσις).

Uteri in inferiorem pelvis partem protrusio ac immersio abnormis; uteroque ibi in orificio vaginæ hærente, vel extra illud prominente, tuncque in medio tumorem rubrum acuminatum, et fissura transversali notatum formans quæ est orificium uteri.—Morbus tensione et dolore lumborum, inguinum, et hypogastrii, standi aut ingrediendi difficultate, dysuria, tenesmo, dyscoilia; quandoque etiam hæmorrhagia, vomitu, convulsionibus, et leipothomiis frequentibus stipatus; præcipue fœminis, plures partus passis, infestus.

N. B. Cum proptosi uteri vel vaginæ uteri quandoque complicatur, hernia vesicæ urinariæ.

Proptosis uteri est:

1. Simplex.
2. Incarcerata.
3. Complicata cum inversione uteri.

Variant pro causa remota:

α. A relaxatione ligamentorum uteri.
β. Ab aselgotripsia.
γ. A graviditate.
δ. A nisu violento, præcipue respiratione simul retenta, maxime in partu difficili, sub elevatione ponderum, tussi, vomitu etc.
ε. A præpostera festinatione fœtum excludendi.
ζ. A vi obstetricantis fœtum trahentis.
η. A violenta placentæ extractione.
ϑ. A pelvi nimis ampla.
ι. A polypiote.
κ. A magna distensione intestinorum.
λ. A thoraculis aut vincturis abdominis arctis.

G. CCCLXXXIX. ANASTROPHE.

Gr. Ἀναστροφὴ Inversio.

Inversio partium corporis abnormis, externe visu vel tactu perceptibilis.

Sp. 1. Anastrophe *Uteri.*

Fundi uteri per orificium ejus dilatatum descensus, in vaginam hians; vel uterus totus inversus extra orificium vaginæ propendens, et tumorem pyramidalem formans, cujus apex seu pars superior et angustior orificio uteri quasi annulo constricta; basis vero seu pars inferior latior, rotunda, lævis, rubra vel livida, fundum uteri inversum exhibens, ita ut superficies uteri interna nunc superficiem ejus externam formet. Morbus plerumque ex placentæ per fœtum, aut obstetricantis retractionem violentam, aut etiam ex nisu violento parturientis, præcipue in situ corporis erecto, mox aut brevi post partum, rarius ex polypo uteri per orificium uteri prolapso, et fundum uteri secum trahente, ortus; dolore violento, tumore, et hæmorrhagia stipatus, et plerumque cito in gangrænam et mortem abiens.

G. Renversement de la matrice.
Ge. Umkehrung der gebährmutter.

Sp. 2. Anastrophe *Vaginæ.*

Vagina uteri integra, extra orificium vulvæ inversa, propendens.

Sp. 3. Anastrophe *Recti.*

Intestinum rectum extra orificium ani inversum protuberans.

Sp. 4. Anastrophe *Vesicæ.*

Vide *Proptosis vesicæ.*

Sp. 5. Anastrophe *Palpebrarum.*

Vide *Ectropium* et *Entropium.*

Sp. 6. Anastrophe *Linguæ.*

Linguæ motu deglutitorio, in fauces revolutæ, retractio et inversio, suffocationem inducens.

Syn. Paraglosse deglutitoria. *S.*

G. CCCXC. HYSTEROLOXIA.

A Gr. Ὑστέρα uterus, et λοξὸς obliquus.

Uteri e linea sua normali deviatio, seu retroversio versus anteriora, vel posteriora, aut ad latus. In gravidis, sæpe tumorem et torporem cruris lateris compressi ac varices, et difficultatem ingressus, ac tumorem glandularum inguinalium causans.

In obliquitate seu inclinatione fundi uteri versus anteriora seu pubem, orificium uteri versus

versus intestinum rectum spectat, et ægra dolorem in hypogastrio, nauseam frequentem, ac dysuriam sentit. In obliquitate seu inclinatione fundi uteri versus posteriora seu os sacrum, ægra tenesmo, dysuria, vel etiam ischuria laborat, et orificium uteri alte versus ossa pubis supra vesicam inclinatum reperitur. In obliquitate seu inclinatione fundi uteri ad latus dextrum, orificium uteri ad latus sinistrum, versum est; et in obliquitate ad latus sinistrum, orificium uteri ad latus dextrum versum invenitur.

G. Obliquité de la matrice.
Ge. Umbeugung der gebärmutter.

G. CCCXCI. ECTROPIUM.

Gr. Ἐκτρόπιον, ab ἐκ extrorsum, et τρέπω verto.

Extraversio limbi palpebræ inferioris, vel superioris, ita ut superficies ejus interna rubra externe appareat, et oculus perfecte tegi nequeat (*).

VARIAT pro causa remota:

α. A vitio palpebræ connato.

(*) Palpebræ superioris inversio extrorsum etiam quibusdam Lagophthalmus (Λαγώφθαλμον) seu oculus leporinus audit.

β. A tumore et inflammatione membranæ interioris palpebræ vehementiore.

γ. A tumore aut excrescentia carunculæ.

δ. A sclerosi membranæ internæ palpebræ.

ε. A relaxatione membranæ interioris palpebræ.

ζ. Ab abbreviatione cutis externæ palpebræ, vel etiam cutis vicinæ, ex cicatrice, ambustione, variolis.

η. A paralysi sphincteris palpebrarum (ut sæpe in senectute fit).

θ. A vulnere aut læsione cutis palpebræ externæ.

ι. A kystide in bulbo oculi vel in palpebra nata.

G. CCCXCII. ENTROPIUM.

Gr. Ἐντρόπιον, ab ἐν intro, et τρέπω verto: Introversio palpebræ.

Limbi palpebræ inferioris, vel etiam superioris inversio versus bulbum oculi, ita ut cilia oculum lædant.

SYN. Trichiasis s. Districhiasis. } *Auct.*
Distichia s. Distichiasis. }

VARIAT pro causa remota:

α. A paralysi palpebræ superioris.

β. Ab atonia cutis externæ palpebrarum.

γ. A tumore saccato sub palpebra.
δ. A cicatrice ex ulcere relicta.
ε. A spasmo musculi orbicularis palpebrarum.
ζ. A tarsi contractione.

G. CCCXCIII. STREBLOSIS.

Gr. Στρέβλωσις distorsio.

Musculi, tendinis, ligamenti, vel membranæ fibrosæ, e sede sua divulsio, aut extensio violenta, dolore intenso, et sæpe etiam subsequente tumore, stipata. Morbus ex nisu, distractione, aut inversione subita et violenta membri ortus, difficultatem aut impotentiam membrum affectum movendi inducens.

Syn. Distractio.
Distorsio s. contorsio. } *Auct.*

A. Sprain.
G. Entorse; distorsion.
Ge. Verstauchung; Verdrehung.

Sp. 1. Streblosis *Extremitatum.*

Ex nisu violento, aut inversione subita manus vel pedis oriunda.

Sp. 2. Streblosis *Dorsi* vel *Lumborum.*

Præcipue ex nisu elevandi pondera majora orta.

Sp. 3. Streblosis *Diaphragmatis*.

Præprimis oriunda, dum homo subito objectum nimis distans prehendere, aut pondera nimis gravia subito levare; vel etiam, dum caput subito versus latus alterutrum vertere nititur (*).

Streblosis quandoque complicatur:

α. Cum tumore, ex rhexi vasis cujusdam absorbentis et lympha extravasata.

β. Cum ecchymosi aut extravasatione sanguinis in parte affecta.

(*) Hunc morbum a nullo hactenus auctore descriptum memini, nisi *spasma* a Sauvages notatum huc referre velis. Ideo casus sequentes hic breviter recensere non inutile esse credidi. — In primo casu æger ex nisu violento utriusque manus, pondus grave ultra caput in altum elevandi, dolore subito et violentissimo in regione diaphragmatis correptus, quasi fulmine percussus, in terram immobilis concidit, sicque fere per horam prostratus jacuit, antequam sese levare potuerit. In alio casu æger ex subito nisu equum, cui insidebat, retinendi, eodem dolore correptus per plures horas quasi immobilis retentus fuit. In tertio demum casu æger robustus, ex nisu subito et violento pondus grave elevandi, mox ex doloris intensitate in terram concidit immobilis, et sic per plures dies in eodem situ in dorso jacens, ex minimo nisu situm mutandi dolores atrocissimos in tota regione diaphragmatis sensit.

G. CCCXCIV. PARECTASIS.

Gr. Παρέκτασις s. παράστρεψις subluxatio.

Ossis e sede sua in articulo dimotio partialis et transitoria, extensionem violentam ligamenti aut capsulæ articulationis inducens; maxime in extremitatibus corporis oriunda, et dolore violento ac immobilitate membri affecti stipata.

G. CCCXCV. EXARTHROSIS s. LUXATIO.

A Gr. Ἐξάρθρωσις s. ἐξάρθρημα, ab ἐξ extra, et ἄρθρωσις articulatio: Exarticulatio s. Luxatio.

Ossium inter se diarthrosi, seu articulatione mobili conjunctorum, e sede sua dimotio abnormis; vel ossis extremitas in articulo mobilis, e sede sua pro parte aut integre dimota; idque sursum vel deorsum, introrsum vel extrorsum, antrorsum vel postrorsum, motum consuetum impediens; accedente plerumque dolore, tumore et inflammatione cum ecchymosi in parte affecta.

A. Dislocation.
G. Une luxation.
Ge. Eine Verrenkung.

I. Simplex.

Cum extensione violenta membranæ capsularis, musculorum, ac tendinum.

II. Completa.

Ubi extremitas ossis ex cavo articuli penitus exit; plerumque cum dilaceratione membranæ capsularis, vasorum, nervorum etc. juncta.

Variat pro causa remota:

α. A vi externe illata, lapsu, ictu.
β. Ab actione musculorum violenta, spasmo, convulsione etc.
γ. A magna relaxatione membranæ capsularis; præcipue in phlegmaticis, pinguibus, in locis humidis degentibus.
δ. A tumore, in cavitate articuli nato.
ε. A synovia, nimia quantitate in articulo collecta.
ζ. A metastasi febrili.
η. A phlogosi et abscessu in articulo, vel partibus vicinis.

III. Incompleta.

Ubi extremitas ossis pro parte ex cavo articuli dimota, in membrana capsulari, aut in margine articuli, vel in alia ossis parte impacta hæret, cum extensione violenta membranæ capsularis juncta.

Sp. 1. Exarthrosis *Maxillæ inferioris.*

Processus unius vel utriusque condyloidei maxillæ inferioris, ex foveis ossium temporis versus anteriora dimotio.—In casu, ubi condyli maxillæ utriusque lateris simul luxati sunt, os apertum hiat, nec claudi potest, dentes incisorii et canini inferiores ante superiores prominent, cum loquelæ, masticationis et deglutitionis abolitione, ac sialorrhœa constanti; sæpe etiam cum spasmo maxillæ, baryecoia, pseudecoia, otalgia, et quandoque cum cataphora et hyperemesi porracea. In priori casu, ubi condylus maxillæ unius lateris e sede sua dimotus est, in uno latere a condylo luxato prominentia, in altero depressio observatur, os semiapertum ad latus torquetur, musculorum labiorum spasmus, psellismus, aliaque symptomata, sed leviori gradu quam in præcedente, adsunt.

Variat pro causa remota:

α. A vi externa, præcipue ictu inflicto, aut lapsu corporis, ore aperto.
β. A risu aut oscitatione violenta.
γ. A relaxatione membranæ fibrosæ articuli.

Sp. 2. Exarthrosis *Ossis Hyoidei.*

Ossis hyoidei e situ suo normali ad latus alterutrum dimotio, præcipue ex actione violenta musculi stylohyoidei, omohyoidei, vel hyopharyngei unius lateris, cum nisu ad deglutitionem constanti, sed dyscataposia, ac dolore et tumore externe ad latus laryngis juncta; plerumque ex lapsu, aut ictu in anteriorem colli partem, aut etiam ex nisu violento et inutili bolum majorem deglutiendi orta.

Sp. 3. Exarthrosis *Vertebrarum Colli*, s. *Cervicis.*

Vertebræ secundæ, a vertebra prima et capite, vel aliarum colli vertebrarum inter se e situ suo normali ad latus alterutrum dimotio incompleta; vel etiam antrorsum aut postrorsum, si simul fractura processus spinosi adest, tumore colli, ecchymosi, paraphonia, dyscataposia stipata: Quandoque etiam accedunt convulsiones aut tetanus, rubor et tumor faciei horridus, lingua immobilis, paralysis bra-

chiorum; plerumque a vi externa illata, aut etiam a carie vel a metastasi oriunda.

Sp. 4. Exarthrosis *Vertebrarum Dorsi.*

Vertebrarum dorsi inter se e sede sua normali dimotio, præprimis si simul fractura processuum spinosorum adest; a vi externa, frequenter etiam a metastasi febrili vel exanthematica orta.

Sp. 5. Exarthrosis *Vertebrarum Lumborum.*

Vertebrarum lumborum inter se, sed præprimis vertebræ primæ aut ultimæ lumborum e sede sua normali dimotio; plerumque cum dolore et tumore externo, carie, paralysi pedum, vesicæ, et recti juncta; ab ictu aut lapsu, sæpe etiam a metastasi orta.

Sp. 6. Exarthrosis *Coccygis.*

Ossiculorum coccygis e sua sede normali extrorsum vel introrsum dimotio, cum impotentia ingrediendi, standi, aut sedendi, ac dolore violento in parte affecta, præcipue tussi aut nisu alvum vel urinam evacuandi, aucto; quandoque ab equitatione, sed sæpius a lapsu, aut partu difficili, dum caput infantis fortiter versus posteriora premit, orta, tuncque non raro cum dilaceratione ligamentorum aut membranæ fibrosæ, phlogosi, et apostemate mus-

culorum glutæorum, aut sphincteris ani juncta.

Sp. 7. Exarthrosis *Costarum.*

Processus condyloidei costæ unius vel plurium e junctura sua normali cum vertebris, introrsum dimotio, cum mobilitate abnormi et strepitu sub motu juncta; ac præcipue si æger sese vertere aut erigere in lecto tendit, dolore in parte affecta, motu dorsi difficili, dyspnœa, et tussi violenta stipata; sæpe accedente febre.

Sp. 8. Exarthrosis *Claviculæ.*

Claviculæ extremitas anterior a nexu suo cum sterno, extrorsum aut introrsum dimota; vel ejusdem extremitas posterior a nexu suo cum acromio scapulæ sursum vel deorsum disjuncta, cum tumore externe perceptibili.

Sp. 9. Exarthrorsis *Humeri.*

Condyli ossis humeri e sede sua cum cavitate glenoidea scapulæ, præprimis deorsum, rarius antrorsum aut postrorsum dimotio. — In priori casu, præcipue mox post luxationem, tumor a condylo in cavo axillæ inter musculum parvum rotundum, et subscapularem, simulque perceptio cavitatis abnormis in ar-

ticulo; angulus spinæ scapulæ, maxime in subjectis macilentis, altior et acutior; tensio musculi deltoidis; longitudo brachii affecti major; dolor violentus ex nisu brachium versus pectus movendi, aut ulnam ad costas admovendi; et impotentia ægri brachium versus caput elevandi; plerumque a lapsu in olecranum orta (*).

In luxatione humeri laterali, antrorsum facta, caput humeri anterius inter tendinem musculi pectoralis magni percipitur, brachium affectum altero brevius est, et olecranum versus posteriora trahitur.—In luxatione brachii laterali, postrorsum facta, caput humeri retro cavitatem articuli ad marginem exteriorem scapulæ sub tendine musculi latissimi dorsi percipitur, brachium affectum sano brevius est, et olecranum postrorsum trahi nequit.

Sp. 10. Exarthrosis *Ulnæ*.

Ossis ulnæ e nexu suo cum extremitate in-

(*) In adultiore morbo, hæc symptomata minus evidentia sunt ob inflammationem et tumorem musulorum et ligamentorum; quandoque ex nisu ægri brachium movendi, caput humeri ex cavo subaxillari sub musculo pectorali antrorsum, aut etiam retrorsum sub spina scapulæ premitur; unde ex tensione musculorum variorum dolores violenti.

feriore ossis humeri postrorsum aut introrsum dimotio, plerumque incompleta; vel completa cum dilaceratione ligamentorum et fractura olecrani complicata. — Luxatio ulnæ cum osse humeri prostrorsum sæpe simul luxationem radii cum osse humeri inducit. — Si os ulnæ introrsum luxatum est, radius extrosum vertitur cum prominentia exterius, et concavitate interius perceptibili; et viceversa, si luxatio extrorsum facta fuit. — Si os ulnæ postrorsum luxatum est, processus coronoideus ejusdem, loco olecrani, retrorsum in articulatione cum osse humeri percipitur, et brachium incurvatum extendi nequit.

Sp. 11. Exarthrosis *Radii.*

Ossis radii a nexu suo cum humero antrorsum aut postrorsum, rarius extrorsum, dimotio. Luxatio antrorsum et sursum versus os humeri facta ob tensionem fortiorem, extensionem et supinationem brachii impedit, brachio plerumque prono remanente, cum violenta pressione et tensione musculi bicipitis, ligamentorum, vasorum et nervorum; unde dolores graves, tumor, ecchymosis, apostema, immobilitas, paralysis, et œdema brachii.

Sp. 12. Exarthrosis *Carpi.*

Ex octo ossibus carpum constituentibus

unum vel plura extrorsum versus dorsum, vel introrsum versus palmam manus e nexu suo separari possunt.

Ossis carpi scaphoidei seu navicularis a nexu suo cum radii parte anteriore; aut ossis semilunaris cum radii parte posteriore; aut etiam superficiei superioris ossis cuneiformis seu triangularis carpi, cum radio mediante ligamento cohærentis, separatio. — Luxatio ossis scaphoidei et semilunaris a radio plerumque ab ictu aut lapsu in dorsum manus fit, et manus sursum spectat; luxatio vero carpi extrorsum, ubi os scaphoideum, os semilunare, et os triangulare ab articulatione cum radio secedunt, fit plerumque a lapsu in palmam manus, vel ab ictu in partem internam carpi; manus versus inferiora constanter curvatur, et digitorum extensio impossibilis est, simulque prominentia in dorso manus evidens observatur. Ambæ hæ luxationes carpi frequenter cum separatione radii ab ulna complicantur, iisque sæpe tumor, dolor, inflammatio et apostema musculorum flexorum aut extensorum, et non raro œdema manus cum rigore et immobilitate digitorum accedit.

Sp. 13. Exarthrosis *Metacarpi.*

Inter ossa metacarpi os, quod cum phalange

inferiore pollicis jungitur, præprimis luxationi obnoxium est, et extremitas ejus versus carpum extrorsum vel introrsum luxari potest.

Ossa metacarpi a nexu suo cum ossibus carpi, aut inter se, vel cum ossibus digitorum manus incompleta luxatione separari possunt.

Sp. 14. Exarthrosis *Digitorum manus.*

Inter digitos manus pollex præprimis luxationi obnoxius est. Hæc luxatio non solum in ejus duabus Phalangibus, sed etiam, ut in specie præcedente notatum fuit, in osse metacarpi cum pollice juncto, introrsum vel extrorsum locum habere potest.

Phalanges digitorum mediæ et ultimæ præprimis versus dorsum, rarius versus palmam manus, rarissime ad latera luxantur. Inter has luxationes frequentissima est luxatio ultimæ phalangis indicis et digiti minimi. Luxationes phalangum digitorum plerumque completæ et summe periculosæ, tumore et dolore violento non solum partis affectæ, sed sæpe totius brachii; ac non raro tetano aut gnathospasmo, vel gangræna stipantur, vel immobilitatem digiti inducunt.

Sp 15. Exarthrorsis *Femoris.*

Condyli femoris a nexu suo cum ossibus pelvis in acetabulo separatio quatuor modis fieri potest. 1. Deorsum et introrsum. 2. Sursum et introrsum. 3. Sursum et extrorsum. 4. Deorsum et extrorsum. Ex his luxatio deorsum et introrsum frequentissima, et cæteris minus periculosa est. In aliis tribus, ob dilacerationem ligamenti teretis interni, plerumque claudicatio immedicabilis remanet.

I. In exarthrosi femoris *deorsum* et *introrsum*, ubi caput femoris foramini ovali innititur, pes affectus paullo longior est; ægro in dorsum decumbente genubus levatis, genu lateris affecti altius est, et pes simul ac genu extrorsum versa sunt. Si æger femur affectum introrsum vertere tentat, vehementissimum dolorem sentit; in statu erecto femur affectum a sano remotum simulque curvatum tenet, solis digitis pedum innixus. Initio morbi pes affectus perfecte immobilis, ne vel minimam versionem aut rotationem permittit (signum characteristicum, quo hæc luxatio a fractura colli femoris distinguitur); sed progressu morbi aliqua mobilitas femoris redit.

II. In exarthrosi femoris *sursum* et *introrsum*, caput ejus ossi pubis, ubi vasa spermatica

decurrunt, innititur, et tumorem durum in inguine causat; genu et pes multo magis extrorsum vertuntur, quam in luxatione præcedente; femur extensum est, et æger illud sine violento dolore antrorsum curvare nequit; membrum affectum brevius est sano; trochanter major altior est quam in latere sano; sæpe simul adest ischuria, tumor scroti et femoris; et progressu morbi membrum atrophia afficitur.

III. In exarthrosi femoris *deorsum* et *extrorsum*, ubi caput ejus ante tuberositatem ossis ischii hæret, genu et pes introrsum vertuntur, et æger femur sine summo dolore extrorsum vertere nequit; ægro in lecto decumbente membrum affectum longius; in statu corporis erecto e contra brevius est, et stupore afficitur, ob nervi ischiadici compressionem.

IV. In exarthrosi femoris *sursum* et *extrorsum*, ubi caput ejus versus spinam anteriorem ossis ilei hæret, genu et pes valde extrorsum versa sunt, æger pedem nec extendere nec extrorsum vertere potest; pes flexus est, et æger sine grallis incedere nequit.

VARIAT pro causa remota:

α. A vi externe illata.

β. A lapsu gravi in trochanterem majorem, quo caput femoris magna vi in acetabulum

lum impingitur; unde tumor, inflammatio glandularum, synoviæ accumulatio etc., et gradatim capitis femoris e sede sua dimotio.

γ. A metastasi febrili, variolosa, scrofulosa, syphilitica, lactea, rheumatica, podagrica; unde membranæ fibrosæ, capsulæ articularis, ligamentorum, aut periostei inflammatio, suppuratio, degeneratio etc.

Sp. 16. Exarthrosis *Patellæ.*

Patellæ e sede sua cum ossibus vicinis plerumque ad latus alterutrum, quandoque etiam ex ligamento ejus inferiore lacerato ad superiora dimotio, tactu, et visu perceptibilis; plerumque a lapsu violento in genu, aut a flexione ejus abnormi orta.

Sp. 17. Exarthrosis *Tibiæ.*

Extremitatis superioris tibiæ et fibulæ e sede sua cum femore retrorsum, vel ad latus alterutrum dimotio, completa vel incompleta; vel etiam tibiæ et fibulæ extremitas inferior a nexu suo cum astragalo et calcaneo retrorsum dimota.

Sp. 18. Exarthrosis *Pedis.*

Ossis astragali tarsi e nexu suo cum extremitate inferiore tibiæ et fibulæ dimotio an-

trorsum aut retrorsum completa, vel introrsum aut extrorsum incompleta. In luxatione astragali antrorsum calcaneum valde breve, planta pedis e contra multum elongatur, et pes semper curvatus tenetur. In luxatione astragali et calcanei retrorsum calcaneum versus posteriora multum prominet, et planta pedis minus longa est, pes ipse semper extensus tenetur.

Os naviculare tarsi a nexu suo cum calcaneo dimotum, *pedem equinum* dictum (G. Pied equin; pied bod. *Germ.* Klopffuss; Klumpfuss) constituit, in quo musculus tibiæus posticus et tendo Achillis multum abbreviantur, et planta pedis quasi excavatur, apice pedis introrsum verso.

Sp. 19. Exarthrosis *Tarsi.*

Ossis unius ex septem ossibus tarsi, a nexu suo cum osse socio sursum versus dorsum pedis, vel deorsum versus plantam dimotio.

Sp. 20. Exarthrosis *Metatarsi.*

Ossis unius ex quinque ossibus metatarsi a nexu suo cum osse socio sursum vel deorsum dimotio.

Sp. 21. Exarthrosis *Phalangum Digitorum Pedis.*

Ut digitorum manus.

G. CCCXCVI. DYSARTHROSIS.

Gr. Δυσαρθρώσις, a δὺς male *s.* perverse, et Ἀρθρώσις articulatio : Articulatio abnormis.

Ossis ex sede sua normali dimoti articulatio nova, abnormis; præprimis ex protrusione, aut ex luxatione vel fractura ossis generata.

G. CCCXCVII. DIASTASIS.

Gr. Διάστασις, a διάστημι separare : Separatio *s.* intervallum.

Ossium duorum, synarthrosi seu articulatione immobili inter se mediantibus cartilaginibus aut ligamentis, vel suturis, aut gomphosi conjunctorum divulsio; vel etiam epiphysium ab osse separatio abnormis.

G. Ecart d'Os.

Ge. Voneinanderweichung der Knochen; Trennung der Knochen.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab ictu, lapsu, aliave vi externe illata.

β. A vi aut pressione interna.

γ. A relaxatione ligamentorum.

δ. A tumore cartilaginum, ossa conjungentium.

Sp. 1. Diastasis *Epiphysium.*

Epiphysis, præprimis capitis femoris, aut condylorum ejus inferiorum, vel capitis humeri, aut etiam processus ulnæ, ab osse separatio abnormis, cum mobiliate ossis in omnem directionem valde facili, quandoque cum strepitu in extremitate; plerumque a cachexia corporis peculiari, osteomalakia, scorbuto, syphilitide, atrophia, aut a metastasi febrili vel variolosa oriunda, sæpe in immobilitatem, curvaturam, aut cariem ossis abiens.

Ge. Abweichung der Knochenansätze.

Sp. 2. Diastasis *Ossium Pelvis.*

Ossium pubis, vel aliorum ossium pelvis a nexu suo inter se, vel cum ossibus vicinis separatio abnormis, præprimis a graviditate aut partu difficili, vel etiam a vi externa orta; plerumque cum dolore lumborum, iliorum, vel ad pubem, difficultate ingrediendi, aut claudicatione juncta.

Sp. 3. Diastasis *Ossium Calvariæ.*

Ossium capitis inter se suturis junctorum separatio abnormis; plerumque ab hydrope capitis interno, quandoque etiam a kephalalgia violenta, aut a pressione interna vasorum orta.

Sp. 4. Diastasis *Dentium.*

Dentis vel dentium, gomphosi cum maxillis junctorum, separatio abnormis, unde *vacillatio* dentium (*); a vi externe illata, aut a defectu nutritionis, vel a scorbuto, aliove vitio cachectico, osteomalakia, podagra, aut etiam quandoque ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium oriunda.

Sp. 5. Diastasis *Maxillæ inferioris.*

Rarus morbus, sed quandoque in infante recens nato incidens, ex partu difficili, ab infantis, pedibus sese præsentantis, extractione violenta ortus.

Sp. 6. Diastasis *Ossis Hyoidei.*

Cornu unius vel utriusque ossis hyoidei, a nexu suo cum cartilagine thyroidea laryngis divulsio, sursum aut deorsum facta; plerumque a vi externa, quandoque etiam a deglutitione corporis majoris et duri orta, cum dyscataposia, sed nisu ad deglutitionem constanti, et tumore parvo, duro, pressione dolorifico, ad latus laryngis stipata, sæpe lethalis.

(*) Dentium lacteorum vacillatio versus septimum ætatis annum, morbus non est, sed effectus naturalis.

Sp. 7. Diastasis *Ossium Nasi aut Faciei.*

Plerumque a vi externa illata, hæc ossa introrsum premente; quandoque etiam a Polypo narium eadem extrorsum premente orta.

Sp. 8. Diastasis *Cartilaginis Xyphoidei.*

Cartilago ensiformis ab ictu aut lapsu, aliave vi externa introrsum pressa, et ventriculum aut hepar comprimens; unde singultus et vomitus rebelles, gasteralgia, syncope; et tandem emaciatio corporis generalis.

Sp. 9. Diastasis *Coccygis.*

Ossis coccygis a nexu suo cum extremitate ossis sacri introrsum vel extrorsum divulsio. Prior plerumque a lapsu aut vi externa illata; posterior plerumque in partu difficili, a capite fœtus aut pressione violenta obstetricis orta, dolore violento et tactu cognoscenda: In utroque casu adest claudicatio; insequente sæpe tumore vasorum hæmorrhoïdalium, inflammatione, apostemate, aut fistula recti.

Sp. 10. Diastasis *Fibulæ.*

Extremitatis fibulæ superioris vel inferioris a nexu suo cum tibia antrorsum vel postrorsum divulsio, dolore et tactu dignoscenda.

CL. V. O. IX. DIALYSES.

Gr. Διαλύσεις a διαλύω, disolvo.

Char. Solutio continui, visu tactuve manifesta.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt:

Genus I. ECDARSIS.
II. RHAGAS.
III. HELCOS *s.* ULCUS.
IV. SYRINX *s.* FISTULA.
V. THLASMA *s.* CONTUSIO.
VI. RHEXIS *s.* RUPTURA.
VII. TRAUMA *s.* VULNUS.
VIII. CATAGMA *s.* FRACTURA.
IX. TEREDON *s.* CARIES.
X. OSTEOPHTHORIA.

CL. V. O. IX. DIALYSES.

G. CCCXCVIII. ECDARSIS.

Gr. Ἔκδαρσις s. παράτριμμα s. παράτριψις, attritu detritum : Excoriatio; intertrigo.

Epidermidis aut membranæ mucosæ cutis, separatio dolorifica a corio substrato seu cute proprie sic dicta, in quacunque corporis parte visibili, sed præcipue in superiore et interiore parte femorum in adultis pinguibus; in ano, pube, sub axillis, retro aures, in collo maxime in infantibus, et in dorso aut lumbis in ægrotantibus, occurens.

Vide etiam *Erythema paratrimma*.

Syn. Paratrimma.
Intertrigo.
Attritus.
Abrasio. } *Auct.*
Aposyrma. *Ploucq.*

A. Excoriation.
G. Excoriation ; écorchure.
Ge. Wundwerden ; abgeschundene Haut ; Abschällen der Haut ; Frattseyn.

Variat pro causa remota:

α. Ab humore acri, in parte secreto.
β. A frictione, attritu, aut læsione mechanica.
γ. A decubitu.
δ. Ab acri corrosivo externe applicato.

G. CCCXCIX. RHAGAS.

Gr. Ῥαγὰς, fissura: Rhagades, fissuræ.

Cutis in quacunque corporis parte externa fissura abnormis, sicca (*).

Syn. Scissura; Rima; Fissura. *Lat.*

A. Chaps; clefts, or fissures in the skin.
G. Rhagade; gerçure; fente ou crevasse de la peau.
Ge. Schrunden; Hautspalten; Ritze.

I. Rhagas *Simplex.*
II. Rhagas *Complicata:*

1. Cum phlogosi, dolore.
2. Cum callositate.

Sp. 1 Rhagas *Labiorum oris.*
Sp. 2. Rhagas *Papillarum mammæ.*

(*) De Fissura cutis humida, vide *Rhexis cutis.* — Fissura labri superioris sicca connata, vulgo labium leporinum, seu lagostoma *Auct.* Vide infra O. Amorphiæ s, *deformitates.*

Sp. 3. Rhagas *Labiorum vulvæ.*

Sp. 4. Rhagas *Præputii.*

Sp. 5. Rhagas *Ani.*

Sp. 6. Rhagas *Palmæ manuum vel pedum.*

VARIANT pro causa remota:

α. A frigore, præcipue sicco.
β. A siccitate cutis.
γ. Ab extensione violenta.
δ. Ab acribus externe applicatis.
ε. A vitio syphilitico.
ζ. A senio.

G. CCCC. HELCOS *s.* ULCUS.

A Gr. Ἕλκος ulcus.

Solutio continui in cute, aliave parte molli corporis, cum jactura substantiæ et cum secretione puris, aut saniei seu ichoris, aliusve humoris vitiosi, recens vel inveterata, ex vulnere aut apostemate prægresso, vel ex metastasi, aut ex vitio corporis cachectico orta.

Vide etiam supra Cl. CACHEXIAE O. HELCOSES.

SYN. Ulceratio.
Exulceratio.

A. An ulcer.
G. Un ulcère.
Ge. Ein Geschwür.

I. IDIOPATHICUM, *s.* SIMPLEX.

A vitio topico ortum.

VARIAT pro causa remota:

α. A vulnere aut operatione chirurgica prægressa.
β. Ab apostemate prægresso.
γ. A sclerosi, vel skirrho prægressis.
δ. A viru syphilitico, herpetico, aliisve acribus externe applicatis.
ε. A peregrinis stimulo mechanico irritantibus:
1. Ab emplastris, vel unguentis.
2. A vermibus aut insectis variis ab extra allatis, aut in ulcere natis.
3. A festuca, turunda, vitro, globo plumbeo etc. infixis.
ζ. A verrucæ avulsione.

II. SYMPTOMATICUM, vel COMPLICATUM.

VARIAT pro causa remota:

α. A pure in partibus internis formato; et ex his infiltratione in tunicam cellulosam ad corporis superficiem delato.

β. Ab urina stagnante, aut in membranam cellulosam infiltrata.

γ. A metastasi febrili, exanthematica; præcipue a variola asthenica prægressa.

δ. A diadexi seu translatione puris, lactis, urinæ ad loca externa.

ε. Ab arthritide rheumatica, podagrica, aut erysipelate retrocedentibus.

ζ. A podagra aberrante.

η. A morbis cutis chronicis præpostere suppressis.

ϑ. A sudore topico suppresso.

ι. A blennorrhagia syphilitica suppressa.

κ. Ab ischomenia, pausimenia, dyslochia.

λ. Ab hæmorrhoidum suppressione.

μ. Ab asthenia corporis generali.

ν. Ab hydrope extremitatum inferiorum.

ξ. A cachexia aut cacochymia varia.

ο. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.

π. A vitiis gastricis: Bile, acido etc.

ρ. A vitiis ossium, vel periostei.

Sect. I. Ulcera statu aut indole externa peculiari notata.

Sp. 1. Ulcus *Inflammatum*.

Ulcus phlogosi violenta aut constanti, et

tumore ac dolore forti stipatum; sæpe siccum, aut parce suppurans.

Variat pro causa remota:

α. A medicamentis, aliisve substantiis acribus, irritantibus, externe applicatis.

β. A peregrinis mechanice irritantibus: Festucis, spiculis osseis, carie substrata etc.

γ. A fasciis aut linteis nimis stringentibus, asperis, crassis, immundis.

δ. A neglectu munditiei, deligationis.

ε. A nimis frequente deligatione.

ζ. Ab accessu aëris atmosphærici, aut gazis mephitici.

η. Ab ichore, insolito acri.

ϑ. A motu membri affecti frequentiore.

ι. A plethora.

κ. A magna irritabilitate aut sensibilitate ægri.

λ. A diæta nimis nutriente vel irritante; ab aromaticis aut spirituosis assumptis.

μ. A saburra gastrica.

ν. A vermibus in ulcere nidulantibus.

Sp. 2. Ulcus *Atonicum.*

Ulcus indolens, impurum, pallidum, siccum, aut humidum nimis suppurans; vel tumidum, impressionem digiti retinens, et ichorem tenuem copiosum fundens; plerum-

que symptomatibus atoniæ, aut astheniæ generalis stipatum. Vide *Atonia* et *Asthenia.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ab inedia.
β. A diæta prava, nimis tenui.
γ. A morbis prægressis.
δ. A morbo chronico præsente.
ε. A temperamento ægri phlegmatico.
ζ. Ab applicatione aut usu præpostero unguentorum, fotuum etc. relaxantium, emollientium, debilitantium.
η. A methodo medendi iniqua, medicamentis incongruis.

Sp. 3. Ulcus *Callosum.*

Ulcus plerumque inveteratum, margine duro, inæquali, supra partes vicinas prominente, et ulceris consolidationem impediente stipatum; indolens, siccum, aut ichorem tenuem fundens.

VARIAT pro causa remota:

α. A phlogosi.
β. A deligatione neglecta, aut perversa.
γ. Ab incuria munditiei.

Sp. 4. Ulcus *Sinuosum aut Fistulosum.* Vide *Syrinx* s. *Fistula.*

Sp. 5. Ulcus *Lardaceum.*

Ulcus in superficie sua crusta, seu materia impura viscosa, tenaci, lardo aut caseo corrupto simili, tectum; plerumque a vitio syphilitico oriundum.

Sp. 6. Ulcus *Crustosum.*

Ulcus eschara dura, crassa tectum, ac plerumque subtus ichore acri corrodente repletum.

Sp. 7. Ulcus *Verminosum.*

A vermibus, vel insectis, ulceri insidentibus et ova sua ibi deponentibus, vel cum spongia aut linteis immundis ulceri applicatis; vel in ipso ulcere natis, ejusque cicatricem impedientibus. Vide *Scolekiasis* et *Entomiasis.*

Sp. 8. Ulcus *Varicosum.*

Ulcus ex rupta varice oriundum, aut venis varicosis notatum.

Sp. 9. Ulcus *Putridum.*

Ulcus ichorem tenuem putridum fundens.

Variat *pro causa remota:*

α. Ab asthenia corporis generali.
β. A febribus asthenicis.

γ. A vitio scorbutico.

δ. A vermibus in ulcere natis.

ε. A vitiis diætæ.

ζ. A saburra gastrica.

η. Ab incuria munditiei.

ϑ. Ab aëre corrupto nosocomiorum, carcerum.

ι. A climate aut tempore anni calido.

κ. A deligationis neglectu.

λ. A methodo medendi perversa.

μ. A carie ossis vicini, latente vel patente.

Sp. 10. Ulcus *Gangrænosum* aut *Sphakelosum*.

Ulcus calidum ex phlogosi violenta prægressa natum; vel frigidum, insensile, a quacunque causa ortum, livescens aut nigricans, saniem fœtidam fundens; non raro in mortem terminans. Vide *Gangræna*, *Sphakelus* et *Anthrax*.

Syn. Cancer *Celsi*.

Variat pro causa remota:

α. A phlogosi violenta prægressa.

β. Ab acri summe corrosivo, caustico, venenato externe applicato.

γ. Ab igne, aut gelu violento.

δ. Ab asthenia corporis generali vel topica.

ε. A strangulatione, aut circulo sanguinis in parte affecta impedito.

ζ. A

ζ. A peste.

η. A scorbuto, aliove vitio cachectico.

ϑ. A senio.

Sp. 11. Ulcus *Fungosum.*

Ulcus hypersarcosi simplici, vel excrescentiis carnis mollis fungosis, leni frictione sanguinem fundentibus, stipatum.

VARIAT pro causa remota:

α. A statu corporis cachectico.

β. A methodo medendi præpostera.

γ. Ab applicatione relaxantium aut debilitantium externa.

δ. A deligatione seu fasciis non sufficienter stringentibus.

ε. A vitio periostei, aut carie ossis substrati.

Sp. 12. Ulcus *Phagedænicum.*

Gr. Φαγέδαινα a φαγεῖν exedere, arrodere: Ulcus exedens.

Ulcus tumidum, profundum, subjectam carnem depascens, et partes vicinas arrodens. Vitium primarium, vel alii ulceri in corpore existenti superveniens; plerumque summe dolorificum, et ichorem tenuem copiosum fundens.

Sp. 13. Ulcus *Therion.*

Gr. Θηρίωμα *s.* θηριον, Therioma Celsi : Ulcus malignum et ferinum.

Ulcus inæquale, sordidum, siccum vel humidum, tuncque plerumque ichorem acrem, viscidum, copiosum fundens; per se nascens vel ulceri ex alia causa facto superveniens; colore livido vel nigro, odore fœdo, nec tactum nec medicamentum sentiens, prurigine tantum movens; at circum circa dolore et inflammatione ac quandoque etiam febre stipatum; nonnunquam sanguinem fundens; in superficie æque, ac in profundum, ad ossa usque, serpens. (*).

Sp. 14. Ulcus *Cacoëthes.*

Gr. Κακόηθες a κακὸς malum *s.* malignum: Ulcus mali moris.

Ulcus malignum, rebelle, serpens; sæpe in praxi male cum carkinomate confusum, sed ab eo sollicite distinguendum; utpote sæpe medicamentis, aut scalpello, vel igne feliciter tol-

(*) In pluribus ægris, theriomate balani laborantibus omnia hoc symptomata a Celso notata observavi, eo solo excepto; quod aliquando ulcus ad tactum summe sensile esset.

lendum, dum carkinoma nulli remedio cedit. (*)

Sp. 15. Ulcus *Inveteratum*.

Syn. Ulcus Chironium *s. Telephium Grœc.*

Ulcus magnum, oras duras, callosas, tumentes habens; non serpens, saniem tenuem sed non multam fundens; odore malo, dolore modico, sed inflammatione nulla stipatum; rebelle, cicatricem recusans, aut cicatrice tenui formata facile recrudescens; maxime pedibus et cruribus infestum.

Sect. II. Ulcera, indole sua interna distincta, a vitio solidorum vel fluidorum corporis peculiari orta; vel cum vitio tali latente aut patente, consolidationem eorum impediente, complicata.

Sp. 1. Ulcus *Herpeticum*.

Ulcus in superficie cutis serpens, corrodens, vix aut ne vix profundius in carnes subjectas descendens; ex cachexia peculiari, *herpetica* dicta, oriundum. Vide *Herpes*.

(*) Ulcera fungosa, phagedænica, cacoëthes non raro ab auctoribus, et practicis levidensibus cum carkinomate confunduntur.

Sp. 2. Ulcus *Syphiliticum.*

Ulcus, maxime genitalibus, post coitum impurum, infestum; sed sæpe etiam in faucibus, naribus, parte capillata capitis, papillis mammarum, manibus, aliisve corporis partibus externis natum, a viru syphilitico recens applicato, vel ab eodem vitio in corpore latente ortum; plerumque crusta lardacea, alba, vel muco aut glutine crasso tectum, margine circumcirca intense rubro notatum, male suppurans, et in omnem directionem serpens: Recens vel inveteratum; originarium vel secundarium; simplex, vel cum vitio periostei, aut ossium carie, vel cum scrofula, scorbuto, herpete etc. complicatum.

Sp. 3. Ulcus *Scorbuticum.*

Ulcus ex levi vi externa sanguinem fundens, margine laxo et fungoso, colore purpureo, livido, odore fœdo; asthenia corporis generali, insolita genuum debilitate, aliisve scorbuti symptomatibus stipatum (*). Vide *Scorbutus.*

Sp. 4. Ulcus *Scrofulosum.*

Ulcus præprimis in glandulis variis lympha-

(*) Ulcus oris serpens, aut scorbuticum, sæpe cum carie complicatum, vulgo *Noma* appellatur.

ticis, aut salivalibus, maxime colli; vel etiam in articulationibus cum carie aut corruptione ossium complicatum; in habitu corporis scrofuloso ortum; ichorem viscidum, crassum fundens, vix suppurans, et ægre cicatricem formans. Vide *Choiras* s. *Scrofula*.

Sp. 5. Ulcus *Cariosum*.

Ulcus a phlogosi, aut læsione periostei; vel a carie latente, aut patente ortum; vel cum carie aut osteophthoria, ejus consolidationem impediente, complicatum; sæpe fungosum, ichorem tenuem, nigricantem, acrem, odoris fœtidi fundens; aliquando nonnisi specillo introducto detegendum. Vide *Caries* et *Osteophthoria*.

Sp. 6. Ulcus *ab Osteomalakia*.

Syn. Ulcus rhachiticum. *Auct.*

Ulcus maxime circa articulationes digitorum manuum vel pedum, aut ad genu, a corruptione ossis peculiari, ortum. Vide *Osteomalakia*.

Sp. 7. Ulcus *ab Elephantiasi*.

Ulcus, aut potius ulcera in variis corporis partibus, præcipue in pedibus et facie, tumida, tuberculosa, fœda; a cachexia peculiari, Elephantiasis dicta, orta. Vide *Elephantiasis*.

Sp. 8. Ulcus *Carkinomatosum.*

Syn. Ulcus cancrosum. *Auct.*

Ulcus ex skirrho glandulæ prægresso, maxime mammæ, uteri, nasi, labri, aut linguæ ortum; dolens, lancinans, lividum, labiis duris, retorridis stipatum; ichorem acrem, partes vicinas corrodentem, et odore peculiari summe nauseabundo, quandoque fœtido, aliquando evidenter acido præditum, fundens (*); sæpe excrescentiis in basi sua fungosis, duris, ac venis circumcirca varicosis notatum.

Vide *Carkinoma.*

Hæc Ulcera *variant sede :*

I. Ulcera partium externarum.

1. *Ulcera Membranæ mucosæ.*

Ulcera superficialia in membrana mucosa cutis; vel in canalibus variis hac membrana

(*) Ichor in quibusdam casibus examinatus syrupum violarum viridi colore tingit, et acido sulfurico addito gaz hydrogenium sulfuratum extricat. Odor fœtidus summe nauseosus carkinomatis, acido muriatico oxygenato perfecte destruitur; hinc forte conveniret, ulcera carkinomatosa hoc liquore sæpius abluere. Ulcus carkinomatosum, excrescentiis fungosis stipatum, Celso *Thymion* audit.

tectis, ex phlogosi prægressa orta; sæpe secretione et excretione ichoris acris, viscosi, tenuis, vel puriformis stipata. Vide supra *Epiphlogismata.*

Variant pro causa remota:

α. Ab acri externe applicato.
β. Ab igne, aut gelu vel frigore intenso.
γ. Ab acri quocunque in parte secreto; vel ex massa humorum ad superficiem cutis deposito:

1. Ab erysipelate aut erythemate.
2. A zona, aut epinyctide.
3. Ab herpete.
4. Ab aphthis.
5. A viru syphilitico.
6. Ab hydrargyrosi.
7. A vitio scorbutico.
8. A vitio podagrico.
9. Ab ischomenia, pausimenia.

2. *Ulcera Corii*, seu *Membranæ cellulosæ Cutis.*

Ulcera in membrana adiposa cutis, seu corio proprie sic dicto, vel etiam in membranis cavitates corporis internas investientibus, vel in visceribus aut glandulis variis, ex phlogosi et apostemate prægressis orta; et plerumque ex-

cretione plus minusve copiosa puris genuini, vel ichoris stipata. Vide supra *Phlogismata*.

3. *Ulcera Membranæ fibrosæ.*

Ulcera membranæ fibrosæ in quacunque corporis parte, vel ligamentorum, capsularum articularium, bursarum synovialium, tendinum, aut periostei; ex phlogosi prægressa orta, et excretione ichoris acris corrosivi stipata. Vide supra *Inophlogismata*.

4. *Ulcera Capitis.*

Ulcera in parte capillata capitis orta.

Variant:

α. A vitio topico. Vide *Achor*, *Tinea*, et *Pityriasis*

β. A vitio syphilitico.

γ. A vitio scrofuloso.

δ. A periosteo læso, abrato, soluto.

ε. A carie ossium interna vel externa.

ζ. Ab ulcere cerebri.

η. A vitio diploës, aut carie ossis.

5. *Ulcera Menti Barbati.*

Ulcera in parte menti barbata orta.

Vide supra *Pityriasis Menti*.

Variant:

α. A vitio herpetico.
β. A viru syphilitico.
γ. A vitio podagrico.

6. *Ulcera Labri Oris, vel Faciei.*

Variant:

α. A vitio scorbutico.
β. ——— syphilitico.
γ. ——— elephantiaco.
δ. ——— carkinomatoso.

7. *Ulcera Palpebrarum.*

Variant:

α. Ab acri irritante, chemico vel mechanico; externe applicato.
β. A phlogosi prægressa.
γ. A vitio scrofuloso.
δ. ——— syphilitico.
ε. ——— herpetico.
ζ. ——— elephantiaco.
η. ——— scorbutico.

8. *Ulcera Corneæ.*

Variant:

α. A peregrino irritante illapso.
β. A phlogosi prægressa.
γ. A variola, aut rubeola prægressa.

9. *Ulcera Carunculæ lacrymalis*, vel *Bulbi Oculi.*

Vide *Pterygium*, et *Carkinoma.*

10. *Ulcera Aurium.*

Ulcera in meatu auditorio, vel retro aures, cum excretione puris vel ichoris fœtidi juncta. Vide *Otorrhœa.*

VARIANT pro causa remota:

α. Ab acri applicato.
β. A transpiratione suppressa.
γ. Ab acri, in parte affecta secreto, vel metastatice ad eam deposito.
δ. A carie ossium.
ε. A læsione aut vitiis variis cerebri, aliarumve partium vicinarum.

11. *Ulcera Narium.*

Ulcus narium simplex; vel cum carie ossis et excretione humoris purulenti, fœtidi, quandoque nigricantis ex naso complicatum, vulgo sub nomine *Ozœnœ* notum (a Gr. Ὄζαινα, ab ὄζω oleo). (*)

(*) *Ozœna equorum* est morbus contagiosus ab equo ad equum sese propagans, per fœnum, aut etiam per loca, humore hoc acri et virulento e naso destillante inquinata.

VARIANT pro causa remota:

α. Ab acri externe applicato.
β. A vitio syphilitico.
γ. A polypo narium.
δ. A vitio periostei.
ε. A steatomate sinus maxillaris.
ζ. A carie ejusdem sinus, vel ossis turbinati, ethmoidei, sphænoidei, nasalis, vomeris, palati.

12. *Ulcera Gingivarum.*

VARIANT:

α. A dente carioso.
β. A scorbuto.
γ. Ab acido in ventriculo.
δ. A podagra aberrante.
ε. Ab hæmorrhoidibus.
ζ. Ab ischomenia, dysmenia, pausimenia.
η. A vitio syphilitico.
ϑ. Ab hydrargyrosi.
ι. A vitio alveolarum, vel ossium maxillarium, aut palatinorum.

13. *Ulcera Oris* vel *Linguæ.*

VARIANT:

α. A dentis angulo mechanice irritante.
β. Ab acri corrosivo applicato.

γ. A scorbuto.
δ. Ab hydrargyrosi.
ε. A syphilitide.
ζ. A carkinomate.
η. A podagra aberrante.
ϑ. Ab acido in ventriculo. Vide etiam *Aphtha*.

14. *Ulcera Faucium*.

Ulcus veli penduli, tonsillarum, uvulæ, vel pharyngis.

VARIANT:

α. A phlogosi prægressa.
β. A veneno contagioso applicato; unde ulcera gangrænosa epidemica. Vide *Scarlatina*.
γ. A viru syphilitico.
δ. Ab hydrargyrosi.
ε. Ab acri applicato.

15. *Ulcera Colli*.

Glandularum salivalium, vel lymphaticarum colli tumores externi exulcerati; potissimum ex vitio scrofuloso.

16. *Ulcera Mammarum* aut *Papillarum*.

Ulcera membranæ mucosæ vel cellulosæ cutis, aut glandularum mammæ, vel papillæ mammæ. Vide *Mastitis*; *Thelitis*.

Variant:

α. A thlasmate, vulnere.
β. A phlogosi, et apostemate prægressis.
γ. A frigore, vel adustione.
δ. A saliva acri infantis.
ε. A lacte coagulato.
ζ. A sclerosi glandularum prægressa.
η. A vitio syphilitico.
θ. ——— scrofuloso.
ι. ——— herpetico.
κ. ——— carkinomatoso.
λ. A metastasi varia.
μ. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.

17. *Ulcera Umbilici.*

Variant:

α. A dilaceratione violenta funiculi umbilicalis.
β. A vulnere.
γ. Ab immunditie.
δ. Ab apostemate neglecto.
ε. A vitio syphilitico.
ζ. Ab hernia incarcerata.

18. *Ulcera Recti.*

Variant:

α. Syphiliticum.

β. Fungosum, cacoëthes, phagedænicum.
γ. Carkinomatosum.
δ. A dysenteria prægressa.
ε. A metastasi.

19. *Ulcera Ani.*

VARIANT:

α. Ab acido. Vide *Aphtha.*
β. A vitio syphilitico.
γ. ——— herpetico.
δ. Fungosum, phagedænicum, aut cacoëthes.
ε. Carkinomatosum.
ζ. Fistulosum.
η. Metastaticum.
ϑ. Ab hæmorrhoidibus ruptis.
ι. A pure in pelvi effuso, ex apostemate musculi psoæ, vel intestinorum, hepatis, ovarii etc. rupto, et ad anum delato.
κ. A rhagade, sycosi etc.
λ. A vi externe illata.

20. *Ulcera Glandularum.*

VARIANT:

α. A phlogosi et apostemate prægressis.
β. A vulnere, thlasmate etc.
γ. Carkinomatosa.
δ. Syphilitica.
ε. Herpetica.
ζ. Scrofulosa.
η. A metastasi varia.

21. *Ulcera Articulationum.*

Variant:

α. A vulnere membranæ fibrosæ.
β. A rhexi ejusdem.
γ. Ab exarthrosi, aut parectasi.
δ. A thlasmate.
ε. A metastasi febrili, aut exanthematica.
ζ. A diadexi erysipelatosa, rheumatica, podagrica.
η. A vitio scrofuloso.
ϑ. A vitio syphilitico.
ι. Ab osteomalakia.
κ. A carie, aut osteophthoria.
λ. Ab elephantiasi.

22. *Ulcera Ossium.*

Vide *Arthrophlogosis*, *Periostitis*, *Teredon*, et *Osteophthoria.*

23. *Ulcera Crurum.*

Variant:

α. Inveteratum.
β. Scorbuticum.
γ. Syphiliticum.
δ. A carie substrata.
ε. Psoricum.
ζ. Herpeticum.
η. Varicosum.

ϑ. Ab œdemate aut tumore hydropico rupto.

ι. A vermibus nidulantibus. Vide *Scolekiasis*.

κ. A causa mechanica, vasa cruralia superius comprimente : Ab utero gravido, ligatura, a corporis situ erecto ; unde ulcera lotricum, gravidarum etc.

λ. A gelu vel adustione.

24. *Ulcera Pedum, vel Manuum.*

VARIANT:

α. Podagricum.

β. Verminosum. Vide *Scolekiasis* (*).

γ. Gangrænosum vel sphakelosum. Vide *Sphakelus*.

δ. A gelu, vel igne.

ε Ab ungue incurvo.

II. Ulcera Partium genitalium.

25. *Ulcera Colis.*

Ulcus in membrana mucosa, aut cellulosa, vel in glandula præputii, balani, vel colis ipsius ortum.

VARIANT:

α. Syphiliticum.

β. Phagedænicum.

(*) Huc etiam pertinet *Gemursa* Plinii, seu *Gumretha* Talmudistarum.

γ. Cacoëthes.

γ. Cacoëthes.

δ. Gangrænosum.

ε. Psoricum.

ζ. Herpeticum.

η. A stenosi urethræ.

θ. A varice in collo vesicæ.

ι. A semine diutius accumulato; aut ab excretione ejusdem solita impedita.

κ. A podagra aberrante.

λ. Ab hæmorrhoïdibus suppressis.

μ. Ab urina urethram retro stenosin irritante.

26. *Ulcera Urethræ.*

VARIANT pro causa remota :

α. A viru syphilitico.

β. A vitio herpetico.

γ. A stenosi, ex urina acri retro stenosin urethræ morante.

δ. A varice in urethra, vel in collo vesicæ rupta, exulcerata.

ε. Ab hæmorrhoïdibus suppressis, turgentibus.

ζ. A podagra aberrante.

η. Ab apostemate prostatæ.

θ. A calculo impacto.

27. *Ulcera Uteri.*

VARIANT pro causa remota :

α. Traumaticum.

β. Syphiliticum.

γ. Herpeticum.
δ. Phagedænicum; cacoëthes.
ε. Carkinomatosum.
ζ. A metastasi aut diadexi varia.
η. A polypo exulcerato.

28. *Ulcera Vaginæ* aut *Labiorum Vulvæ*.

Variant:

α. Syphyliticum.
β. Herpeticum.
γ. Varicosum.
δ. A metastasi febrili, parotidum etc.
ε. Ab ischomenia, pausimenia.

III. Ulcera Viscerum aut Organorum internorum.

29. *Ulcera Pulmonum, Cordis, Pericardii, Pleuræ, Mediastini, Diaphragmatis.*

Variant pro causa remota:

α. A vulnere, aliave vi externe illata.
β. A phlogosi et apostemate prægressis.
γ. A vomica aut empyemate.
δ. A catarrho neglecto.
ε. A rubeola, aut variola prægressa.
ζ. A vitio scrofuloso.
η. — —— syphilitico.
ϑ. — —— herpetico.

ι. A metastasi febrili, exanthematica etc.

κ. A diadexi rheumatica, podagrica, erysipelatosa, lactea etc. Vide *Pneumonitis; Pleuritis; Phthisis.*

30. *Ulcera Ventriculi, Pylori.*

VARIANT:

α. A vulnere, aliave vi externe illata.

β. A venenis aut acribus assumptis.

γ. A peregrinis, mechanice irritantibus, deglutitis.

31. *Ulcera Intestinorum.*

VARIANT:

α. A vulnere; aut peregrinis irrantibus.

β. A veneno aut acri assumpto.

γ. A metastasi varia.

δ. A phlogosi prægressa.

ε. A dysenteria,

ζ. Ab ischocoilia.

32. *Ulcera Hepatis, Vesiculæ felleæ, Splenis, Pancreatis, Peritonæi, Mesenterii, Omenti.*

33. *Ulcera Renum.*

VARIANT:

α. A phlogosi et apostemate prægressis.

β. A calculo.
γ. A metastasi aut a podagra aberrante.

34. *Ulcera Vesicæ urinariæ.*

Variant pro causa remota:

α. A vulnere, aliave vi externe illata.
β. A phlogosi et apostemate prægressis.
γ. A diadexi rheumatica, podagrica, psorica, herpetica.
δ. A calculo.
ε. A vitio syphilitico.
ξ. Ab hæmorrhoïdibus aut menstruis suppressis.

G. CCCCI. SYRINX s. FISTULA.

Gr. Σύριγξ, Fistula.

Ulcus tubulatum, orificio suo externo angusto, sæpe calloso, humorem purulentum, puriformem aut ischorosum fundens; unum aut plures meatus seu sinus formans, longos vel breves, rectos aut curvos; lateraliter in superficie cutis, vel in profundum penetrantes.

Syn. Sinus seu fistula. } *Auct.*
Ulcus sinuosum s. fistulosum. }

A. Fistula.
G. Fistule.
Ge. Fistel; Hohlgeschwür; Rohrgeschwür.

VARIAT, ut Ulcus in genere. Vide *Ulcus*.

Sp. 1. Fistula *Purulenta*.

Fistula meatum unum aut plures in tunica cellulosa formans, laterales aut profundos, longos vel breves, rectos vel curvos, inter cutem et musculos sitos, vel in ipsa musculorum interstitia descendens; basi sua interna sæpe ad musculos, tendines, ossa, aut in viscus quoddam corporis cavum penetrans, plus minusve dolorifica; per se, vel leni pressione externa pus fundens; orificio uno vel duplici prædita, sed orificio suo externe patente angustato, duro, sæpe calloso, exitum puris liberum impediente: Progressu morbi sæpe asthenia corporis generalis, et phthisis.

VARIAT *pro causa remota*:

α. Ab apostemate neglecto.
β. Ab effluxu puris ex apostemate impedito.
γ. Ab applicatione emplastrorum, unguentorum, lotionum, injectionum, inepta.
δ. A peregrinis, fasciis, turundis etc. externe applicatis, puris exitum liberum impedientibus.

ε. A situ membri affecti incongruo.

ζ. A deligatione rariore.

η. A fasciis nimis arcte applicatis; unde pus versus interiora viam quærere cogitur.

ϑ. A corpore peregrino latente, vel patente infixo.

ι. A vulneribus, punctura aut sclopetis inflictis, angusto orificio præditis.

κ. A carie patente aut latente.

λ. A metastasi.

μ. Ab apostemate interno rupto; et pure ad partes declives penetrante, ac in superficie corporis tandem exitum inveniente.

Variat sede:

1. In ano vel intestino recto.
2. In perinæo.
3. In scroto.
4. In epididymide.
5. In vagina uteri.
6. In inguine aut abdomine.
7. In thorace.
8. In sacco lacrymali.

Sp. 2. Fistula *Lacrymalis.*

Humoris puriformis, quandoque etiam vere purulenti, aut lacrymarum limpidarum ex punctis lacrymalibus in cantho oculi interno,

aut ex ulcere sacci lacrymalis externe aperto, effluxus abnormis et constans; ab obstructione aut concretione punctorum aut ductuum lacrymalium, vel sacci lacrymalis, aut ductus nasalis, transitum lacrymarum per has vias in nasum impediente, ortus; ideoque semper siccitate naris lateris affecti, stipatus; simulque si sedes morbi in ductu nasali hæret, cum tumore parvulo sacci lacrymalis junctus, quo presso humor in eo contentus per puncta lacrymalia exire cogitur.

A. *Simplex.*

Morbus permanens vel transitorius, aut certis intervallis recurrens.

B. *Complicata.*

Cum phlogosi, dolore, erosione, ulcere sacci nasalis; quandoque etiam cum excrescentia fungosa, aut carie ossium vicinorum.

VARIAT sede :

1. In punctis lacrymalibus.
2. In ductibus lacrymalibus.
3. In sacco lacrymali, cum simplici tumore sacci lacrymalis, ex repletione humoris lacrymalis; vel cum phlogosi et apostemate ejusdem (gr. αἰγίλωψ, ægylops. *Auct.*)
4. In ductu nasali.

Variat pro causa remota:

α. A vulnere aut contusione.

β. Ab ulcere vicino in naso vel facie.

γ. A carie ossium.

δ. A phlogosi aut incrassatione membranæ mucosæ, aut glandularum viarum lacrymalium.

ε. A phlogosi sacci lacrymalis violenta.

ζ. Ab obstructione ductus nasalis, ex vitiis in ipso ductu hærentibus; vel ex phlogosi, aut tumore, polypo, aliisve vitiis narium.

η. A vitio syphilitico, scrofuloso, psorico, herpetico, podagrico, etc.

θ. A transpiratione capitis suppressa.

ι. Ab anerethesia seu torpore sacci lacrymalis sese debite contrahendi, et humorem lacrymalem propellendi.

κ. A metastasi variolosa, rubeolosa.

Sp. 3. Fistula *Salivalis.*

Fistula in gena externa, vel sub mento, per quam saliva, ex ductu glandulæ cujusvis salivalis excretorio eroso, constanter effluit.

Variat pro causa remota:

α. A vulnere aut ulcere ductus excretorii glandulæ parotidis, sublingualis, aut submaxillaris.

β. A vitio quocunque sinus maxillaris.
γ. A carie dentis aut ossium vicinorum.

Sp. 4. Fistula *Biliosa*.

Fistula in cute hypochondrii dextri, per quam bilis, ex apostemate vesiculæ felleæ, aut ductus kystici vel choledochi prægresso, constanter effluit.

Sp. 5. Fistula *Urinosa*.

Fistula excretione urinæ constanti stipata.

Variat sede:

1. In perinæo.
2. In recto.
3. In scroto.
4. In vagina uteri.

Variat pro causa remota:

α. A vulnere, aut ulcere urethram erodente.
β. A rhexi urethræ, aut vesicæ.
γ. A stenosi urethræ.
δ. Ab atresia urethræ.

Sp. 6. Fistula *Fœcalis*.

Fistula, per quam fæces constanter excernuntur.

Syn. anus artificialis.

Variat sede:

1. In perinæo.
2. In vesica urinaria.
3. In vagina uteri.
4. In abdomine, vel regione lumbari.

Variat pro causa remota:

α. Ab atresia ani.
β. Ab anxi, seu volvulo intestini.
γ. Ab hernia incarcerata.
δ. A rhexi aut erosione intestini.
ε. A vulnere aut ulcere ejusdem.
ζ. Ab ischocoilia.

G. CCCCII. THLASMA s. CONTUSIO.
A Gr. Θλάσμα contusio.

Compressio subita et violenta partis cujusvis corporis, a vi externe illata: ictu, lapsu, illisione; aut ex corporibus duris, obtusis, vi majore minoreve in corpus adactis, vel e sclopetis aliisve instrumentis magna vi projectis; plerumque cum ecchymosi seu extravasatione sanguinis in telam cellulosam juncta, ac tumore, dolore, et colore rubro, livido aut flavescente stipata.

SYN. Contusura. Contusio. Concussio. Conquassatio. Sugillatio. Ecchymoma. } *Auct.*

A. Contusion; Bruise.
G. Une contusion; meurtrissure.
Ge. Eine Quetschung.

A. *Universale.*

Totius corporis contusio aut conquassatio, a lapsu ex alto, a ruina domus vel mineræ, a terræ motu, a ponderibus magnis mollibus ex alto corpus obruentibus, orta.

B. *Partiale.*

I. Thlasma *Simplex.*

Compressio subita et violenta corporis a vi externe illata cum vel sine ecchymosi; astheniam vel rhexin vasorum subcutaneorum minorum inducens.

II. Thlasma *Complicatum.*

1. Cum vulnere cutis (*Vulnus contusum*).
2. Cum læsione partium cuti substratarum, aut vasis cujusdam majoris, ac extravasa-

tione sanguinis in telam cellulosam copiosa; tumore, phlogosi, gangræna, aut etiam sphakelo stipata.

3. Cum luxatione. Vide *Exarthrosis; Parectasis.*

4. Cum fissura, fractura; vel contrafissura, contrafractura; aut comminutione ossium.

Sp. 1. Thlasma *Cutis.*

Post vim externe illatam dolor, color partis ruber vel lividus; subsequente tumore, phlogosi.

Sp. 2. Thlasma *Musculorum.*

Post vim externe illatam dolor, tumor, et immobilitas partis affectæ.

Sp. 3. Thlasma *Nervorum.*

Post vim externe illatam dolor, inflammatio; convulsio, spasmus; vel etiam paralysis, aut gangræna.

Sp. 4. Thlasma *Vasorum majorum sanguineorum.*

Post vim externe illatam tumor ab ecchymosi, sæpe longe lateque extensus; rhexis arteriarum vel venarum; arterevrysma; phlebevrysma.

Sp. 5. Thlasma *Vasorum lymphaticorum.*

Tumor membri sæpe ingens cum vel sine signis sanguinis extravasati; oëdema; hydrops.

Sp. 6. Thlasma *Glandularum.*

Phlogosis; apostema; sclerosis; gangræna; vel etiam skirrhus; carkinoma.

Sp. 7. Thlasma *Membranæ fibrosæ.*

Tendinum, ligamentorum, bursarum synovialium streblosis, tumor, dolor, phlogosis, ulcus; immobilitas; arthroncus; parectasis; exarthrosis.

Sp. 8. Thlasma *Periostei.*

Dolor; phlogosis; apostema; mykosis; osteoncus; caries; osteophthoria.

Sp. 9. Thlasma *Ossium.*

Emphysema; osteoncus; osteosteatoma; fractura, fissura, vel contrafractura, contrafissura; comminutio; caries; osteophthoria.

Sp. 10. Thlasma *Capitis.*

Tumor; ecchymosis; vel extravasatio sanguinis, seri, puris in cavo cranii; enkephalitis; hydrokephalus; emphysema; sanguis per nares vel etiam per aures profluens; hyperemesia, et ex

concussione cerebri cataphora, delirium, paralysis, sensuum internorum et externorum læsio varia; separatio violenta periostei externi vel duræ matris ab ossibus cranii; fissura, fractura, vel contrafissura, contrafractura; intropressio ossium cranii.

Sp. 11. Thlasma *Aurium.*

Baryecoia; pseudecoia; hæmorrhagia; phlogosis; apostema; otalgia; otorrhœa.

Sp. 12. Thlasma *Oculorum.*

Tumor, ecchymosis coloris lividi, aut rhexis oculi; dilaceratio palpebrarum; phlogosis; suppuratio; amblyopia; typhlosis.

Sp. 13. Thlasma *Nasi.*

Hæmorrhagia narium violenta; phlogosis membranæ mucosæ vel periostei; obstructio narium; polypus; fractura; caries; ozæna.

Sp. 14. Thlasma *Oris.*

Tumor; fractura ossium; dentium vacillatio, aut evulsio.

Sp. 15. Thlasma *Colli.*

Laryngis vel tracheæ ruptura; fractura; emphysema; dyspnœa; aphonia; suffocatio.

Sp. 16. Thlasma *Cercivis.*

Quandoque mors subita; vel paralysis, et atrophia testiculorum in viris.

N. B. Astysiam, ex ictu in cervicem et occiput illato, sæpe sequi, plures observationes bene stabilitæ docent.

Sp. 17. Thlasma *Thoracis.*

Post vim externam illatam pneumonorrhagia, vel hæmoptysis; phlogosis pleuræ vel pulmonum; pleurodynia; dyspnœa; extravasatio sanguinis in cavum pectoris, vel in duplicaturam mediastini; aut apostema in iisdem partibus; empyema; hydrothrorax; aëris penetratio inter pulmones et pleuram; emphysema cum vel sine fractura costarum, aut sterni.

Sp. 18. Thlasma *Spinæ dorsi et Lumborum.*

Paralysis partium inferiorum; hæmaturia; inflammatio; suppuratio; gangræna; scoracrasia; uracrasia.

Sp. 19. Thlasma *Ventriculi.*

Syncope; dyspepsia; singultus; vomitus assumptorum; hyperemesia biliosa; frigus extremitatum; quandoque mors subita; vel skirrhus, et tandem carkinoma.

Sp. 20. Thlasma *Hepatis*.

Syncope; singultus; hepatitis; apostema; sclerosis; effusio sanguinis, puris, bilis in cavum abdominis; vel rhexis et mors subita.

Sp. 21. Thlasma *Renum*.

Difficultas movendi, et dolor in parte affecta; dolor ad inguina, in viris ad testiculos descendens; dysuria; hæmaturia.

Sp. 22. Thlasma *Abdominis*.

Syncope; tormina ventris; enteralgia varia; hæmatemesis; sanguinis per alvum secessus; herniæ aut prolapsus varii.

Sp. 23. Thlasma *Uteri gravidi*.

Ectrosis; hæmorrhagia; proptosis; aut etiam rhexis uteri; dolor inguinum, coxarum, femorum; hyperemesia biliosa; paracope; syncope.

Sp. 24. Thlasma *Testiculorum*.

Syncope; phlogosis; apostema; astysia; ecchymosis; hernia; orchioncus, aut oscheoncus varius.

G. CCCCIII.

G. CCCCIII. RHEXIS.

A Gr. Ῥῆξις s. Ῥῆγμα Ruptio *s.* Ruptura.

Ruptura aut dilaceratio vasorum, viscerum, tendinum, aut membranarum abnormis, cum aut sine vulnere externo.

Sp. 1. Rhexis *Membranæ fibrosæ.*

Membranæ fibrosæ, ligamenti capsularis, vel aponeuvrosis disruptio completa, vel incompleta.

Sp. 2. Rhexis *Tendinum.*

Varietas 1. *Rhexis Tendinis Achillis.*

Disruptio aut discissio tendinis Achillis dicti, sæpe tumore et dolore violento stipata, completa vel incompleta. In posteriori casu aponeuvrosis musculi solei, sæpius musculi Gemelli (seu Gastrocnemii, aut etiam bicipitis dicti) vel solius musculi plantaris rupta est: Accedente plerumque tumore et inflammatione musculorum suræ, et dolore, præcipue ad tactum, portionis superioris aponeuvrosis ruptæ; dum pars ejusdem inferior etiam ad tactum rudiorem insensilis manet; interstitium inter portiones aponeuvrosis ruptas etiam sub fortissima flexione non perfecte disparet, et æger

pedem, dummodo flexus sit, quodammodo movere valet. Ruptura tendinis musculi plantaris æque inflammatione et dolore violento stipatur; sed æger, etsi cum magna difficultate, incedere potest. In ruptura completa tendinis Achillis (*), plerumque a saltu aut contractione quacumque violenta musculorum extensorum pedis, vel discissione instrumento causata, æger pede terræ inniti nequit, nec ingredi sine dolore potest, sed pedem magis quam in statu sano flectere valet. Digitis applicatis inter portiones tendinis ruptas spatium vacuum reperitur, quod extensione fortiore pedis disparet; ægro quieto dolor nullus vel paucus adest, et musculi gastrocnemii flexione cruris vix intumescunt.

VARIETAS 2. *Rhexis musculi plantaris.*

Dolore violento et subito in sura, sensatione quasi ictus, ingressu difficili, et tumore cru-

---

(*) Musculi gastrocnemii cum soleo tendinem formant, qui sese sub nomine tendinis Achillis calcaneo affigit, in actione calcaneum sursum trahens et pedem extremum extendens. Fibræ quædam tendinosæ musculi gastrocnemii quandoque etiam rumpuntur absque ruptura tendinis Achillis: hæc ruptura partialis summe dolorifica est; quia portio carnosa ejusdem musculi sese retrahit, eodem tempore quo portio tendinosa actione solei deorsum trahitur.

ris stipata : Æger crus flexum, et per plures septimanas lectum tenere cogitur.

Varietas 3. *Rhexis Tendinis Patellæ.*

Hæc ruptura tendinis, seu ligamenti patellam cum tibia jungentis, in medio vel in extremitate, ubi sese tuberositati tibiæ affigit, præcipue ex lapsu in genu sub descensu accelerato, aut ex ictu cæsim inflicto oritur : Æger nec se levare, nec crus extendere potest; patella sursum trahitur, et sub cute cavum sentitur in loco rupturæ. Plerumque ecchymosi, tumore, et thlasmate genu stipata; quandoque cum fractura patellæ complicata.

Varietas 4. *Rhexis tendinis extensorum cruris.*

Completa vel incompleta ; plerumque ex lapsu in genu orta : Æger nec se levare, nec corpus, pedibus insistens, erectum tenere potest; supra patellam cavum, sæpe 2 aut 3 pollicum distantia, sentitur, augens sub flexura cruris, diminuens sub ejusdem extensione.

Sp. 3. Rhexis *Vasis sanguinei.*

Arteriæ aut venæ cujusvis, vel utriusque simul, in interioribus partibus, vel in super-

ficie corporis ruptura, extravasatione sanguinis in cava corporis sæpe lethali, aut ecchymosi externa stipata; plerumque a vi externa, cursu aliove exercitio corporis violento, aut a plethora vel impedimento circuli sanguinis mechanico, orta (*).

VARIETAS 1. *Rhexis Vasorum cranii.*

Vasis arteriosi aut venosi in cavo cranii ruptura, et ex insequente extravasatione sanguinis in eodem, sæpe mox post vim cerebro illatam, sæpe etiam tardius, dolor, stupor, cataphora, vertigo, sensuum abolitio, amnesia, aphonia, respiratio stertorosa, immobilitas pupillæ, uracrasia et scoracrasia; quandoque etiam convulsiones, rubor oculorum, vomitus porraceus, et mors.

VARIETAS 2. *Rhexis Vasorum Thoracis.*

Arteriæ vel venæ in pulmonibus, aut circa cor ruptura; plerumque hæmoptysi aut pneumonorrhagia, vel etiam dyspnœa et suffocatione lethalis.

(*) De Tumore ex arteria in superficie corporis vulnerata, vide supra TUMORES G. *Ecchymosis.*—Tumor ex læsione arteriæ, simul ac venæ, plerumque ex læsione utriusque externa ortus, vulgo *Anevrysma varicosum*, *vel mixtum* appellatur.

VARIETAS 3. *Rhexis Vasorum Abdominis.*

Arteriæ vel venæ in quacumque parte cavi abdominis, aut in ventriculo vel canali intestinali ruptura; sæpe cum hæmatemesi aut alvi fluxu cruento juncta.

VARIETAS 4. *Rhexis Vasorum renalium, vel Vesicæ.*

Arteriæ vel venæ in renibus, vel in vesica urinaria ruptura, hæmaturia renali vel vesicali stipata; plerumque a vi externa, exercitio violento, aut a medicamentis acribus, vel venenis diureticis; aut ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis, vel etiam a calculo irritante orta.

VARIETAS 5. *Rhexis Vasorum Scroti.*

Venæ, rarius arteriæ, spermaticæ testiculorum aut scroti ruptura cum extravasatione sanguinis in tunica vaginali, aut etiam sub ipsa tunica albuginea testium, vel in funiculo spermatico, aut in scroto et partibus vicinis juncta; plerumque a vi externa illata, pressione vel lapsu, aut etiam ex nisu violento in coitu, vel ex læsione in operatione hydropis testiculi orta.

Sp. 4. Rhexis *Vasis lymphatici.*

Vasis lactei aut ductus thoracici, in abdomine vel thorace; aut vasis lymphatici in quacunque parte interna, vel in superficie corporis externa ruptura; iisdem fere symptomatibus ac rhexis vasis sanguinei stipata.

Sp. 5. Rhexis *Oculi.*

Disruptio bulbi oculi, ex hydrope oculi, vel ex alio humore oculum nimium distendente orta.

Sp. 6. Rhexis *Cordis.*

Cameræ seu ventriculi cordis dextri vel sinistri ruptura; plerumque orta ab anevrysmate vel ulcere cordis prægresso; aut ab accumulatione sanguinis ex plethora, animi pathematibus violentis, balneo frigido, aut impedimento quocunque circulationis in aorta; mox insequente cardiopalmo, alysmo, pulsu irregulari, et tandem suffocatione, vel apnoeasphyxia, aut morte subita.

Sp. 7. Rhexis *Foraminis ovalis cordis.*

Dyspnœa et alysmus constans; leipothymiæ frequentes; motus musculorum voluntariorum impotentia; livor labiorum oris, unguium, sæpe et pedum manuumque.

Sp. 8. Rhexis *Œsophagi.*

Ruptura œsophagi, quandoque ab hyperemesia aut deglutione violenta oriunda.

Sp. 9. Rhexis *Ventriculi.*

Ruptura ventriculi, ab ingluvie, aut ab ulcere, vel ex erosione vermium prægressis orta.

Sp. 10. Rhexis *Intestini.*

Ruptura coli, rariùs alius intestini, ex ulcere, aut ex erosione vermium; vel ab extensione violenta ex gaze elatico incluso orta.

Sp. 11. Rhexis *Vesiculæ felleæ.*

Sp. 12. Rhexis *Vesicæ urinariæ.*

Vesicæ urinariæ ruptura, ab urinæ retentione et distentione violenta ex quacunque causa oriunda; plerumque effusione urinæ cito lethalis.

Sp. 13. Rhexis *Urethræ.*

Plerumque ex stenosi urethræ, ejusque retro stenosin erosione oriunda; et ex effusa urina in cellulosam scroti aliarumve partium vicinarum sæpe gangræna et mors.

Sp. 14. Rhexis *Ovarii vel Tubæ Fallopii.*

Ruptura a maturo fœtu, ex conceptione extrauterina, versus finem graviditatis orta.

Sp. 15. Rhexis *Uteri.*

Fundi vel laterum uteri, aut etiam colli, vel orificii ejusdem, aut vaginæ uteri ruptura a vi externa utero gravido vel abdomini illata; aut a fœtu nimis magno, vel ex pelvi nimis angusta; aut ab osse sacro nimis versus interiora pelvis prominente; vel a situ fœtus præpostero, aut a contractione uteri simul ac nixu parturientis violento; vel a vi per obstetricem hisce partibus illata; aut ab extractione placentæ violenta; et quandoque etiam ab usu interno medicamentorum drasticorum aut emmenagogorum orta; sæpe insequente fætus in cavum abdominis lapsu, leipothymiis, convulsionibus et violenta hæmorrhagia uteri; evanescentibus interea doloribus partus, et fœtus in utero indiciis.

Sp. 16. Rhexis *Vaginæ uteri.*

Plerumque a capite fœtus prægrandi, aut ex nixu parturientis violento, aut ex vi ab obstetricante illata oriunda.

G. CCCCIV. TRAUMA s. VULNUS.

Gr. Τραῦμα, Vulnus s. Vulneratio (*).

Læsio seu solutio continui recens, longitudinalis, obliqua, vel transversalis, superficialis vel profunda, in cute, vel in partibus mollibus aut duris cuti substratis, a vi externe illata orta; hæmorrhagia, vel hæmorrhoea, et effluxu seri aut lymphæ, plus minusve notabili, ac dolore, tumore, et phlogosi stipata.

A. A Wound.
G. Une Plaie.
Ge. Eine Wunde.

A. Vulnera Simplicia.

Vulnera cutis aut musculorum, instrumento acuto, cæsione, scissura, aut punctura illata, plus minusve profunde penetrantia, indeque vel hœmorrhagia simplici, vel etiam contusione et ecchymosi, aut dilaceratione partium læsarum, sed cæterum nullo sympto-

---

(*) Græci tempore Hippocratis nullum nomen proprium pro denotando vulnere habuerunt; sed vulnera et ulcera nomine communi : *Helcoses* (Ἕλκοσεις) nominarunt.

mate gravi stipata; et plerumque brevi tempore, solo contactu partium divisarum, arte aut sponte producto, sanantia.

B. Vulnera Complicata.

Vulnera partium mollium, instrumentis obtusis, sclopetis, vel morsura illata, cum thlasmate violento, aut concussione, distorsione, dilaceratione, avulsione partium externarum; vel rhexi vasorum, nervorum, tendinum, aut viscerum internorum, vel etiam cum denudatione ossium, vel luxatione, fissura, aut fractura eorum juncta; sæpe simul infixis festucis ossium, globis plumbeis etc; ac symptomatibus gravibus, insensibilitate et inirritabilitate, frequenter tetano, hæmorrhagia, aut ecchymosi violenta, convulsionibus, phlogosi, gangræna etc. stipata; vel cum habitu cachectico, scorbutico, syphylitico, scrofuloso corporis etc. complicata.

C. Vulnera Venenata.

Vulnera instrumentis aut armis veneno imbutis; vel morsura aut punctura animalium rabidorum, serpentum, vel insectorum venenatorum illata.

Vulnera præcipua, morsura aut punctura illata, sunt:

1. *Morsura Canis rabidi.*

Morsura a cane rabie affecto, qui amicos aut dominum suum æque ac alios homines, vel animalia indistincte mordet; et aquam bibere recusat, quemque canes alii fugiunt. Vide V. I, p. 511. G. *Hydrophobia.*

2. *Morsura Crotali horridi.*

Hic serpens appellatur:

A. Rattle Snake.
G. Serpent à sonnettes.
Ge. Klapperschlange.

Stupor partis morsæ, ac tumor, dolor; dyspnœa; delirium; pulsus frequens et debilis; et tandem gangræna lethalis.

3. *Morsura Colubris Najæ* (vulgo Cobra de Capello *s.* Cabelo dictæ).

Sæpe intra quadrantem horæ, quandoque intra duas aut tres horas lethalis; gangræna universali, et carnium ab ossibus secessu; quandoque etiam convulsionibus stipata.

4. *Morsura Serpentis* Baetan dicti.

In Arabia subito lethalis.

5. *Morsura Colubris Viperæ.*

Plus minusve venenata, pro diversitate viperarum. — Pulsus debilis, inæqualis, intermit-

tens ; color cutis flava ; rigor , sudor frigidus , extremitates frigidæ ; hyperemesia ; cardiopalmus ; convulsiones.

6. *Punctura Insectorum.*

Tarantulæ, scorpionis, vesparum, culicum, apium , formicarum, etc. punctura ; tumorem ac dolorem plus minusve violentum, et inflammationem membranæ mucosæ inducens. Vide etiam supra pag. 232 et seq. *Cachexiæ Scolecodes* , et G. *Erythema.*

Vulnera *variant* :

1. Pro parte læsa.
2. Pro causa seu instrumento lædente.
3. Pro directione instrumenti lædentis : recta, transversa, vel obliqua ; superficiali , vel profunda.
4. Pro figura instrumenti lædentis.
5. Pro statu , aut positione ægri eo tempore, quo vulnus inflictum fuit.
6. Pro ætate, habitu corporis etc. ægri.
7. Pro simplicitate aut complicatione eorumdem.

Vulnera hinc sunt :

A. *Vulnera absolute lethalia.*

Dum vulnus inflictum nullum remedium

admittit, et causa proxima et unica mortis fit.

B. *Vulnera periculosa, seu per se lethalia.*

Quæ sibi relicta mortem causant; sed debitis auxiliis, tempestive applicatis, sanabilia sunt.

C. *Vulnera per accidens lethalia.*

Quæ per se lethalia non sunt, sed casu talia fiunt: ut ex errore ægri, vel chirurgi aut assistentium commisso; a neglectu auxilii immediati; ex habitu corporis cachectico aut cacochymico; ex vitiis diætæ; ex aëre nosocomiorum corrupto; ex ventriculo cibis repleto; ex saburra primarum viarum etc. eo tempore, quo vulnus inflictum fuit.

I. VULNERA VASORUM, NERVORUM, TENDINUM, etc.

Sp. 1. Vulnera *Arteriarum.*

Arteriæ, præcipue majoris: Aortæ, carotidis, cœliacæ, renalis, cruralis etc. discissio completa vel incompleta; hæmorrhagia sanguinis floridi violenta, sæpe cito lethali stipata: Vel læsio membranarum externarum arteriæ cujuscunque, plerumque citius vel tardius in anevrysma abiens.

Sp. 2. Vulnera *Venarum.*

Venæ majoris læsio, hæmorrhagia sanguinis profunde rubri, vel nigricantis, majore vel minore, ac in partibus interioribus corporis non raro lethali, stipata; in exterioribus plerumque brevi vel sponte cessante, vel facile coërcenda.

Sp. 3. Vulnera *Vasorum lymphaticorum.*

Læsio præcipue vasorum lacteorum in mesenterio, vel ductus thoracici; plerumque cito lethalis.

Sp. 4. Vulnera *Nervorum.*

Nervus partim vel integre discissus, vel dilaceratus. In læsione partiali dolor plerumque violentus, inflammatio, convulsiones, gnathospasmus, tetanus, gangræna: In discissione totali insensibilitas et paralysis partium, infra vulnus sitarum.

Sp. 5. Vulnera *Membranæ fibrosæ.*

Membranæ capsularis, ligamentorum, bursarum synovialium, aponevrosium punctura, scissura, vel dilaceratio; effluxu synoviæ, et subsequente sæpe inflammatione et dolore violento, gnathospasmo, tetano, ulcere rebelli, aut gangræna lethali stipata.

Sp. 6. Vulnera *Tendinum.*

Tendinum punctura, discissio, vel laceratio, completa vel incompleta. In priori casu, immobilitas membri; initio nullus vel paucus dolor, sed progressu morbi plerumque gravia symptomata. In posteriore, tumor et dolor vehemens, inflammatio, convulsiones, gnathospasmus, tetanus, aut ulcus rebelle.

Sp. 7. Vulnera *Ossium.*

Ossis ex periosteo ablato denudatio; aut ipsius ossis læsio violenta, exarthrosis, comminutio, vel fissura aut fractura; sæpe in cariem aut ostheophtoriam abiens.

II. Vulnera Capitis.

Sp. 8. Vulnus *Calvariæ.*

Ossium capitis scissura, punctura, aut cæsio simplex; vel cum contusione violenta aut etiam cum perforatione, fissura vel contrafissura, aut fractura tabulæ exterioris, sæpe simul interioris juncta; aut etiam cum avulsione, vel intropressione ossium complicata.

Sp. 9. Vulnus *Enkephali.*

Cerebri vel cerebelli læsio simplex; vel meningum contusio aut conquassatio; plerum-

que cum, sæpe etiam sine vulnere externo. — Tumor, inflammatio, ecchymosis, aut etiam ossium denudatio visibilis; sæpe dolor capitis gravis; tumor et rubor oculorum ac palpebrarum; hæmorrhagia e naribus, ore, et auribus; vertigo; cataphora; amnesia; paralysis, aut sensuum externorum abolitio; scoracrasia, uracrasia; vel pruritus narium constans; lucis et sonitus intolerantia; agrypnia; vomitus biliosus; dyscataposia; convulsiones, aut delirium cum febre plus minusve violenta. — Ex cerebello et occipite vulneratis aut contusis præterea in viris sæpe astysia et atrophia testiculorum immedicabilis.

Sp. 10. Vulnus *Oculorum.*

Oculorum vel palpebrarum discissio, contusio, aut punctura nervum opticum lædens, vel in ipsam cerebri substantiam penetrans; unde visus depravatio aut abolitio completa; paralysis palpebrarum; vel jactura, aut destructio bulbi oculi.

Sp. 11. Vulnus *Faciei, vel Nasi.*

Integumentorum faciei discissio et contusio levior; vel cum ecchymosi, læsione periostei, aut fractura ossium faciei vel nasi complicata.

III. VULNERA

III. Vulnera Colli aut Cervicis.

Sp. 12. Vulnus *Integumentorum Colli.*

Simplex, vel cum discissione aut laceratione laryngis, tracheæ, pharyngis, aut œsophagi, completa vel incompleta; vel etiam cum læsione carotidum aut venarum jugularium complicata.

Sp. 13. Vulnus *Medullæ Spinalis*, etc.

Læsio medullæ spinalis aut nervorum paris octavi, intercostalis magni, phrenici, et arteriæ carotidis, aut venæ jugularis internæ, plerumque cito lethalis. Ex læsione nervi recurrentis aphonia; ex læsione aut contusione violenta nuchæ sæpe astysia insanabilis.

IV. Vulnera Thoracis.

Sp. 14. Vulnus *Pectoris.*

Integumentorum thoracis discissio simplex; vel cum læsione arteriæ intercostalis, pleuræ, mediastini, pericardii, pulmonum, vel cordis; sæpe etiam cum fractura costarum, sterni etc. complicata.

Sp. 15. Vulnus *Pulmonum.*

Aër ex vulnere sub inspiratione prodiens,

postquam prævia inspiratione profunda aër omnis sollicite expulsus fuit; emphysema ab accessu aëris externi, aut ex vulnere pulmonis ortum; pneumonorrhagia; extravasatio sanguinis in cavo thoracis, duplicatura mediastini, aut in pericardio; dyspnœa; alysmus ingens; cardiopalmus; syncope; insequente sæpe morte subita, vel phthisi ulcerosa.

Sp. 16. Vulnus *Cordis*.

Vulnus superficiale cordis, aut vasorum coronariorum quandoque sponte curatur; profundius semper subito lethale.

Sp. 17. Vulnus *Diaphragmatis*.

Summa anxietas et oppressio ad præcordia; dolor sub inspiratione vehementissimus; singultus rebellis; spasmus musculorum faciei; convulsiones membrorum; delirium; pulsus contractus, irregularis; hyperemesia; gangræna. — Vulnera diaphragmatis, in cavum abdominis penetrantia, plerumque ex visceribus abdominalibus in vulnere incarceratis lethalia.

Vulnera ductus thoracici, bronchiorum, œsophagi, vasorum, aut nervorum majorum semper lethalia sunt.

V. Vulnera Abdominis.

Sp. 18. Vulnus *Integumentorum Abdominis.*

Simplex, vel in cavum ventris penetrans; tuncque cum læsione peritonæi, omenti, mesenterii, aut ventriculi vel intestinorum; vel glandulæ pancreaticæ, aut ductus ejusdem excretorii; vel splenis, hepatis, vesiculæ felleæ, ductus kystici vel choledochi; renum, ureterum aut vesicæ urinariæ; vel uteri aut ovariorum complicatum. — Plerumque asthenia generali; pulsu parvo, debili; sudore frigido, et leipothymiis, ac intestini, omenti etc. ex vulnere prolapsu stipata; sæpe accedente inflammatione violenta, et strangulatione partium elapsarum, gangræna, et morte.

Sp. 19. Vulnus *Ventriculi, Cardiæ,* vel *Pylori.*

Dolor in epigastrio vehemens; pulsus parvus, debilis; hæmorrhagia; asthenia; syncopes rebelles; sudor frigidus; ingestorum, ac sanguinis in cavum abdominis, vel in omentum gastro-colicum; sæpe etiam per vulneris orificium effusio; hæmatemesis.

Sp. 20. Vulnus *Intestinorum tenuium*, vel *crassorum.*

Summa debilitas, et frequens leipothymia; pulsus parvus, debilis; tormina ventris, alvus cruenta; quandoque etiam hæmatemesis vel excretio fæcum et sanguinis per orificium vulneris; nausea; hyperemesia; sudor frigidus, extremitates frigidæ; quandoque delirium mite, et tandem gangræna, et mors.

In genere, vulnera intestinorum tenuium multo periculosiora sunt, quam intestinorum crassorum.

Sp. 21. Vulnus *Hepatis*, *Vesiculæ felleæ*, *Ductus Kystici, vel Choledochi*; *Splenis.*

Hyperemesia; lygmus; ischocoilia, aliave symptomata hepatitidis; quandoque bilis et sanguinis ex vulnere effluxus.

Sp. 22. Vulnus *Renum*, *Ureterum* aut *Vesicæ urinariæ.*

Hæmaturia; urinæ extravasatio in cavum abdominis; et gangræna utplurimum cito lethalis.

In vulnere renum sæpe retractio et dolor testiculorum in viris; ac dolor labiorum vulvæ in fœminis.

Sp. 23. Vulnus *Uteri*, vel *Ovariorum*.

Sæpe hæmorrhagia interna et syncope lethali stipatum (*).

G. CCCCV. CATAGMA *s.* FRACTURA.

Gr. Κάταγμα *s.* Κατάκλασις Fractura.

Ossis solutio continui, a vi externa, vel ab osteopsathyrosi; transversalis, obliqua, vel longitudinalis; visu tactuve, ac strepitu et mobilitate ossis abnormi dignoscenda.

A. Fracture.
G. Une fracture.
Ge. Ein Beinbruch.

VARIETAS FRACTURAE est FISSURA.

Ossis separatio violenta longitudinalis.

A. A crack or fissure.
G. Fissure, fente.
Ge. Beinspalte.

(*) Excisio unius vel etiam utriusque ovarii, aut uteri prolapsi, sæpius peracta fuit, ægris dein brevi convalescentibus. Castratio scrofarum æque ac gallinarum, in quibusdum Europæ regionibus in usu generali, sine ullo vitæ periculo perficitur.

I. Fractura Simplex.

II. Fractura Composita.

Ubi os in duobus aut pluribus locis fractum est; vel ubi os fractum in plura frusta separatur.

III. Fractura complicata.

Ossis fractura cum ossis comminutione; vel cum vulnere aut exarthrosi juncta.

Sp. 1. Fractura *Ossium calvariæ.*

Tabulæ exterioris aut etiam interioris ossium cranii fractura, vel fissura; aut contrafractura vel contrafissura (*); vel etiam suturarum ossium cranii separatio violenta; simplex vel complicata; visu tactuve, ac ægri sensatione dignoscenda; sæpe cum irritatione violenta cerebri a festucis ossium aut ab ossium intropressione, concussione cerebri, extravasatione sanguinis cum delirio et dolore vomituritione, vomitu, convulsionibus, vel cataphora, insensibilitate, immobilitate, et membrorum,

---

(*) Separatio ossis cujusve cranii oppositi ab osse, cui vis illata fuit sine læsione ossium intermediorum *Contrafractura* aut *Contrafissura*, Gall. *Contre-coup*, *Contrefente* appellatur.

aut sphincteris ani vel colli vesicæ paralysi juncta.

Sp. 2. Fractura *Ossium nasi.*

Ossium nasi fractura, plerumque transversalis et cum intropressione eorum, vulnere cutis, concussione cerebri, hæmorrhagia narium violenta, et inflammatione membranæ mucosæ, ac fibrosæ, ossa nasi investientium juncta; progressu morbi sæpe ozæna; polypus; fistula lacrymalis.

Sp. 3. Fractura *Ossium faciei.*

Ossium faciei, præcipue processus jugalis seu zygomatici, vel ossis maxillaris superioris fractura; plerumque cum intropressione eorum, et symptomatibus gravibus a læsione nervi maxillaris superioris vel etiam nervi infraorbitalis, aut læsione sinus maxillaris juncta.

Sp. 4. Fractura *Maxillæ inferioris.*

Ossis maxillaris inferioris in medio, aut ad latera, vel etiam processus ejusdem condyloidei fractura; ob læsionem nervorum variorum sæpe convulsione, spasmo, aut paralysi musculorum faciei; amblyopia; baryecoia; tinnitu aurium; dyscataposia; ac masticationis, vocis, et loquelæ læsione juncta.

Sp. 5. Fractura *Ossis Sterni.*

Fractura ossis sterni transversa, sæpe cum intropressione ejusdem, anxietate, dolore, dypnœa, tussi, cardiopalmo, hyperemesia, singultu, et pneumonorrhagia, aut extravasatione sanguinis sub sterno inter laminas mediastini stipata; ex mobilitate ossis abnormi, et tactu dignoscenda. — Progressu morbi sæpe pneumonitis; carditis; diaphragmatitis; ulcera prope sternum; caries; aut phthisis pulmonalis ulcerosa.

Sp. 6. Fractura *Costarum.*

Costæ unius vel plurium fractura introrsum a vi costis ipsis; vel extrorsum a vi ossi sterni illata; mobilitate costarum abnormi, tactu, et quandoque etiam strepitu dignoscenda; simplex, vel cum vulnere externo, aut dilaceratione arteriæ intercostalis, vel læsione pleuræ aut pulmonum juncta; hinc sputum sanguinis floridi; dolor lateris punctorius; pneumonitis; alysmus; dyspnœa; tussis sicca; emphysema in loco fracturæ, indeque quandoque per universam corporis superficiem sese extendens; accedente sæpe apostemate, empyemate, vel etiam carie costarum. — A fractura costarum spuriarum sæpe simul læsiones hepatis, splenis, ventriculi.

Sp. 7. Fractura *Vertebrarum.*

Vertebræ unius, vel plurium, præprimis processuum spinosorum vertebrarum dorsi fractura. — Ex fractura corporis vertebrarum dorsi vel colli plerumque paralysis; uracrasia; scoracrasia; mors.

Sp. 8. Fractura *Claviculæ.*

Claviculæ in medio vel versus extremitatem ejus alterutram fractura, visu tactuve, ac strepitu, lapsu brachii versus pectus, impotentia brachium elevandi, et pronatione antibrachii dignoscenda; quandoque cum læsione arteriæ subclaviæ summe periculosa juncta.

Sp. 9. Fractura *Scapulæ s. Omoplatæ.*

Corporis ossis scapulæ, vel spinæ, aut acromii; rarius processus ejusdem coracoidei aut colli ossis fractura; motu brachii diverso, simulque digitis ossi applicatis dignoscenda.

Sp. 10. Fractura *Ossis humeri.*

Ossis humeri in medio aut extremitate superiore vel inferiore ejusdem fractura, strepitu et tactu, tumore abnormi, et immobilitate brachii, ac dolore violento; quandoque etiam brevitate brachii dignoscenda.

Sp. 11. Fractura *Antibrachii.*

Ossis ulnæ in medio aut processus olecrani in ejusdem extremitate superiore; vel etiam ossis radii fractura, simplex aut duplex; tactu, strepitu et visu, durante supinatione vel pronatione brachii, dignoscenda. In fractura olecrani extensio brachii impossibilis, et frequenter ex læsione nervi cubitalis spasmi, dolor, et tumor brachii enormis; prominentia olecrani in demiflexione brachii major, cujus contrarium in osse sano. In fractura duplici ulnæ simul ac radii, sæpe immobilitas brachii per vitam remanet.

Sp. 12. Fractura *Carpi et Metacarpi.*

Ossium carpi vel metacarpi fractura, utplurimum cum violenta contusione; et ex læsione nervorum et tendinum, sæpe vehementi inflammatione, tumore et dolore; aliquando etiam paralysi aut rigiditate incurabili stipata.

Sp. 13. Fractura *Digitorum manus.*

Fractura phalangis unius vel plurium; simplex plerumque brevi sananda, aut complicata. Ex festucis ossium nervos irritantibus sæpe inflammatio et dolor violentus; imo gnathospasmus, aut tetanus.

Sp. 14. Fractura *Ossium pelvis.*

Ossium ilei fractura frequentior, quam ossium ischii aut pubis. In priori casu situs corporis erectus impossibilis, et æger nonnisi semi-sedens jacere potest. Initio sæpe ex concussione medullæ spinalis ischuria; progressu morbi uracrasia et scoracrasia ac gangræna. — Fractura ossium ischii et pubis visu, tactuve præprimis, per anum aut per vaginam, dignoscenda.

Sp. 15. Fractura *Femoris.*

Fractura ossis femoris vel colli ejusdem. — In fractura colli, plerumque ex lapsu violento in genu vel in trochanterem majorem, orta, extremitas lateris affecti brevior, et pes elongatus mox priorem brevitatem assumit; collum femoris sursum premitur, et trochanter major alte attollitur, simulque extrorsum et retrorsum versus cristam ilei prominet; musculi glutæi relaxati sunt, et immersio seu depressio in natibus notabilis exacte super trochanterem percipitur. Si trochanter major manu reducitur, strepitus evidens; in rotatione femoris trochanter major quasi centrum motus fit, dum in statu normali sub rotatione arcum describit; genu ac apex pedis plerumque extrorsum vertuntur; pes in genere facilius extrorsum vel

introrsum vertitur quam in luxationibus; dimovendo femora summus dolor, sed doloris remissio mox, si femur fractum sano approximatur: Femur ipsum facilius extensionem quam flexionem admittit, eoque leviter extento tumor in clune diminuitur, et pes elongatur; sed cessante extensione tumor in clune, et prominentia trochanteris redit, et pes ut ante abbreviatur. — In fractura colli femoris, cum dilaceratione membranæ capsularis complicata, dolor aliaque symptomata graviora sunt, et claudicatio immedicabilis sæpe remanet ex calli generatione suprabundante; et extremitates fractæ, etsi callo junctæ, ex levi mutatione situs corporis, risu, tussi, sternutatione facile e situ suo denuo dimoventur. — In fractura corporis ossis femoris, præcipue obliqua, membrum affectum fere semper brevius est sano, et apex pedis introrsum vertitur; strepitus sub motu femoris evidens est, simulque dolor vehemens, et tumor ac ecchymosis in loco fracto apparet.

Sp. 16. Fractura *Patellæ*.

Patellæ fractura sæpius transversa, rarius longitudinalis, a lapsu in genu, præprimis corpore gravi pondere onustato, accidens; exploratione digitorum, dolore sub flexione genu,

et claudicatione dignoscenda. — Fractura patellæ nunquam callo, sed mediante membrana fibrosa et cartilagine intermedio coadunatur, remanente sæpe per vitam claudicatione, et debilitate, aut rigiditate articulationis.

Sp. 17. Fractura *Cruris.*

Tibiæ vel fibulæ, aut utriusque simul, in eodem vel in diversis locis fractura.

Fractura tibiæ simplex vel duplex, digitorum exploratione, inæqualitate, et superficiei in angulo externo ossis dolore, strepitu in eadem parte sub motu tentato, ac impossibilitate pedem movendi aut in terram figendi stipata; sæpe simul inflammatio, tumor et dolor violentus, quandoque etiam spasmi, convulsiones, et hyperemesia. Fractura fibulæ in extremitate superiore vel inferiore, aut in medio ossis simplex dolore, strepitu in parte fracta, aut inæqualitate in osse, ac partem a malleolo externo versus superiora demulcendo detegenda; ejusdemque malleoli, sub pressione fibulæ majori, prominentia extrorsum notabili dignoscenda; remanente facultate plantam pedis in terram figendi.

Sp. 18. Fractura *Ossium pedis.*

Ossium tarsi, vel metatarsi, aut phalangum digitorum pedis fractura simplex, vel compli-

cata; plerumque ex contusione violenta aut saltu orta. Ex his fractura calcanei frequentissima, cum impotentia gradiendi, aut pedem in terra figendi juncta: Prominentia calcanei solita non apparet, quia pars ossis fracti superior sursum trahitur, et tendo achillis vix, aut multo laxior sentitur, quam in statu normali esse solet. — In fractura ossium pedis complicata sæpe dolor et tumor vehemens, cum gnathospasmo, tetano, convulsionibus.

Sp. 19. Fractura *Cartilaginum*.

Cartilaginum, præcipue nasi, aut laryngis separatio violenta. Posterior aphonia stipata, subsequente plerumque apnœa lethali.

G. TEREDON s. CARIES.

Vide supra p. 282.

G. OSTEOPHTHORIA.

Vide supra p. 280.

CL. V. O. X. AMORPHIÆ.

A Gr. ἈΜΟΡΦΊΑΙ, Deformitates *s.* Vitia.

Genera ad hunc Ordinem spectantia sunt:

SECT. I. ORGANICÆ.

Genus. I. ATRESIA.
II. SYMPHYSIS.
III. DIASCHISIS.
IV. ECTOPISIS.
V. CHALASIS.
VI. HYPEREPIDOSIS.
VII. MEIOSIS.
VIII. PLETHOMERIA.
IX. LEIPOMERIA.
X. HYBOMA.
XI. KYLLOSIS.
XII. CHOLOSIS.
XIII. CAMPSIS.
XIV. ACAMPSIA.

SECT. II. CUTANEÆ *s.* ECTHYMATA.

XV. KELIS.
XVI. SPILOMA.

XVII. PHLYCTÆNA.
XVIII. PAPULA.
XIX. IONTHOS.
XX. PHLYZAKION.

SECT. III. CACOTRICHIÆ.

XXI. MADESIS.
XXII. PHALACROSIS.
XXIII. POLIOSIS.
XXIV. DASYTES.
XXV. POGONIASIS.
XXVI. LEPTOTRICHIA.
XXVII. CHAITOSIS.
XXVIII. SCHIZOTRICHIA.
XXIX. LIPAROTRICHIA.
XXX. TRICHOMA.
XXXI. TRICHIASIS.

SECT. IV. CACONYCHIÆ.

XXXII. ONYCHOGRYPOSIS.
XXXIII. ONYCHOPTOSIS.
XXXIV. ONYCHOPHTHORIA.

CL. V. O. X. AMORPHIÆ.

SECT. I. ORGANICÆ.

G. CCCCVI. ATRESIA.

Gr. Ατρησία, de α priv. et Τρέω perforare: Imperforatio.

Imperforatio, seu occlusio orificiorum, aut canalium externe patentium abnormis, functiones lædens; connata vel acquisita.

Sp. 1. Atresia *Auris.*

Meatus auditorii externi occlusio; plerumque connata, cophosin inducens.

Sp. 2. Atresia *Tubæ Eustachii.*

Tubæ Eustachii unius vel utriusque occlusio connata; vel sæpius concretio ex ulcere orificiorum in pharynge, aut ex phlogosi; vel etiam ex repletione tubæ per mucum orta; cophosin aut Baryecoiam inducens.

Sp. 3. Atresia *Oris.*

Limbi labiorum oris inter se concretio.

Sp. 4. Atresia *Palpebrarum.*

Limbi palpebræ superioris cum limbo palpebræ inferioris concretio, in uno vel utroque oculo.

Sp. 5. Atresia *Ductus lacrymalis.*

Punctorum aut ductuum lacrymalium, vel ductus nasalis unius aut utriusque lateris imperforatio, dacryrrhœam constantem inducens.

Sp. 6. Atresia *Nasi.*

Orificiorum nasi imperforatio; odoratum et respirationem per nares impediens.

Sp. 7. Atresia *Sinus maxillaris.*

Ductus excretorii sinus maxillaris occlusio, excretionem humoris in eo secreti impediens; ac tumorem, dolores ingentes, cariem, aliosve morbos varios causans.

Sp. 8. Atresia *Ductuum salivalium.*

Orificii ductus excretorii glandulæ parotidis, sublingualis, vel submaxillaris imperforatio aut occlusio; unde sæpe fistula in gena externa, vel tumor sub lingua, vulgo *Ranula* dicta; vel etiam sclerosis harum glandularum, sollicite a skirrho distinguenda.

Sp. 9. Atresia *Præputii.*

Orificii præputii imperforatio; sæpe a vitio connato, aut ex ulcere prægresso orta.

Sp. 10. Atresia *Urethræ.*

Orificii urethræ imperforatio; plerumque cum orificio urethræ abnormi in alio loco junctum. —Vitium quandoque pueris neonatis connatum.

Varietas 1. Orificium urethræ membrana occlusum.

Varietas 2. Laterum orificii, vel canalis ipsius urethræ concretio completa; Plerumque cum orificio urethræ abnormi juncta. Vide etiam *Ectopisis orificii urethræ.*

De *Occlusione Urethræ* imperfecta, vide *Stenosis urethræ.*

Sp. 11. Atresia *Vulvæ.*

Orificii vulvæ imperforatio connata, vel acquisita; labiis vulvæ vel nymphis immediate inter se concretis (*).

(*) In Ægypto aliisve Africæ regionibus, ut supra notavi, puellis mox post partum concretio labiorum vulvæ artificialis a matronis inducitur, quæ nonnisi versus tempus, quo viro traduntur, ab iisdem aufertur.

Sp. 12. Atresia *Vaginæ.*

Vaginæ uteri occlusio mediante membrana peculiari; vel concretio laterum vaginæ, menstruationem et conceptionem impediens (*).

Sp. 13. Atresia *Orificii uteri.*

Orificii uteri, vel parietum colli uteri concretio, aut membrana abnormi occlusio, menstruationem et conceptionem impediens.

Sp. 14. Atresia *Tubarum Fallopii.*

Orificiorum tubarum in utero occlusio; vel ipsarum coalitio, sterilitatem immedicabilem inducens.

Sp. 15. Atresia *Ani.*

Ani imperforatio excretionem fæcum impediens: Vitium plerumque connatum, sæpe anum abnormem in loco alieno causans; intestino recto non raro apud pueros in vesicam urinariam, et apud puellas in vaginam uteri hiante. Vide infra *Ectopisis Ani.*

(*) Orificii vaginæ uteri occlusio, mediante *hymene* dicto, morbus non est; nisi vaginam ita claudat, ut menstrua tempore pubertatis exitum non inveniant.

Varietas 1. Orificii ani per membranam occlusio.

Varietas 2. Parietum ani, vel etiam intestini recti concretio; externe apparens, vel digito detegenda.

G. CCCCVII. SYMPHYSIS.

A Gr. Σύμφυσις, Accretio.

Accretio seu concretio viscerum, aliarumve partium internarum, vel externarum, mollium, vel durarum corporis, quæ in statu normali separatæ aut disjunctæ esse solent; connata vel acquisita.

Sp. 1. Symphysis *Palpebrarum.*

Concretio superficiei internæ palpebrarum cum portione bulbi, aut cum membrana albuginea vel cornea oculi. Vide etiam *Atresia palpebrarum.*

Syn. Ankyloblepharon *Auct.*

Huc etiam pertinet:

Cohoesio limbi palpebrarum transitoria, a transudatione humoris viscosi ex glandulis Meibomii inflammatis, aut ex limbo palpebrarum excoriato vel exulcerato orta.

Sp. 2. Symphysis *Membranarum oculi.*

Plerumque ex phlogosi aut vulnere oculi orta.

Variet. 1ª. Concretio uveæ cum lente crystallina.

Variet. 2ᵈᵃ. Concretio corneæ cum pupilla, aut iride.

Syn. Synechia *Auct.*

Sp. 3. Symphysis *Linguæ.*

Variet. 1ª. Accretio dorsi linguæ cum palato.

Variet. 2ᵈᵃ. Accretio aut cohæsio fortior linguæ in basi sua, ex frænulo linguæ vel nimis lato vel nimis brevi : Vitium plerumque connatum, vel etiam ex ulcere prægresso ortum, suctionem, et ejulatum fortiorem infantis impediens.

Syn. Ankyloglossum *Auct.*

Sp. 4. Symphysis *Buccarum.*

Accretio membranæ internæ genæ cum gingivis; plerumque ex ulcere prægresso orta.

Sp. 5. Symphysis *Præputii.*

Variet. 1. Membranæ internæ præputii accretio cum balano seu glande penis; plerumque post ulcera, ex neglectu ægri vel chirurgi, male tractata.

Variet. 2da. Accretio seu cohæsio solito strictior glandis penis in basi sua, ex frænulo vel nimis lato vel nimis brevi. Vitium plerumque connatum, erectionem colis completam impediens; aut incurvationem et dolorem ejusdem sub erectione causans.

Symphysis *urethræ*. Vide *Atresia* et *Stenosis urethræ*.

Sp. 6. Symphysis *Tunicarum testiculi*.

Accretio membranæ cellulosæ (tunicæ vaginalis) cum membrana fibrosa (tunica albuginea) testiculi.

Sp. 7. Symphysis *Uteri*.

Variet. 1ma. Parietum cavum uteri formantium inter se concretio; menstruationem et conceptionem impediens.

Variet. 2da. Accretio uteri cum omento vel intestinis.

Sp. 8. Symphysis *Tubarum Fallopii*.

Variet. 1ma. Parietum tubarum Fallopii inter se concretio. Vide etiam *Atresia*.

Variet. 2da. Fimbriarum tubarum Fallopii accretio cum ovario, in uno vel utroque latere; et in hoc casu posteriore sterilitatem immedicabilem inducens.

Sp. 9. Symphysis *Ovariorum.*

Ovarii unius vel utriusque accretio cum peritonæo; vel cum fimbriis tubarum Fallopii.

Sp. 10. Symphysis *Pulmonum.*

Superficiei pulmonum exterioris accretio cum pleura; dyspnœam inducens.

Sp. 11. Symphysis *Cordis.*

Accretio cordis cum pericardio; cardiopalmum et alysmum summe molestum et incurabilem causans.

Sp. 12. Symphysis *Duræ matris.*

Membranæ fibrosæ cerebri, (*dura mater* dictæ) cum membrana arachnoidea, vel cum periosteo interno ossium calvariæ accretio.

Sp. 13. Symphysis *Hepatis.*

Hepatis cum diaphragmate, vel cum intestino colo accretio abnormis.

Sp. 14. Symphysis *Splenis.*

Splenis cum diaphragmate, ventriculo, vel intestinis cohæsio abnormis.

Sp. 15. Symphysis *Intestinorum.*

Variet. 1ma. Intestinorum inter se vel cum

partibus vicinis accretio abnormis : Vitium præcipue in herniis inveteratis frequens.

Variet. 2[da]. Parietum intestini cujusvis inter se accretio; mortem plerumque cito inducens, quandoque etiam anum artificialem in cute abdominis causans.

Sp. 16. Symphysis *Vasorum* aut *Ductuum.*

Vasorum aut canalium internorum corporis, vel ductuum eorum excretoriorum concretio ; plerumque nonnisi post mortem detegenda.

Sp. 17. Symphysis *Digitorum.*

Digitorum pedum , rarius manum , inter se vel mediante membrana accretio ; a vitio plerumque connato orta (*).

Sp. 18. Symphysis *Ossium.*

Ossium articulatione mobili conjunctorum concretio , immobilitatem inducens.

G. CCCCVIII. DIASCHISIS.

A Gr. Διάσχισις.

Separatio partium mollium , quæ in statu normali conjunctæ esse solent.

(*) Familiam novi, cujus infantes omnes digitis pedum inter se concretis nati sunt.

Sp. 1. Diaschisis *Labri oris.*

Labri oris superioris, rarissime inferioris; sæpe simul alæ nasi, ossium palati, et maxillæ superioris, ac veli penduli et uvulæ, fissura sicca, abnormis, longitudinalis, simplex vel duplex; quandoque cum defectu palati, maxillæ superioris, ossium nasi, vomeris, ossis cribrosi et sinuum frontalium complicata; non raro solius veli penduli fissura sine vitio labri oris. Vitium plerumque connatum, rarius ex vulnere aut ulcere ortum; suctionem et deglutitionem ac loquelam impediens.

Syn. Lagostoma; Lagocheilos (a gr. Λάγος lepus et στόμα, vel χεῖλος os, vel labium).
Labium leporinum *Auct.*

A. Hare-lip.
G. Bec de lièvre.
Ge. Hasenscharte; Hasenlippe.

Sp. 2. Diaschisis *Palati.*

Palati ossei; quandoque simul et veli penduli fissura connata, cum vel sine diaschisi labri oris.

Sp. 3. Diaschisis *Alæ nasi unius vel utriusque.*

Sp. 4. Diaschisis *Palpebræ.*

Sp. 5. Diaschisis *Lobuli Auris.*

Fissura lobuli auris; plerumque a pondere majore annulorum auris producta.

Sp. 6. Diaschisis *Præputii.*

Sp. 7. Diaschisis *Urethræ.*

Orificium urethræ abnorme; plerumque ab atresia urethræ connata, vel a stenosi urethræ; quandoque etiam ab atresia ani ortum. Vide *Ectopisis urethræ.*

Sp. 8. Diaschisis *Labiorum vulvæ.*

Fissura labii unius vel utriusque vulvæ; plerumque a distensione violenta in partu orta.

Sp. 9. Diaschisis *Perinæi.*

Fissura perinæi, plerumque ab extensione violenta durante partu; rarius e vitio connato orta. Vide *Rhexis.*

Sp. 10. Diaschisis *Vaginæ.*

Fissura vaginæ abnormis, ab atresia ani connata; vel ab extensione durante partu violenta orta. Vide *Rhexis.*

Sp. 11. Diaschisis *Vesicæ.*

Fissura vesicæ urinariæ abnormis ab atresia

ani connata; vel etiam ab extensione vesicæ violenta ex retentione urinæ orta. Vide *Rhexis vesicæ urinariæ*.

Sp. 12. Diaschisis *Spinæ dorsi*.

Hiatus seu fissura vertebrarum spinæ dorsi. Vitium connatum ab hydrorhachia et hydrokephalo ortum. Vide *Hydrorhachia*.

Sp. 13. Diaschisis *Foraminis ovalis cordis*.

G. CCCCIX. ECTOPISIS.

A. Gr. Ἐκτόπισις.

Situs viscerum, vasorum, vel orificiorum canalium abnormis, et permanens.

Sp. 1. Ectopisis *Cordis*.

Cordis situs abnormis, quandoque in latere dextro thoracis.

Sp. 2. Ectopisis *Viscerum abdominalium*.

Ventriculi, intestinorum, hepatis, aliorumve viscerum abdominalium situs abnormis.

Sp. 3. Ectopisis *Fœtus*.
Vide *Parakyesis*.

Sp. 4. Ectopisis *Articulationum*.
Vide *Dysarthrosis*.

Sp. 5. Ectopisis *Orificii urethræ.*
SYN. Hypospadiasis *Auct.* A Gr. Ὑποσπαδιαῖος, qui ex orificio urethræ sub glande aperto generandi incapaces sunt (*).

Vitium conformationis connatum potius, quam morbus puerorum, quo orificium urethræ vel sub glande ad fossam navicularem, aut inferius in perinæo prope originem scroti, aperitur; vel etiam ubi scroto in medio longitudinaliter diviso, et instar orificii vulvæ fisso, orificium urethræ in fundo ejus aperitur (**): Quandoque etiam urethra duplex orificium exhibet, unum in extremitate glandis normale; alterum sub glande abnorme; urina interea plerumque ex posteriore excernitur.

N. B. RUYSCH (*Thesaur. Anatom.*) etiam casum observavit, ubi urethra superius in cole sita juxta dorsum ejus inter corpora cavernosa versus anteriora decurrebat.

In casu urethræ absentis aut concretæ, natura in pueris sæpe per rectum, et in puellis ex eadem causa in vaginam sibi viam parit.

(*) *Fabricius* ab Aquapendente aliique jam notarunt, hoc vitium non semper facultati generandi obesse; quod in uno casu confirmatum inveni in viro hoc morbo laborante, qui nunc pater est trium infantum.

(**) Plures auctores homines secundo et tertio vitio

Sp. 6. Ectopisis *Orificii Vaginæ.*

In atresia vaginæ sanguis menstruus quandoque per vesicam, vel per anum sibi viam creat.

Sp. 7. Ectopisis *Ani.*

Intestinum rectum in pueris neonatis in vesicam urinariam vel in urethram; et in puellis in vaginam desinens. Vitium ex atresia ani, vel intestini recti ortum, sæpe sine ullo indicio ani; aliquando non solum cum indicio, sed etiam cum vera perforatione ani, sed in hoc casu atresia aut etiam defectu recti junctum. Fæces in priori casu sæpe excernuntur per urethram; in posteriore per vulvam. Quandoque ex defectu ani aut recti anus artificialis oritur in ventre, vel in lumbis supra os sacrum.

G. CCCCX. CHALASIS.

A. Gr. Χάλασις.

Relaxatio partium mollium abnormis.

Syn. Proptoma *S.*

---

mox dicto laborantes perperam *Hermaphroditos* (Ἑρμαφροδίτους) id est, facultate generandi simul ac concipiendi, seu utroque sexu gaudentes, appellarunt, cujus nullum exemplum evidens in Historia medica extat.

Sp. 1. Chalasis *Uvulæ.*
Vide *Staphyloncus.*

Sp. 2. Chalasis *mammarum.*

Mammæ pendulæ: Vitium naturæ, vel artis productum.

Sp. 3. Chalasis *Cutis abdominis.*

In fœminis, præcipue plures partus passis, ex neglectu obstetricantis vel puerperæ, plicæ cutis in abdomine magnæ et fœdæ formantur.

Sp. 4. Chalasis *Scroti.*

Relaxatio cutis scroti et cremasteris deformis; ita ut scrotum elongatum deorsum pendeat. (*Rhacosis* græc. a Ῥακωσις).

G. CCCCXI. HYPEREPIDOSIS.

A Gr. Ὑπὲρ super, et ἐπίδοσις incrementum.

Appendicum corporis externorum mollium incrementum seu magnitudo abnormis; longitudine, crassitie, aut latitudine peccans, permanens.

Sp. 1. Hyperepidosis *Auricularum.*

Lobulorum aurium elongatio abnormis; sæpe ad humerum usque propendula. Vitium plerumque arte productum.

Sp. 2. Hyperepidosis *Mammarum.*

Mammarum magnitudo portentosa, quandoque subito, quandoque lente, maxime ex suppressione menstruorum nata.

N. B. Excrescentia carnosa fœminis Africæ (*Boschmen* dictis) supra vulvam deorsum pendens, morbus non est (*).

Sp. 3. Hyperepidosis *Colis.*

Colis longitudine aut crassitie abnormi peccans.

Sp. 4. Hyperepidosis *Scroti.*

Scroti elongatio aut incrassatio abnormis, ita ut sæpe ad genua usque propendeat. Vitium in pluribus Africæ regionibus endemicum. Vide supra *Oscheoneus Sarcomatosus.*

Sp. 5. Hyperepidosis *Præputii.*

Præputium crassitie aut longitudine abnormi peccans.

(*) In Africæ extremitate meridionali varietas hominum peculiaris existit, sub nomine *Boschmen* nota, quorum fœminæ omnes in statu naturali clunibus magnitudinis abnormis, et excrescentia carnosa peculiari, orificium vulvæ undique et perfecte tegente, gaudent. Hic status, ut alibi monui, non est vitium; sed varietas structuræ, in hac natione invariabiliter et constanter occurrens.

Sp. 6. Hyperepidosis *Clitoridis.*

Longitudo aut crassities clitoridis (κλειτορὶς Gr.) abnormis; plerumque a vitio connato.

Sp. 7. Hyperepidosis *Nympharum.*

Nympharum longitudo, latitudo, vel crassities abnormis.

G. CCCCXII. MEIOSIS.

A Gr. Μείωσις, diminutio, extenuatio.

Magnitudinis partium mollium externarum diminutio abnormis, brevitate aut tenuitate inconsueta; ex vitio connato vel acquisito.

Sp. 1. Meiosis *Capitis.*

Sp. 2. Meiosis *Oculi.*

Sp. 3. Meiosis *Nasi.*

Sp. 4. Meiosis *Colli.*

Sp. 5. Meiosis *Extremitatum.*

Manus vel pedis unius, vel utriusque brevitas, vel tenuitas abnormis.

Sp. 6. Meiosis *Mammæ, vel Papillæ.*

Mammæ unius vel utriusque; vel papillarum mammæ brevitas aut tenuitas abnormis.

Sp. 7. Meiosis *Colis.*

Membrum virile brevitate vel tenuitate abnormi peccans.

Sp. 8. Meiosis *Testiculorum.*

Testiculi unius vel utriusque tenuitas seu extenuatio abnormis. Vide *Atrophia Testiculorum.*

G. CCCCXIII. PLETHOMERIA.

Gr. Πληθομερία a πλήθω redundo, et μέρος pars: Redundantia partis externæ.

Pars, vel partes externæ plures, numero abnormi peccantes.

Sp. 1. Plethomeria *Capitis.*

Neonati duplici capite instructi.

Sp. 2. Plethomeria *Colis.*

Colis quandoque, etsi rarissime, duplex invenitur.

Sp. 3. Plethomeria *Testiculorum.*

Familiæ existunt, quarum pueri tribus testiculis regulariter gaudent. Quandoque tertius testiculus in inguine hæret. Hoc vitium plerumque hypererastia stipatum est.

Sp. 4. Plethomeria *Uteri.*

Plura exempla extant uteri, aut vaginæ uteri duplicis ; vel uteri aut vaginæ simplicis, membrana media in duo cavo distincta divisæ. Præparatum anatomicum hujus vitii Londini vidi.

Sp. 5. Plethomeria *Genitalium.*

Plures auctores exempla recensent hominum, partibus genitalibus fœmineis simul ac masculinis præditorum, qui vulgo *Hermaphroditi* appellantur, a Gr. Ἑρμαφρόδιτον, ab Ἑρμῆς Mercurius, et Ἀφροδίτη Venus ; id est, homo reunione genitalium utriusque sexus gaudens.

An Hermaphroditus seu Androgynus, facultate generandi utriusque sexus simul gaudens, unquam revera extiterit, valde dubium est ; saltem exemplum tale, nullum fide dignum, in historia medica extare credo.

Exempla Hermaphroditorum apparenter talium, non adeo infrequenter occurrunt ; ejusque varietates in viris triplices hactenus observatæ fuerunt. 1°. Ubi rima, instar orificii vulvæ, in perinæo cæca adest. 2°. Ubi eadem rima, pudendum muliebre mentiens, cæca in medio scroto apparet. 3°. Ubi rima in medio scroto præsens in urethram aperitur ; membro vi-

rili et testiculis in tribus hisce casibus semper præsentibus. In fœminis, nonnisi unica varietas hactenus observata extat, ubi præter vulvam naturalem, Clitoris magnitudine monstrosa, membrum virile non perforatum mentiens, invenitur.

Exempla Plethomeriæ Renum, aut vesicæ urinariæ rariora sunt.

Sp. 6. Plethomeria *Extremitatum.*

Neonati pedibus aut manibus tribus vel quatuor instructi.

Sp. 7. Plethomeria *Digitorum.*

Digitorum pedis aut manus numerus excedens, a vitio connato ortus: digito superfluo phalangibus instructo, vel simpliciter ex massa carnea constante.

G. CCCCXIV. LEIPOMERIA.

Gr. Λειπομερία a Λέιπω deficio et μέρος pars.

Defectus partis unius vel plurium externarum corporis; ex vitio connato vel acquisito ortus.

Huc itaque etiam pertinet:

Colobosis (græc. Κολόβωσις), seu mutilatio arte facta.

Sp. 1. Defectus *Capitis.*

Infantes quandoque nascuntur sine ossibus calvariæ, vel sine cerebro; aut etiam sine ullo capite; unde *Akephali* (gr. Ἀκέφαλοι) dicti.

Sp. 2. Defectus *Nasi.*

Plerumque ex gelu, aut ulcere vel erosione, aut mutilatione, rarius ex vitio connato, ortus.

Sp. 3. Defectus *Auris.*

Auris externæ, vel organi auditorii totius defectus connatus, vel ex mutilatione ortus.

Sp. 4. Defectus *Oculi.*

Quandoque oculus unus, quandoque ambo in neonatis deficiunt.

Sp. 5. Defectus *Dentium.*

Dentium eruptio, in infantibus tempore consueto impedita: Vitium plerumque ab osteomalakia dependens.

Sp. 6. Defectus *Uvulæ.*

Vitium quandoque connatum; sæpius ab erosione ulcerum syphiliticorum ortum, *Paraphoniam nasalem* causans.

Sp. 7. Defectus *Colis.*

Colis defectus connatus, vel ex amputatione etc. ortus. Quandoque hoc vitium solummodo

apparens est; ex atrophia colis, aut a retractione ejusdem in Polypiote, hydroscheo, hernia scrotali magna et inveterata, sarcomate scroti, aliisve causis oriundum.

Sp. 8. Defectus *Testiculorum.*

Testiculi unius vel utriusque defectus realis. Vitium connatum vel ex castratione seu mutilatione artificiali, aut ex atrophia prægressa ortum; semper astysia et anerastia stipatum. Quandoque defectus testiculorum solummodo apparens est, ex testiculis in cavo abdominis locatis, aut in inguine hærentibus.

Sp. 9. Defectus *Vaginœ uteri.*

Vaginæ uteri absentia. Quandoque hoc vitium solummodo est apparens, ex orificio vaginæ in vesicam vel in intestinum rectum etc. hiante.

Sp. 10. Defectus *Uteri.*

Uteri absentia, sterilitatem immedicabilem causans.

Sp. 11. Defectus *Ovariorum, aut Tubarum Fallopii.*

Defectus ovarii, aut tubæ Fallopii unius vel

utriusque. Vitium connatum, vel excisione ovariorum amborum acquisitum; tumque semper ischomenia, anerastia (*), ac steirosi immedicabili stipatum.

Sp. 12. Defectus *Ani, vel Recti.*

Defectus ani cum vel sine ullo ejusdem vestigio externo. Vitium connatum; quandoque cum defectu intestini recti complicatum.

Sp. 13. Defectus *Digitorum.*

Digiti unius vel plurium, pedum vel manuum, defectus connatus vel mutilatione ortus.

Sp. 14. Defectus *Extremitatum.*

Extremitatis superioris vel inferioris unius vel utriusque defectus connatus; vel mutilatione, vulnere, aliave vi externa causatus.

Defectus pulmonis aut renis unius, vel hepatis, vesiculæ felleæ, splenis, linguæ rarius occurunt.

(*) Gr. Ἀνεραςία ab α neg. et ἐράω amo vel cupio; defectus desiderii Veneris abnormis. — Duo exempla ovariorum amborum excisorum novi, symptomatibus supra notatis stipata. In utroque casu fœminæ supervixerunt, et sanitate cæterum bona frui videbantur.

G. CCCCXV. HYBOMA.

A Gr. Ὕϐωμα Gibbositas.

Spinæ dorsi, aut sterni, vel costarum curvatura, intropressio, vel protuberantia abnormis.

Syn. Kyrtoma s Kyrtosis.
Gibbositas.
Gibberositas.
Gibber; ægri gibbi. } *Auct.*

A. Crookedness, crooked; Gibbosity; Hump-backed.

G. Gibbosité; la Bosse.

Ge. Höker, Buckel; Bucklicht.

Varietates Hybomatis *sunt:*

1. *Lordosis* (a gr. Λόρδωσις).

Incurvatio spinæ dorsi, sterni, vel costarum versus anteriora.

2. *Kyphosis* (a gr. Κύφωσις).

Incurvatio seu prominentia spinæ dorsi versus posteriora.

3. *Scoliosis* (a gr. Σκολίωσις).

Incurvatio seu prominentia spinæ dorsi, aut costarum, vel etiam pelvis ad latus dextrum vel sinistrum.

Variant pro causa remota:

α. Ab osteomalakia.

β. A consuetudine diu protracta, corpus in certo situ tenendi.

γ. A contractione musculorum chronica.

δ. A paralysi aut debilitate musculorum unius lateris.

ε. A vitio connato, hæreditario.

ζ. A lapsu, ictu, luxatione, vulnere.

η. A thoraculis duris, vel fasciis, aut vestimentis arctioribus, corpus juvenile varie et male prementibus.

ϑ. A metastasi febrili aut exanthematica varia.

G. CCCCXVI. KYLLOSIS.

Gr. Κύλλωσις a κυλλός curvus.

Extremitatum, præprimis inferiorum, curvatio abnormis; ex vitio præprimis connato, sæpe etiam acquisito.

Syn. Lordosis *S.*

Sp. Kyllosis *Genuum.*

Pedum contorsio permanens, ita ut genua introrsum versa et sibi contigua sint; tibiis quidem rectis, sed inferius divaricatis et distantibus.

Syn. Rhæbosis *græc.* (a Ῥαιβός introrsum).

Ægri compernes. *Lat.*

Lordosis compernium *S.*

A. Knee-bent.
G. Cagneux *s.* Caigneux; Bancal.

Sp. 2. Kyllosis *Crurum.*

Tibiarum curvatura abnormis.

Variet. 1. Kyllosis *Varorum.*

Tibiarum (sæpe simul ac genuum), distorsio, ita ut introrsum convexæ sint; suris aut genubus convergentibus et approximatis, pedibus vero a se mutuo recedentibus.

SYN. Lordosis Varorum *S.*
Vari. *Lat.*

A. Bent-legged.

Variet. 2. Kyllosis *Valgorum.*
Blæsi (a Gr. Βλαισὸς).

Tibiarum, genuum, sæpe simul ac femorum curvatura, ita ut extrorsum convexa, divaricata seu a se invicem divergentia sint, pedibus approximatis.

SYN. Valgi *Lat.*
Lordosis valgorum *S.*

A. Bandy-legged.

Variet. 3. Kyllosis *Antica.*

Tibiarum curvatio versus anteriora.

Variant pro causa remota, ut *Hyboma*.

Sp. 3. Kyllosis *Pedis*.

Pedis unius, raro utriusque, distorsio plerumque connata, seu ossis navicularis tarsi a calcaneo dimotio, ita ut apex pedis introrsum versus, et planta pedis concava sit; simul cum contractione et tensione forti musculi tibiæi postici et tendinis Achillis juncta.

Syn. Hippopus *s.* Pes equinus *Auct.* (a gr. Ἱππόπους).

A. Club-foot.
G. Piéd equin ; Piéd bod.
Ge. Klumpfuss; Klopffuss.

G. CCCCXVII. CHOLOSIS.

Gr. Χώλωσις *s.* χωλότης, χωλεία Claudicatio.

Vitiosus gradiendi modus, quo truncus corporis singulis passibus vitiose dextrorsum vel sinistrosum vertitur, et crus difficulter trahitur, vel modo abnormi movetur. — Vitium connatum vel acquisitum.

A. Staggering; halting; Limping.
G. Boiteux, qui boite ou cloche; clopper.
Ge. Das Hinken.

Variat sede, vitio hærente:

1. In spina dorsi aut pelvi.
2. In coxa.
3. In genu.
4. In pede.

I. In spina dorsi aut pelvi.

Variat pro causa remota:

α. A vitio vertebrarum vel spinæ dorsi prægressa.

β. Ab osphytide. Vide *Osphytis*.

γ. A luxatione aut fractura, aliove vitio coccygis.

δ. A diastasi ossium pelvis.

ε. Ab uteri situ obliquo. *Hipp.*

ζ. A vitio ligamentorum uteri rotundorum.

η. A partu laborioso.

ϑ. A tumore glandularum inguinalium.

II. In coxa.

ι. Ab ischiade rheumatica, vel podagrica.

κ. Ab inflammatione, tumore, læsione, aut contusione quacunque glandulæ aut ligamenti teretis in acetabulo.

λ. A contusione, et inde nata luxatione spontanea, aut a vulnere, vel exarthrosi, dysarthrosi capitis femoris prægressis.

μ. A cervicis femoris brevitate abnormi connata.

ν. A læsione, aut fractura ossis femoris, vel colli femoris.

ξ. A fractura colli femoris, aut ossis femoris male curata.

ο. Ab erosione superficiei cartilagineæ coxæ.

π. A metastasi febrili, variolosa; aut a diadexi lactea, podagrica etc. in coxam.

ρ. A rhexi, aut erosione, dilaceratione, vel destructione membranæ capsularis, vel ligamenti teretis in coxa.

σ. Ab aqua aut pure in acetabulo collecto.

τ. Ab accumulatione synoviæ in articulo. *Hipp.*

III. In genu.

υ. A musculorum femoris vitiis, debilitate, paralysi.

φ. A gononco vario. Vide *Gononcus.*

χ. A concretionibus duris, vulgo ossiculis inter aut extra-articularibus dictis.

ψ. A læsione, inflammatione, debilitate, aut contractura musculorum.

ω. A symphysi ossium genu.

αα. A fractura patellæ aut tibiæ.

ββ. A contusione, vulnere, aut exarthorsi genu.

γγ. A capite tibiæ superiori destructo.

δδ. A rhexi tendinum, vel ligamentorum capsularium.

εε. A vitio bursarum synovialium.

ζζ. A curvatura ossium abnormi.

ηη. A mutilatione (*).

IV. In pede.

θθ. A fractura, carie, luxatione ossium.

ιι. A symphysi ossium.

κκ. A distorsione, vel rhexi musculorum, tentinum, ligamentorum.

λλ. A pede equino connato vel acquisito.

μμ. Ab artuum inferiorum longitudine inæquali.

νν. Ab ossiculis inter- aut extra-articularibus ad malleolum, tarsum etc.

Cholosis infantum præcipue variat :

α. A lapsu in coxam vel genua, cognito vel celato ; unde contusio glandulæ aut ligamenti teretis in acetabulo, et progressu morbi luxatio spontanea.

β. Ab hydrope, aut synoviæ accumulatione in coxa.

(*) Romani, ut servis ad metalla e terra effodienda destinatis omnem auffugiendi facultatem demerent, iis tendinem sub poplite perscisserunt ; unde claudicatio immedicabilis.

γ. A dysodontiasi.

δ. A vermibus intestinorum.

ε. A ballismo.

ζ. A colli femoris brevitate, vel ab artuum longitudine abnormi, connata vel acquisita.

η. Ab ictu aliave vi, externe coxæ, genu, aut pedi illata.

ϑ. A pure, aut humore acri erodente in capsula femoris.

ι. A metastasi febrili, variolosa etc. aut diadexi lactea etc.

κ. A vitio ossium scrofuloso.

λ. Ab osteomalakia.

μ. A fractura cervicis femoris, patente aut latente.

ν. A fractura aut luxatione femoris.

ξ. A rhexi ligamentorum aut tendinum.

ο. A diastasi ossium pelvis.

π. A kyllosi pedis.

ρ. A dolore.

σ. A debilitate aut paralysi musculorum.

τ. Ab atonia ligamentorum.

Choloses symptomaticae sunt:

α. A calculo renum.

β. A vermibus intestinorum.

γ. A dysodontiasi.

δ. A compressione nervorum in pelvi.

ε. A tumore glandularum inguinalium.

ζ. A ballismo.

G. CCCCXVIII. CAMPSIS.

Gr. Κάμψις curvatio *s.* curvatura, a κάμπτω incurvo.

Partium corporis mobilium incurvatio chronica abnormis.

Syn. Contractura. *Auct.*

Variat pro causa remota:

α. Rheumatica.

β. Podagrica.

γ. Venenata: ex vaporibus, aut usu interno vel externo hydrargyri, plumbi, aut arsenici; vel ex alimentis aut vegetabilibus venenatis assumptis.

δ. Scorbutica.

ε. Scrofulosa.

ζ. Steatomatosa.

η. Spasmodica.

ϑ. Metastatica.

ι. A paralysi aut debilitate musculorum unius lateris corporis.

κ. A luxatione, aut subluxatione vertebrarum colli, dorsi, vel lumborum.

λ. A contractione ligamentorum, tendinum, vel musculorum chronica.

μ. A

μ. A vi externa illata: distorsione, contusione, discissione, laceratione musculorum.

ν. A cicatrice.

Sp. 1. Campsis *Capitis*.

Incurvatio capitis neonatorum, ex vitio connato, aut ex vi durante partu illata.

Sp. 2. Campsis *Nasi*.

Incurvatio nasi, ex vitio connato, aut ex compressione violenta; vel a fractura, aut carie ossium nasi, orta.

Sp. 3. Campsis *Colli*.

Colli incurvatio abnormis et permanens antrorsum, postrorsum vel ad latus alterutrum, ita ut caput sæpe fere humerum tangat; facie interea plerumque aversa, quandoque tamen simul versus idem latus ac caput inclinata: quandoque caput omnino immobile est, ita ut nec ab ægro nec ab alio verti aut in situm rectum poni queat; aliquando æger caput vertere aut movere ex voluntate non potest, sed manu sua propria vel aliena adjutus, illud quidem varie movere valet, sed caput hoc auxilio ablato mox in pristinum situm recidit.

SYN. Caput obstipum. *V.*
Obstipitas. *S.*

A. Wry-Neck.
G. Torticolis.
Ge. Schiefer, Steifer Hals.

Sp. 4. Campsis *Digitorum.*

Phalangis unius vel plurium, digitorum manuum vel pedum, invita et permanens incurvatio.

Syn. Digitium. *V.*

Sp. 5. Campsis *Articulorum.* Vide *Acampsia.*

Sp. 6. Campsis *Colis.*

Colis seu membri virilis sub erectione incurvatio abnormis.

Variat pro causa remota:

α. A phlogosi urethræ.
β. A frænulo glandis nimis brevi, aut latiori.
γ. A vitio musculorum erectorum unius lateris.
δ. A tuberculo, varice, sclerosi, cicatrice, aut tumore in quacunque colis parte.

G. CCCCXIX. ACAMPSIA.

Gr. Ἀκαμψία, ab α neg., et καμψις: Inflexibilitas aut rigiditas articulorum.

Mobilitas articuli cujusvis corporis, in statu normali mobilis, imminuta vel

abolita; sæpe simul cum concretione ossium abnormi, aut cum tumore, vel duritie partis affectæ, et claudicatione juncta; progressu morbi sæpe paralysis aut atrophia membri affecti.

SYN. Ancyle.
Ancylosis.
Anchylosis (*).
Contractura. } *Auct.*

A. A Stiff Joint.

G. Rigidité, inflexibilité, immobilité d'articulation; Ankylose.

Ge. Steifigkeit; Umbeweglichkeit der Gelenke.

(*) Vocabulum *Ankylosis*, auctoribus vulgo ancyle aut ancylosis, vel erronee etiam anchyle seu anchylosis dicta, a græco Ἀγκύλη curvus, (unde Ἀγκύλωσις incurvatio, curvatura) desumptum, male characterum morbi, de quo hic agitur, exprimit, non solum quod immobilitas seu rigiditas membrorum sæpe adsit, sine ulla incurvatione articuli, sed etiam quod auctores sub hoc termino vago et improprio varium morbi statum intelligant. Quidam simplicem immobilitatem aut inflexibilitatem membrorum; alii unionem duorum ossium in articulationibus abnormem; alii concretionem seu symphysin ossium ankylosin nominant. Alii demum ankylosin male *in veram* et *spuriam* distinguunt: sub priore immobilitatem cum concretione ossium; sub posteriore

Varietas 1. Acampsia *recta*.

Articuli recte extensi immobilitas chronica.

Syn. Orthocolon (ab Ὀρθὸς rectus, et κῶλον membrum). *Auct.*

Varietas 2. Acampsia *curva*.

Articuli incurvatio seu contractio inflexibilis, chronica.

Syn. Contractura articularis. *Cullen.*
Ankylosis proprie sic dicta. *Auct.*

Variat sede:

1. Acampsia humeri cum scapula.
2. ———— cubiti cum humero.

---

inflexibilitatem membri a contractione tendinum et musculorum, aut a vitio aliarum articuli partium denotant. De vitiosa distinctione morborum in *veros* et *spurios* alibi adverti, hancque distinctionem incongruam omnino e medicina rationali rejiciendam esse docui. — *Linnæus* sub nomine *anchylosis* tumorem genu mollem, pulposum, cuti concolorem, hinc eundem, quem Angli tumorem album genuum (white swelling) appellant, intelligit; sed hic morbus, qui sæpe ankylosin inducit, ad aliam classem morborum pertinet. Vide *Tumores* G. *Gononcus*. — Alii adhuc sub nomine anchylosis nonnisi inveteratam genuum immobilitatem intelligunt. Alii concretionem ossium in genere cum immobilitate eorumdem sub eodem nomine ankylosis male confundunt; nam immobilitas adesse potest sine ossium concretione, et concretio talis nonnisi unam ex causis variis immobilitatis articulorum constituit.

3. Acampsia cubiti cum carpo.
4. ——— cubiti cum radio.
5. ——— phalangis unius vel plurium digitorum manus.
6. ——— femoris cum acetabulo.
7. ——— articulationis genu.
8. ——— inter tibiam et fibulam.
9. ——— tibiæ et fibulæ cum astragalo.
10. ——— phalangis unius vel plurium digitorum pedis.
11. ——— vertebræ primæ colli cum osse occipitis, vel cum vertebra colli secunda; aut etiam unius vel plurium vertebrarum spinæ dorsi inter se; vel vertebræ ultimæ dorsi cum osse sacro.
12. ——— costarum cum vertebris dorsi; unde dyspnœa immedicabilis.
13. ——— maxillæ inferioris cum fovea articulari ossium temporum; unde masticationis et loquelæ abolitio.
14. ——— ossiculorum auditus inter se; unde cophosis aut baryecoia immedicabilis.
15. ——— ossium pubis inter se, ex carti-

lagine intermedio ossificato; unde dystokia (*).

Acampsia *VARIAT pro causa remota:*

α. Rheumatica.

β. Podagrica.

γ. Syphilitica.

δ. Scrofulosa.

ε. Scorbutica.

ζ. Ab osteomalakia.

η. Ab elephantopo.

θ. Ab ischialgia prægressa.

ι. Venenata: a vaporibus metallicis plumbi, hydrargyri, arsenici; aut ab applicatione horum metallorum interna vel externa.

κ. A metastasi febrili, exanthematica; præcipue variolosa.

λ. A diadexi lactea, rheumatica, podagrica; aut ex morbis cutis chronicis, ulceribus, sudore habituali, lochiis, menstruis suppressis.

μ. Traumatica: a vulnere, contusione, discissione, laceratione, ambustione nervorum, vasorum, musculorum, tendinum,

(*) In omnibus fœminis, quæ nonnisi post 30 aut 36 ætatis annum prima vice fœtum utero gesserunt, partum non solum summe dificilem et periculosum, sed sæpius lethalem observavi.

ligamentorum, membranæ capsularis, glandularum articularium, bursarum synovialium, cartilaginum, ossium; aut a læsione nervi in venæsectione brachii.

ν. A rhexi aut streblosi tendinum, musculorum.

ξ. A fractura, comminutione, luxatione, subluxatione, erosione, carie, aliove vitio ossium vel cartilaginum articulationis.

ο. A cicatrice, aut a callo post fracturas male formatis.

π. Ab applicatione adstringentium in vulneribus articulorum.

ρ. A corporibus extraneis articulationi infixis.

σ. A patella exempta.

τ. Ab ossiculis aliisve concretionibus extra-articularibus, tophis, seu calculis.

υ. Ab exostosi, steatomate, aliove vitio epiphysium.

φ. A symphysi, seu concretione ossium articulationis inter se.

χ. A ganglio, spongosi, aut hydrope articuli.

ψ. Ab aneuvrismate in poplite, vel cubito.

ω. A phlogosi, vel apostemate in cavo articuli.

αα. A synoviæ defectu, aut qualitate vitiosa, acri.

ββ. A phlogosi, læsione, contusione, tumore, aliove vitio bursarum synovialium, prope articulationem ad tendines sitarum.

γγ. A vitio glandularum in articulo.

δδ. A destructione superficiei cartilagineæ ossium in articulatione.

εε. Ab induratione, rigiditate aut ossificatione capsularum articularium, ligamentorum, tendinum, musculorum; præcipue in senio, a variis causis inducta.

ζζ. Ab atonia eorumdem.

ηη. A contractione musculorum flexorum vel extensorum chronica.

ϑϑ. A paralysi aut debilitate musculorum antagonistarum.

ιι. A concretione ligamentorum, tendinum, musculornm.

κκ. A convulsione frequente, vel a violenta aut diu continuata exertione musculorum.

λλ. A longa quiete aut consuetudine membrum in eodem situ tenendi contracta.

SECT. II. CUTANEÆ s. ECTHYMATA.

Gr. Ἐκθύματα, vitia cutis.

G. CCCCXX. KELIS.

Gr. Κηλὶς s. Σπῖλος Macula cutis.

Macula in superficie cutis; seu pars cutis colore abnormi notata, ex vitio retis mucosi vel epidermidis.

VARIAT pro causa remota:

α. A radiis solaribus.
β. Ab igne.
γ. A graviditate.
δ. A dysmenia aut ischomenia.
ε. A suppressione fluxus hæmorrhoïdalis.
ζ. A thlasmate; ecchymosi.
η. Ab asthenia corporis generali, vel venarum particulari.
ϑ. A septorrhepyra, loimopyra, ochropyra, scorbuto, peliosi.

Hinc *varietates præcipuæ sequentes:*

1. Kelis *Æstiva.*

Maculæ parvæ, corymbosæ, flavescentes vel rufescentes, in facie, pectore, manibus, aliisve partibus nudis aut non tectis; maxime juniori-

bus cute alba et capillis flavescentibus aut rufescentibus præditis infestæ; æstate augentes, hyeme fere disparentes.

SYN. Ephelis lentigo *S.*
Ephelis lenticularis. } *Auct.*
Lenticulæ solares.

A. Freckles.
G. Lentilles; taches de rousseur.
Ge. Sommerflecken.

2. Kelis *Solaris.*

Macula cutis aspera et quodammodo dura; in facie, aliisve partibus, radiis solaribus expositis, adustis.

SYN. Ephelis *Celsi* (a gr. Ἐφηλίς).
Adustio a sole. *Auct.*

3. Kelis *Ab igne.*

Maculæ e fusco flavescentes tibiarum aut femorum, præcipue adultorum; a longiore aut frequentiore appropinquatione partium prope ignem oriundæ.

G. Taches de brulure.

4. Kelis *Fulvescens.*

Maculæ cutis fulvæ aut fuscæ subasperæ, solitariæ, palmam et ultra latæ, collum, pec-

tus aut frontem deturpantes; præprimis gravidis, difficulter aut male menstruatis, aut hæmorrhoïdibus laborantibus infestæ.

Vide etiam *Alphus nigra*.

Syn. Maculæ hepaticæ *Auct.*

A. Tawny blotches.

G. Taches hépatiques.

Ge. Leberflecke.

5. Kelis *Fusca.*

Gall. Une Tanne.

Macula, aut tuberculum superficiale, maxime in facie, limbo palpebræ, naso aut gena, fuscum, flavescens, aut rubescens, magnitudine lenticulæ sed inæqualior, sæpe per vitam in eodem statu permanens; sed quandoque, maxime in senio, in ulcus mali moris abiens.

6. Kelis *Stigma.*

A gr. Στίγμα.

Maculæ exiguæ in facie, vel puncta nigra, ab humore in ductibus excretoriis glandularum sebacearum cutis stagnante et inspissato, orta; in superficie cutis a pulveribus in aëre natantibus nigra.

7. Kelis *Lutea neonatorum.*

Maculæ luteæ, icterodes, præcipue neonatorum in zona torrida frequens.

8. Kelis *Livida palpebrarum.*

Macula, seu potius circulus lividus, maxime sub palpebra inferiore oculi conspicuus; ex debilitate corporis generali, aut ex defatigatione corporis transitoria ortus.

9. Kelis *Traumatica.*

Maculæ cutis lividæ, dein flavescentes; a contusione ictu, lapsu, aliave vi externe illata ortæ.

10. Kelis *Asthenica.*

Maculæ lividæ cutis plus minus latæ in cruribus, aliisve variis corporis partibus, sine contusione in ægris scorbuto vel peliosi laborantibus ortæ.

11. Kelis *Petechialis.*

Maculæ nigræ exiguæ plurimæ; quandoque etiam latiores in pectore, aliisve partibus corporis erumpentes; ægris cholepyra, septorrhepyra, aut loimopyra laborantibus etc. infestæ.

G. CCCCXXI. SPILOMA.

A Gr. Σπίλωμα Nævus.

Maculæ solitariæ; vel tubercula, kystides, aut excrescentiæ verrucosæ, vel

sarcomatosæ congenitæ; neonatorum cutem colore, figura, et indole varia deturpantes.

Syn. Maculæ aut nævi materni.

A. A Mole of the skin; a mothers mark.
G. Sein; envies.
Ge. Muttermal; Muterfleck.

G. CCCCXXII. PHLYCTÆNA.

A Gr. Φλύκταιναι s. φλυκτίδες pustulæ.

Tumor parvulus ruber in summa cute, apice suppurans, et pus aut saniem tenuem acrem, pungentem vel prurientem continens, ac rupta pustula in ulcusculum aut in squammas abiens; vel tumores exigui, duri, vel suppurantes aut vesiculosi, pallidi, vel varie decolorati, superficiem cutis defoedantes.

Syn. Pustulæ. *Auct.*

A. Pustules; little pimples.
G. Phlyctènes; pustules.
Ge. Blässchen; Blätterchen.

G. CCCCXXIII. PAPULA.

Tumor tuberculosus, exiguus, durus, cuti concolor, vel varie decolor, non suppurans, sed in squammas furfuraceas abiens.

SYN. Papula *Lat.*
Tuberculum } *Auct.*
Phyma. }

A. Pimples.
G. Boutons.
Ge. Blütchen; Knötchen.

G. CCCCXXIV. IONTHOS.

A Gr. Ἴονϑοι, tubercula coloris violacei in facie.

Tumores tuberculosi, corymbosi, exigui, duri, rubri, vel e rubro livescentes, purpurei; nec dolentes, nec suppurantes, nec desquammantes, faciem et nasum præprimis defœdantes.

SYN. Vari *s.* Bacchia *Lat.*
Gutta rosacea *s.* rosea faciei. *Auct.*
Phœnigmus. *Ploucq.*

A. A pimpled face; red Pimples on the face or nose.

G. Bourgeons.

Ge. Kupferhandel; Kupfergesicht.

VARIAT pro causa remota:

α. Hæreditaria.

β. Hepatica; præcipue potatorum, ab hepate affecto.

γ. Stomachica; præprimis ab aqua frigida vel lacte frigido epotis calefacto corpore, aut ab usu alimentorum insipidorum; sæpe cum dyspepsia juncta.

δ. A dysmenia aut ischomenia.

ε. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.

ζ. A vitio podagrico.

η. A vitio herpetico, leproso, syphilitico, elephantiaco.

ϑ. Febrilis.

ι. A morsura vel punctura insectorum.

G. CCCCXXV. PHLYZAKION.

A Gr. Φλυζάκιον s. ψυδράκιον Bulla seu vesicula.

Tumor vesiculosus, rotundus, pellucudus, exiguus, subalbidus, aquam vel serum acre aut saniem continens; rupta vesicula, in crustam exsiccans, aut in ulcusculum abiens.

SYN. Hidroa *s.* sudamina. *Auct.*
Vesiculæ *s.* bullæ *Lat.*

A. Vesicles.
G. Vesicules.
Ge. Blässchen.

SECT. III. CACOTRICHIÆ.

Gr. Κακοτριχίαι a κακῶς vitiose et θρὶξ pili: Vitia pilorum et capillorum.

Status pilorum seu capillorum abnormis; id est, pili crassitie, tenuitate, rigiditate seu duritie, pinguedine, colore aut defluvio etc. peccantes.

G. CCCCXXVI. MADESIS.

A Gr. Μάδησις *s.* Μαδαρότης: Pilorum defluvium transitorium.

Lapsus pilorum vel capillorum, paulatim et sparsim factus, ita ut vel omnes in toto capite, aliisve partibus corporis pilosis, vel plurimi hinc inde decidant; et sic pili tantum fiant rariores, nulla parte nuda relicta.

SPECIES aut VARIETATES *sunt:*

1. *Alopekia.*

Gr. Ἀλωπεκία ab Ἀλώπηξ vulpes.

Pilorum capitis, vel barbæ, aut superciliorum defluvium forma arearum; instar vitii, cui vulpes annosiores sæpe subjectæ sunt.

SYN. Alopecia *Auct.*

2. *Ophiasis.*

Gr. Ὀφίασις ab ὄφις serpens: Capillorum defluvium forma serpentina.

Area partis capillatæ capitis glabra, et tortuosa, instar serpentis. Vitium quandoque ab occipite utrinque ad aures usque extentum serpit, latitudine duorum fere digitorum transversorum; aliquando etiam ultra aures ad ipsam frontem usque ascendens (*).

(*) Alopekiam omnem ætatem; ophiasin maxime infantes invadere, veteres notarunt. In ophiasi non solum bulbi capillorum, sed etiam epidermis eroditur. In utroque vitio capilli primo extenuantur, dein decidunt; quandoque cum excretione humoris acris, fœtidi. — Alopekiam et ophiasin puerorum in Hollandia epidemicam observavit Seb. EGBERTI.

G. CCCCXXVII. PHALACROSIS.

A Gr. Φαλάκρωσις s. φαλακρότης Calvities. *Lat.*

Defluvium capillorum, potissimum e sincipite, permanens; seu glabrities capitis ex lapsu capillorum, non renascentium.

A. Bald head.
G. Chauve; chauveté.
Ge. Kahlkopf.

G. CCCCXXVIII. POLIOSIS.

A Gr. Πολίωσις Canities *Lat.*

Capillorum aut pilorum, coloris normalis flavi, rufi, aut nigri, in album mutatio (*).

A. Grey-hair.
G. Cheveux blancs.
Ge. Graue Haare; Graukopf.

HÆC VITIA PILORUM VARIANT:

α. A kephalalgia frequenti, chronica.
β. Ab erysipelate capitis.
γ. A pyrexiis, aliisve morbis gravibus prægressis.

(*) Maculæ albæ in cute equorum sunt species canitiei, maxime a contusione aut pressione violenta bulborum pilorum, vel ab acribus externe applicatis ortæ.

δ. A phthisi, aut atrophia generali.

ε. A venenis interne assumptis.

ζ. A venenis quibusdam, aliisve acribus externe applicatis.

η. A viru syphilitico corpus depascente.

θ. A lepra, aut elephantiasi (*).

ι. Ab animi pathematibus tristibus: Terrore, timore, curis.

κ. A vitio locali: Erosione, destructione, contusione etc. bulborum.

G. CCCCXXIX. DASYTES.

A Gr. Δασύτης Hirsuties s. Hispiditas. *Lat.*

Pilositas partium abnormis, seu pili solito copiosiores aut longiores in partibus pilosis; vel pili nascentes in locis solito glabris. Huc pertinent capilli in frontem vel in nucham profundius descendentes; vel pili inter mammas, aut circa areolas mammillarum; vel in labio superiore mystax, aut in mento barba in mulieribus; vel pili in brachiis aut femoribus vel cruribus infantum, aut fœminarum.

(*) Alopekia syphilitica et leprosa, præcipue barbam et supercilia afficit.

G. CCCCXXX. POGONIASIS.

A Gr. Πώγων Barba.

Formatio barbæ abnormis in pueris ante tempus pubertatis; aut in viraginibus post tempus pubertatis; vel in mulieribus ex ischomenia aut pausimenia orionda.

G. CCCCXXXI. CHAITOSIS.

Gr. Χαίτωσις a χαίτη seta s. Iuba equorum *Aristot.*

Pilorum aut capillorum crassities et durities abnormis, instar setarum aut Iubæ equorum. Huc pertinent *crinones infantum*, seu setæ nigricantes cutem dorsi, brachiorum, et crurum, præcipue infantum atrophicorum, confertim obsidentes.

G. CCCCXXXII. LEPTOTRICHIA.

A Gr. Λεπτὸς tenuis, et θρίξ, pilus.

Capillorum tenuitas abnormis, lanugini similis.

G. CCCCXXXIII. SCHIZOTRICHIA.

Gr. Σχιζοτριχία a Σχίζω findo et Θρίξ pilus.

Capilli apice fissi, bifurcati aut trifurcati.

G. CCCCXXXIV. LIPAROTRICHIA.

A Gr. Λίπος pingue et Θρίξ pilus.

Capillorum seu pilorum pinguedo abnormis; seu pili quasi adipe aut oleo obliti, splendentes, et sibi mutuo agglutinati cohærentes.

G. TRICHOMA.

Capilli inter se implicati ac intorti.

Vide supra p. 230. G. *Trichoma*.

G. CCCCXXXV. TRICHIASIS.

A Gr. Τριχίασις (*).

Ciliorum incurvatio abnormis, ita ut oculum continuo pungant, lædant, aut lacessant.

(*) Nomen *Trichiasis* apud Hippocratem etiam reperio ad denotanda filamenta alba, piliformia in urina natantia. — Nomen *Trichismus* seu *Trichiasis* apud græcos quoque occurrit pro denotanda fissura ossis tenuissima instar capilli.

N. B. An Morbus quem Gmelin aliique Itineratores in plagis prope fluvium, olim *Tanaïs*, hodie *Don* dictum,

SECT. IV. CACONYCHIÆ.

Gr. Κανοναυχίαι a κακῶς vitiose et ὄνυξ unguis: Vitia unguium.

Status unguium abnormis, seu ungues inæqualitate, rugositate, crassitie, excrescentia, mollitie, scabritie, colore, curvatura, corruptione, erosione, ulcere, aut lapsu peccantes.

Hæc Vitia *Variant pro causa remota:*

α. A neglectu munditiei.
β. A vi externa, contusione, vulnere etc.

---

endemicum occurrere notarunt, et quem incolæ (*Cossack*) a pilis in vulnere aut apostemate natis derivant, ideoque *morbum pilosum* appellant, et ob dolores violentos summe pertimescunt, revera a pilis? an potius a vermibus e genere gordiorum oriatur? ex penuria observationum exactarum determinare non audeo. — An dolor mammæ violentus et rebellis, ab Aristotele pilo ad mammam delato adscriptus, ideoque Trichian appellatus huc pertineat, doctioribus dijudicandum relinquo. — Interim bene gnarus, compagem pilorum in ovariis morbosis post mortem dissectis sæpe reperiri; aliosque tumores varios in superficie corporis apertos, non raro pilis refertos, occurrere; absque quod ullam hucusque hujus phænomeni singularis rationem assignare valeamus.

γ. A febre.
δ. A dactylitide, vulgo paronychia dicta.
ε. A sypilitide.
ζ. A trichomate.
η. Ab elephantiasi, lepra.
ϑ. A venenis assumptis aut externe applicatis.

G. CCCCXXXVI. ONYCHOGRYPOSIS.

A Gr. Γρύπωσις a γρυπὸς incurvus, aduncus, et ονὺξ unguis.

Curvatura seu incurvatio ungium abnormis anterior adunca; vel lateralis cutem lædens et exulcerans, sæpe cum hypersarcosi juncta.

G. CCCCXXXVII. ONYCHOPTOSIS.

Gr. Ὀνυχόπτωσις ab ὄνυξ unguis et πτῶσις lapsus.

Lapsus ungium.

G. CCCCXXXVIII. ONYCHOPHTHORIA.

Gr. Ὀνυχοφθορία ab ὄνυξ unguis et φθορὰ corruptio.

Corruptio ungium.

FINIS VOLUMINIS SECUNDI.

ERRATA ET OMISSA IN VOLUM. II.

PAG. 25, *lin.* 8, *loco* Polychymia, *lege* Polyhæmia.
— 32, — 12, — Polyhidhria, — Polyhidria.
— 33, — 7, — Olygochimiæ, — Oligochymiæ.
Post paginam 80, *omissæ fuerunt*, *p.* 81, 82 etc., *usque ad p.* 97; *sed textus completus est.*
Post paginam 103, *loco* 404, *lege* 104.
Pag. 308, *lin.* 8, *loco* Dysecoia, *lege* Dysecoiæ.
Pag. 224, *Nota lin.* 1, *loco* Helcidria, *lege* Helkydria.
Post pag. 333, *loco* p. 343, *lege* 334.
Pag. 358, *lin.* 20, *dele* Spermacrasia..
Pag. 571, *lin.* 15, *loco* Hydrokistis, *lege* Hydrokystis.
Post paginam 384, *lege* 385 *et* 386.
Pagina 383, 384, 385 *et* 386 *bis occurrunt.*

INDEX SYSTEMATICUS

MORBORUM,

IN SECUNDO VOLUMINE CONTENTORUM.

SECT. II.

FINIS.

INDEX GENERALIS.

INDEX
NOMINUM GENERICORUM,
SPECIFICORUM, ET SYNONYMORUM ETC.

NUMERUS ROMANUS TOMUM, ARABICUS VERO PAGINAM INDICAT.

A.

B.

C.

Hysteromania

N.

P.

Thlipsis,

U.

V.

Y.

Z.

D'Anvers à Berg-op-Zoom, 7 postes.

NOMS DES RELAIS.	POSTES DE HOLLANDE.	NOMS DES RELAIS.	POSTES DE HOLLANDE.
Putten.	$3 \frac{1}{2}$	Berg-op-Zoom. (4)	$3 \frac{1}{2}$

D'Utrecht à Bentheim, 16 postes $\frac{1}{4}$.

NOMS DES RELAIS.	POSTES DE HOLLANDE.	NOMS DES RELAIS.	POSTES DE HOLLANDE.
Amersfort. (5)	2	Holten.	2
Woorthuisen.	$1 \frac{3}{4}$	Delden.	$2 \frac{1}{4}$
Appeldoorn.	$2 \frac{3}{4}$	Bentheim.	$3 \frac{3}{4}$
Deventer. (6)	$1 \frac{3}{4}$		

D'Utrecht à Bois-le-Duc, 8 postes.

NOMS DES RELAIS.	POSTES DE HOLLANDE.	NOMS DES RELAIS.	POSTES DE HOLLANDE.
Beuseckum.	$2 \frac{1}{2}$	Bommel.	2
Thuil.	2	Bois-le-Duc. (7)	$1 \frac{1}{2}$

De Beuseckum à Thiel. . . . . $1 \frac{1}{2}$

D'Utrecht à Rotterdam, 5 postes $\frac{1}{4}$.

NOMS DES RELAIS.	POSTES DE HOLLANDE.	NOMS DES RELAIS.	POSTES DE HOLLANDE.
[illegible]	[illegible]	Rotterdam.	2

(1) *Breda*, ville forte et entourée de ma
défendent. Elle fait un bon commerce. Le
sont d'une grande propreté, les rues larg
percées; il y a des canaux qui sont ordi
couverts de barques. Pop. 8,250 hab.

(2) *Gorcum*, place forte, sur la rive
Waal, commerce en grains et en béc
les habitans pêchent dans la Meuse. Pop.

(3) *Utrecht*, autrefois *Ultrajectum*, ch
département du même nom, sur le *Rhin*
ville grande, belle et bien peuplée, qui a
botanique et des manufactures de vel
voit, le long du canal de cette ville à cell
terdam, un grand nombre de jolies ma
campagne qui ont des jardins charmans
est célèbre par le congrès qui s'y tint en
1714, pour la paix de l'Europe. Pop. 32

(4) *Berg-op-Zoom*, sur le *Zoom*, est
très-forte, défendue par des marais qui e
l'accès difficile. Pop. 4,900 hab.

(5) *Amersfort*, est une ville forte,
l'*Ems*. Pop. 1,300 hab.

(6) *Deventer*, belle ville, située su
Elle fait un commerce considérable en
cellente. Elle est la patrie de Jacques C
Pop. 8,287 hab.

(7) *Bois-le-Duc*, ou *Bos-le-Duc*, ch
Bouches-du-Rhin, sur la *Dommel*, qui
gnant à l'Aa, prend le nom de *Dyle*. C'es